SANCTI
EPHRAEM SYRI
OPERA OMNIA
IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.



Io: Baptista Sintes. sculp. sup. perm.

ܦܘܫܩܐ ܐܠܗܝܐ ܕܟܬܒ̈ܐ ܩܕ̈ܝܫܐ

ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܣܘܪܝܝܐ.

SANCTI PATRIS NOSTRI

EPHRAEM SYRI
OPERA OMNIA

Quae Exstant Graece, Syriace, Latine,

IN SEX TOMOS DISTRIBUTA

Ad MSS. Codices Vaticanos, aliosque castigata, multis aucta, interpretatione, praefationibus, notis, variantibus lectionibus illustrata

Nunc primum sub Auspiciis

BENEDICTI XIV.
PONTIFICIS MAXIMI

E Bibliotheca Vaticana Prodeunt.

Syriacum textum recensuit post obitum Petri Benedicti Maronitae Societatis JESU STEPHANUS EVODIUS ASSEMANUS ARCHIEPISCOPUS APAMENSIS, notis vocalibus animavit, Latine vertit, & variorum scholiis locupletavit.

TOMUS TERTIUS

SYRIACE ET LATINE.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA VATICANA,

APUD JO: MARIAM HENRICUM SALVIONI

M. DCC. XLIII.

PRAESIDUM FACULTATE.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

ANGELUS MARIA TITULI SANCTI MARCI

PRESBYTER CARDINALIS QVIRINVS

Epiſcopus Brixienſis, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius.

H*Aud raro ſolent*, BEATISSIME PATER, *qui hiſce temporibus literarias ſuas lucubrationes Sanctiſſimo Nomini Tuo inſcribunt, Nicolai V. Pontificis Maximi, Tuæque primum inclytæ Patriæ Antiſtitis, indeque Cardinalis Bononienſis cognomento deſignati, præclariſſimas*

virtutes

virtutes in medium afferre, iisque encomiis exornare, quæ non eas quidem Tibi ad imitandum exponant, sed quæ comprobent, ejusdem gloriæ hereditatem maximo ad Te jure pertinere; præsertim vero laudibus suis extollunt egregium studium, quo Ille literas & viros doctos coluit ac fovit. In hac semita terenda ipse, ut quidem puto, posui vestigia princeps, *dum in binis Epistolis* SANCTITATI TUÆ *a biennio circiter datis, vulgatisque prius seorsim, atque postea Decadi Brixianarum mearum Epistolarum præfixis, in Te, vel maxime ex eo in optimas artes earumque cultores patrocinio, Nicolaum V. revixisse affirmavi. Uberrime vero ac more suo eruditissime in hoc ipso argumento versatus est Romanæ hujus Curiæ Præsul, edito superioribus mensibus, Tibique nuncupato, Commentario de Vita, & rebus gestis ejusdem Pontificis.*

Commemorata a me rursus hoc loco Nicolai V. eximia laus ista eo spectat, BEATISSIME PATER, *ut postquam adeo multa a me in fronte quatuor priorum Voluminum Vaticanæ istius Sancti Ephrem Operum Editionis de ejusdem præstantia sunt dicta, Volumen hoc quintum, quod modo prodit, ea ipsa commemoratio cum singulari quadam efficacitate* SANCTITATI TUÆ *commendet. Dicam siquidem, Nicolai erga literas favorem enituisse præsertim in demandanda Græcorum Scriptorum Latio donandorum provincia hominibus utriusque*

que linguæ peritissimis, quotquot Romam undique confluebant, magnis præmiis ab eo Pontifice acciti; moxque subdam, longe illustrius eo ipso laudis genere Pontificatum Tuum coruscare, quandoquidem auspiciis ejusdem ad exitum jam festinat Editio hæc Sancti Ephrem, nec Latino tantum, quem unum præfert Vossiana, seu Græco, qui unice exhibetur in Oxoniensi, sed Syriaco præter ipsos sermone, typis magnificis consignata, eaque ex veteribus Codicibus recensita, quin multis partibus aucta, summa profecto diligentia eorum, quibus ex Bibliothecarii Apostolici munere, quod gero, spartam illam adornandam commisi.

Proh Deum immortalem! Præclaram hanc Editionem Orientalium Ecclesiarum sapientissimi ac celeberrimi Patris, cujus Scripta apud easdem, Divo Hieronymo teste, locum ferme parem cum libris Canonicis obtinebant, quamque, ceu firmissimum Catholicæ veritatis præsidium, olim in votis maxime habuit Clerus Gallicanus (nihil tamen de Syriaco textu cogitans, quod ejus assequendi spes omnis jam periisset) Præclaram, inquam, hanc Editionem, numeris omnibus (absit verbo invidia) absolutam, si Nicolai V. temporibus Vaticana Bibliotheca protulisset, an non putas, BEATISSIME PATER, *eum Pontificem vel ex hoc uno beatissimum sibi visum iri?*

Optabat Ipse, ut Iliadis & Odyssææ Poemata (de his tantum loquar) Latio traderentur, largisque

propterea stipendiis Franciscum Philelphum invitavit, quo versionibus illis manum admoveret. Rem narrat idem Philelphus lib. xxvi. Epistolar. Leodrisio Cribello ita scribens, nam ejus verba recitare operæ pretium duco: Quum inter cæteros Græcos libros, qui quotidie in Latinum eloquium alii vertebantur, alii pervertebantur, ille (*Nicolaus*) & ingenii & doctrinæ & eloquentiæ acutissimus censor ac judex, magno desiderio teneretur legendi latine duo illa Carmina Homeri, Iliada atque Ulysseam, quæ tanti fieri a doctis omnibus cognovisset, instituerat paucis diebus, antequam immortali humani generis Redemptori animam reddidisset, dare mihi propediem dono in Urbe Roma ædes pulcherrimas, & latissimum prædium in agro Romano, quod satis esset ad opipare & pro dignitate alendam universam familiam meam; præterea deponere meo nomine, apud quem ipse ex omnibus mensarium delegissem, aureûm nummûm decem millia, quæ mihi continuo numerarentur, duobus illis Carminibus in latinitatem traductis. *Hoc Philelphi Epistolæ fragmentum recitatum invenio in laudato superius Commentario, traditurque ibidem ex Jacobo Manetto in Vita Nicolai V. binos iisdem Homericis Poematibus transferendis adhibitos fuisse ab eo ipso Pontifice interpretes, quorum unum novimus ex Aenea Silvio, Horatium Romanum fuisse.*

Alium

Alium, videlicet Carolum Aretinum, ad id negotii postulatum fuisse a Rep. Florentina per ejusdem Pontificis literas, certum me reddiderunt eæ ipsæ literæ, quæ nuperrime meas ad manus ex publico Florentinorum tabulario pervenerunt. Deus bone! iterum exclamo, Nicolaum V. tot & tanta pro obtinenda Homericorum Carminum versione peragentem; nec ea aliena a Pontificii Numinis Majestate existimantem (idque, dum Turcicus gladius post Constantinopolim captam Italiæ, intestinis bellorum motibus quaquaversum concussæ, immineret,) quid facturum censemus, si ipsi ea sors obtigisset, qua BENEDICTI XIV. *tempora ex evulgatis jam Romæ pluribus Sancti Ephrem Operum voluminibus fruuntur, exteris nationibus omnibus mirum in modum Vaticanæ Bibliothecæ, cui amplificandæ idem Nicolaus per totam Europam Codices manuscriptos conquiri studiosissime curaverat, tamdiu exoptatam Editionem gratulantibus?*

Veniam dabis, ut spero, BEATISSIME PATER, *si in hisce* SANCTITATI TUÆ *exponendis fortassis acrius exarsi, quam pateretur modus servari solitus in Epistolis Nuncupatoriis. Abripuit enim me æstus quidam voluptatis, dum Græciæ ethnicum Mythologum a Nicolao V. largissimis Interpreti oblatis stipendiis accersitum, cum Syro sapientissimo Ecclesiæ Orientalis Magistro, imo Propheta, hac tempestate in lucem educto conferens, quantum inter Nicolai*

lai V. & BENEDICTI XIV. felicitatem, quod ſpectat ad literarum gloriam, interſit, ſuſpicio & admiror. Veniam etiam dabis, ſi SANCTITATEM TUAM oro modo & obteſtor, ut in ea Editione, ad quam ipſe certe ſtudium omne, quod a Bibliothecario S. R. E. deſiderari poſset, & quandoque propiram etiam pecuniam contribui, impenſi a literatis viris labores Pontificiæ beneficentiæ officiis remunerentur, unde pateat, nihil eſſe, quod in præſens literæ fauſtiſſima iiſdem Nicolai V. tempora deſiderent. Perrarum & præclariſſimum exemplum, quod omnium oculis exhibes, BEATISSIME PATER, qui inter Pontificales etiam curas ſapientiſſima Volumina a Te jampridem compoſita de Beatificatione & Canonizatione, quæque vel ipſi Heterodoxi magno plauſu excipiunt, ut fidem faciunt Ephemerides Lipſienſes, novis in dies acceſſionibus locupletare pergis, iiſque ita auctis Patavinos modo decoras typos, Tuum, inquam, hujuſcemodi exemplum non Editionis dumtaxat S. Ephrem curatores, ſed quotquot ſeu Romæ ſeu alibi doctis libris evulgandis occupantur, in maximam ſpem adducit, ſuis commodis & ornamentis, Te Pontifice, BENEDICTO XIV. nihil defuturum. Quod ſi vere aſsequantur, boni omnes ominantur, facile contingere poſse, ut hiſce quoque temporibus Romæ præclarorum ingeniorum proventus ſpectetur, ex quorum nominis celebritate Apoſtolicæ Sedi præſi-

dium

dium & decus accedat, isque Aulæ Romanæ splendor obveniat, qui, ut viri iidem boni intelligunt, a doctrina dumtaxat & pietate mutuatus eandem decet.

Quandoquidem SANCTITAS TUA *die ix. Septembris proxime præteriti Senatum suum Apostolicum alloquens, quodammodo doluit Cardinales extra Urbem degentes, in subitis qui occurrunt casibus, a Romano Pontifice consultari non posse, cur non sperem, ut benigne audiat mei, qui modo Romæ adsum, non quidem hac in re consultationem (quam vocem si usurpem, vanus forem) sed obsecrationes? Has ut enixius fundam, facit præter Cardinalis gradum, quo fungor, Præfectura Vaticanæ etiam Bibliothecæ (qua non alia toto Orbe splendidior Musarum Aedes) & vita mea omnis in excolendis pro modulo meo literis acta, ac demum cura, quam ipse capio, prout vires meæ ferunt, in doctis hominum conatibus adjuvandis, cujus scilicet animo jam diu insidet Horatianum illud:*

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum, rectius occupem
Nomen beati, si Deorum
Muneribus sapienter utar.

Deus O. M. SANCTITATEM TUAM *diu servet incolumem, ac sacros ejus Pedes deosculor.*

APPRO-

APPROBATIO

SANCTI EPHRAEMI Syrorum quàm ſapientiſſimi poſtremum Sermonum Volumen Syriaco-Latinum pietate ſumma & mirabili, ab omni memoria temporum laudatiſſimum, quod jam per Virum egregium Petrum Benedictum e Soc. JESU latinitate donari coeperat, mox intermiſſum deflendo praeſtantiſſimi Interpretis e vita diſceſſu, ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Apamenſi Archiepiſcopo, Stephano Evodio Aſſemano latina translatione abſolutum, ad quod etiam Prolegomena, atque Acta ejuſdem Viri Sanctiſſimi nunc primum eruta ex Cod. Nitrienſi Vatic V. idem Cl. Evodius adhibuit, qua potui magna cum cura, atque animi voluptate perlegi Reverendiſſimo Patri Nicolao Aloyſio Ridolphio Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtro potiſſimum obſequuturus. De hoc autem opere ſic exiſtimo: fuiſſe jampridem Sac. litterarum fautoribus maximopere optandum, ut tot Orientis cum Patres & ſanctitate, & doctrina quam qui maxime celebres in Latium jam commigraſſent, EPHRAEMUS etiam latinus evaderet. Quam ſpartam ab eruditiſſimo Praeſule ſemper in dies majora moliente, ita ornatam perfectamque miramur, ut ea & judicio graviſſimo Eminentiſſimi Principis S. R. E Bibliothecarii Cardinalis Quirini, novis uſque ſapientiae opibus litterariam Rempubl. non tam e ſuo, quam ex alieno penu ſeſe offerentibus locupletare cupientis, & cl. Interpretis eruditioni undequaque pro votis abunde reſpondere videatur. Ceterum quis EPHRAEMUM, ut cauſam dicat de religione, quam invicto calamo aſſeruit, audeat in jus vocare, ſive ejuſdem pietatem & Orthodoxiam vel levi cenſura perſtringere? praeſertim ſi ad ſuorum temporum opiniones & diſciplinam Ipſius ſcripta exigantur. Quare dignum opus cenſeo quod publici juris fiat.

Datum Romae ex Collegio Eccleſiaſtico Die 26. Julii an. 1743.

Ubaldus Mignonius de Cl. Reg. S. P. Sac. Congreg ſuper examinandis Epiſcopis Examinator Theologus & V. Coll. Eccleſiaſtici de Urbe Rector.

APPROBATIO

TErtium S. EPHRAEMI Tomum Syriaco-Latinum, Reverendiſs. Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro Patri Nicolao Aloyſio Ridolphio demandante, attente perlegi, ſuſpexique accuratam interpretamenti methodum, qua Clariſſimus Vir, perenni dignus memoria, eximius Inclytae Societatis JESU Theologus Petrus Benedictus dum viveret, mox Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Stephanus Evodius Aſſemanus Apameae Archiepiſcopus, omnigena Vir eruditione, linguarumque praeſertim Orientalium peritia ſpectatiſſimus, conſpicuam Gentilis ſui praeſtantiam, & avitam Majorum ſuorum diſertiam egregie aemulatus, opus Literariae Reipublicae perutile, ſumma cura, & felicitate perfecerunt. Latinitate proinde tantorum virorum opera donatus Syrorum Doctor EPHRAEMUS publicam e vaticanis latebris videat lucem, ut omnium manibus ubique teratur, atque in Orthodoxae veritatis commodum, & incrementum cedat. Ita ſentiebam, ſervato iis, ad quos ſpectat, ſaniore judicio.

Romae. Tertio Kalend. Jul. Anno a reparato Orbe MDCCXLIII.

Andreas Scander Maronita Protonotarius Apoſtolicus, Orientalium Literarum in Romano Sapientiae Athenaeo, & in Urbano de Propaganda fide Lycaeo Profeſſor, & Interpres.

APPRO-

APPROBATIO

Tertium S. EPHRAEMI Tomum Syriaco-Latinum ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Stephano Evodio Assemano Apamensi Archiepiscopo, Viro in omni bonarum facultatum Genere versatissimo, ac linguarum praesertim Orientalium apprimè perito, post obitum Clarissimi P. Petri Benedicti Soc. JESU Presbyteri, qui mediam ejusdem partem confecerat, suprema adhibita manu ad extremam calcem perductum, Reverendissimo P. Nicolao Aloysio Ridolphio Sac. Palatii Apostolici Magistro hanc mihi provinciam demandante, accurate perlegi, versionemque Latinam cnm Syriaco exemplari diligenter contuli; neque in ea quidquam, quod vel Religioni Catholicae, vel bonis moribus repugnaret, deprehendi, quin imo ad confirmanda Religionis Catholicae dogmata, bonosque mores enutriendos satis aptam, atque idoneam, ex Prolegomenis quoque, & Actis S. EPHRAEMI nunc primum ex Codice Nitriensi Vaticano V. erutis, quae eidem Tomo praemittuntur, animadverti; Mentem autem Syri Doctoris Praesul eruditissimus optime assecutus tanta latini Sermonis elegantia Versionem hanc expressit, ut nec latino homini Syriacae linguae ignaro, nec indigenae Syro linguae latinae imperito amplius quidquam desiderandum supersit, incertumque sit tanti Praesulis beneficio, utrum EPHRAEMUS noster Syriace scripserit, an latine. Quare dignum opus censeo, ut, curatum ab Eminentissimo D. Angelo Maria Quirino S. R. E. Cardinali Bibliothecario, sub auspiciis Sanctissimi Patris Domini Nostri BENEDICTI XIV. Pontificis Optimi Maximi publici Juris fiat. In quorum fidem Romae e Collegio Maronitarum pridie nonas Augusti Anno MDCCXLIII.

Simeon Verdi Societatis Jesu.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiss. Patri Sacri Palatii Apost. Magistro.

Franciscus Maria de Rubeis Archiepisc. Tarsensis.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Aloysius Ridolfi Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

STEPHANI EVODII
ASSEMANI
ARCHIEPISCOPI APAMENSIS
Ad Emum ac Rmum Dominum
D. ANGELUM MARIAM
QUIRINUM
S.R.E. CARD. BIBLIOTHECARIUM
EPISCOPUM BRIXIENSEM
In novam Operum Sancti Ephraemi Syri Editionem
EPISTOLA.

Multis magnisque de caussis, EMINENTISSIME PRINCEPS, adductus sum, ut post Petri Benedicti ex Societate Jesu, Viri Clarissimi, obitum, sin minus ipsi, literarum certe utilitatibus acerbissimum, Opera haec Syriaca S. Ephraemi, diligentia sedulitate studio, quo possem maximo, Latinitate donarem. Videbam in primis, laborem hunc meum minime inanem fore, neque supervacaneum. Hinc enim augurabatur animus, non minus fortasse laudis Ecclesiae Orientali, quae tantum Virum genuit atque aluit, afferri posse, quam utilitatis Occidentali, quippe quae celeberrimi sanctissimique Hominis doctrina atque sapientia debeat non mediocriter illustrari. Illud quoque in hoc Opere maximum mihi & studiorum incitamentum exstitit, & laborum, quod cum exemplaria S. Ephraemi Syriaca, unde Latina haec Editio fideliter desumta est, tum omnes fere alii Codices Orientales, qui Bibliothecae Vaticanae splendorem celebritatemque non parum augent, ex Aegypto, aliisque regionibus Orientalibus, Eliae, Antiochenae Sedis Archipresbyteri, ac Praesulis Romani, Josephi Assemani, patruorum meorum, diligentia huc in Italiam feliciter pervenerunt. Tum vero identidem recordabar, Petrum Benedictum in primi, & secundi Tomi Edi-

tione

tione persaepe mea quoque opera usum esse, quemadmodum ipse in sua ad Lectorem Praefatione fidem facere egregiam in secundo Volumine non dubitavit.

Quibus quidem singulis quamquam ad hanc provinciam, cui facultatem mihi non satis parem esse video, incredibiliter excitarer, tamen ea me cogitatio huc tandem impulit ac prope rapuit, quod vigilias laboresque sperarem meos non fore ingratos BENEDICTO XIV. Pontifici vere Maximo. Nam praeterquamquod regia plane benevolentia & Orientales excipit universos, & Maronitas in primis, quibus non semel praebuit benevolentissimae voluntatis suae testimonia, non ignorabam, nulla ex re majorem ipsi jucunditatem objici, quam si homines doctrinae cum virtutis laudibus conjungendae avidos videat, quod unum ipse in omni vitae statu adeo studiose persequi consuevit, nihil ut de eo tam honorifice dici possit, quin id jampridem superarit ejusdem tum sapientia, tum virtus. Posita sunt ante omnium oculos egregia illa Volumina, quibus tantae sunt, quae a doctissimis quibusque hominibus tribuuntur laudes, ut praestet eas omnino omittere, quam minus pro dignitate commemorare. Neque enim ejus in Scriptis una duntaxat facultas, aut altera continetur, sed omnis plane bonarum artium disciplinarumque ordo aureo quodam vinculo copulatus elucet, atque ita quidem, ut, seu jus Civile ac Pontificium spectes, multas ejus partes, gravissimosque ex eo locos mirum in modum tractatos explicatosque cernas, sive Sacrarum Literarum, ac veteris disciplinae doctrinam secteris, argumentis inde haustis passim eos libros non dicam respersos videas, sed refertos, sive Historiam, ac multiplicem rerum eruditionem inquiras, BENEDICTO XIV. Divinam quandam inesse scientiam fatearis, quae maximarum quarumque rerum cognitionem cumulatissime comprehendat. Ipsius autem virtutibus non is ego sum, qui orationem possim afferre parem. In eo quippe cum praeclarissimis ingenii laudibus conjunctam cernimus summam animi celsitatem, moderationem, clementiam, facilitatem, in Deum denique pietatem summam, summam in homines misericordiam, ac uno verbo quicquid decorum dicimus, quicquid in Pontifice optimo desideramus. Itaque non sine caussa rudem hanc lucubrationem meam tanto Pontifici minime improbandam duxi, quum scripta Latine verterem, unde tam Literaria posset, quam Christiana Respublica fructus capere non vulgares.

At enimvero etsi haec omnia summi essent ponderis ac momenti, tamen arduum hoc munus nunquam fortasse suscepissem, CARDINALIS AMPLISSIME, nisi auctoritas, ac sapientia Tua singularis mihi animum stimulosque addidisset. Eum quippe locum apud me dignitatis Tuae auctoritas tenet, ut Tuis non modo impe-

imperiis, sed etiam nutibus obtemperare omnino debeam, propterea quod & supremus S. R. E. Bibliothecarius es, & Princeps Vir cum doctorum omnium amantissimus, tum literatissimis hominibus veteris totius, recentisque memoriae jure optimo comparandus. Quis enim, ut nihil de mentis altitudine, nihil de ingenio dicam, ad egregia quaelibet plane facto, quis ignorat, nihil unquam Te valuisse a sapientiae laudibus avocare? Natus ex gente, quae antiquitate splendore amplitudine nobilitate cum Italiae primariis de palma honoris contendit, quae opibus & potentia rebusque omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, est refertissima; tamen ephebus adhuc Divina quadam animi magnitudine nihil in tanta luce, rerumque copia, nisi Majorum gloriam, eorumque in primis, qui omni doctrinarum genere claruissent, admiratione dignum existimans, generosa Romanorum ingenia aemulabaris, quos audio apud Sallustium solitos dicere, quum Majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animos ad virtutem accendi, & memoria rerum gestarum flammam egregio in pectore crescere, neque prius sedari, quam eorum famam, atque gloriam virtute adaequassent. Quod quidem tentare Brixiae primum coepisti in Collegio Nobilium, ubi sic ingenio usus, ut decuit, non cum usura solum, verum etiam cum anatocismo in humanioribus artibus profecisti. Eas enim non ab aliis capere, sed ex Teipso proferre ac parere videbaris. Nec mirum sane, quum & ingenio nemini secundus esses, & eum virtutis amorem a natura ipsa arripuisses, quem virtus excitaret sui, si videretur, ut praeclarissime loquitur Plato. Non igitur sine caussa exspectabantur abs Te omnia, quae possunt ab indole plane aurea exspectari. Tu vero exspectationem etiam vicisti omnium, quia Teipsum, Tuam nempe aetatulam, & conditionem longe superavisti. Ne domesticis opibus, aut assentatorum illecebris, quorum apud Viros Principes maxima turba est, quicquam de virtutis amore detraheretur, generosarum volucrum ritu Caelum suspiciens, paterna domo valere jussa, quo jubebat Divina Te Sapientia pergere, convolasti, & in Casinensem familiam Te adrogandum adolescentulus praebuisti.

Heic vero de Tuis laudibus nemo est, qui commemorare pro dignitate satis commode aut multa possit, aut plura dicere, quam Florentia Italiae ocellus, & augustissimum quasi quoddam Musarum Sacrarium, memoria retinet. Satis erit praeclarissima illa nomina Bonarrotios, Salvinos, Averanos, Magalottos, & complures alios, quibus semper beata illa Civitas redundavit, eruditissimos homines memorare, quorum omnium gratiam Tibi, & benevolentiam quum brevi tempore conciliaveris, hoc esse indicium profecto debet, eam fuisse integritatis, doctrinaeque celebritatem Tuae, ut haud facile judicari posset, utrum melior esses, an prudentior. Nam

&

& incredibilis ille pudor innocentia gravitas, quae non in sermonibus modo exstabat omnibus, sed in vultu etiam Tuo, in Tuo ore, in Tuis oculis eminebat, & singularis ingenii vis, qua Historiam, temporum testem, Philosophiam, vitae magistram, Theologiam, consciam rerum Divinarum scientiam, Chronologiam denique, Mathematicam, Sacrosque Canones, ac Philologiam cum Latinis, Graecis, Hebraicisque literis conjunxisti, illa illa, inquam, & mentis acies, & morum probitas doctissimis gravissimisque Viris Te incredibiliter commendabat. Quid novum igitur, si, quum exteris tam carus esses, Casinensis familiae amor atque oraculum habebaris? Etenim florenti admodum aetate, quum virtute & doctrina aetatem ipsam quam longissime anteires, Te Casinensis juventus Sacras Literas interpretantem audivit; quid dico audivit? imo arcana, quae ipse apprime cognoveras planeque imbiberas, aequabili minimeque affectato dicendi genere aperientem si abdita, declarantem si obscura, si confusa enucleantem singulari quadam laetitiae voluptate, ac stupore prope incredibili mirata est. Quod ne dicere assentatorie fortasse videar, testis nunc etiam exstat praeclarissima Oratio illa de *Mosaicae Historiae Praestantia*, mirifice abs Te scripta, cujus gravitas & eruditio, quod de Hortensii ingenio est memoriae proditum, tamquam Phidiae signum, simul aspicitur, ac probatur.

Interim vero quum eruditio ubique Tua percrebresceret quotidie magis, Tu Tibi uni parum sapere videbaris. Itaque non voluptatis, ut multi, sed inexplebili quodam doctrinae studio difficillima itinera suscepisti, Britanniam scilicet, Bataviam, Gallias peragrasti, Lutetiae autem, tamquam in portu aliquo ac celeberrimo literarum emporio, moram Tibi ad biennium delegisti, quo quidem tempore quotquot ea in Urbe doctorum hominum conventus erant, studiosissime frequentabas: (ii autem, quum jampridem Sapientiam Tuam admirabundi suspicerent, Te novissime in Regiam Inscriptionum, & Politiorum Literarum Academiam suffragiis omnibus cooptarunt;) cum sodalibus vero Tuis Benedictinis ita conjunctus eras ac prope conglutinatus, ut eorum disputationibus uterere, tamquam aëre ad respirandum. Amicitiam Socratis ad claritatem, & gloriam consequendam non mediocrem occasionem Alcibiadi praebuisse Plutarchus ait: Tibi porro non modo jam plane docto, sed quinquertioni quid ad pleniorem rerum intelligentiam eruditissimorum hominum amicitia contulerit, id sane praedicat Urbs rerum Domina, quae quantam de Tuis literis existimationem haberet, Tibi vix in Italiam reduci declaravit.

Patior heic latere, quanti Tuus Te Ordo faceret universus, quum in Comitiis generalibus, in frequentissimo scilicet florentissimo-

ſimoque Religioſorum hominum coetu ne unus quidem inventus ſit, qui non optimo illi de Te judicio acquieſceret, quo unus ex omnibus delectus es, qui Congregationis Caſinenſis Italiae Hiſtoriam, qua late patet, diligenter fideliterque perſcriptam dares. Rem inſuper miſſam faciam, quam, de cujuſcumque laudibus, niſi de Tua doctrina dicerem, non perſequerer, ſed oſtentarem, acerrimum nempe ingeniorum exploratorem, Clementem XI. graviſſimis Te negotiis admoviſſe, &, quod caput eſt, prudentiam Tuam expertum eſſe, ſuis non modo exſpectationibus parem, ſed etiam votis. Haec, inquam, tacitus praeteribo quantacumque ſint, quae ſunt certe maxima. Illud autem praetermittere nullo modo poſſum, quod quum inuſitata quaedam, & antiqua inveſtigaretur perquireretur que virtus, ad Te potiſſimum ventum eſſe. Corcyrenſis Eccleſiae Pontificatus vacabat; illi nimirum Inſulae Archiepiſcopus dandus erat, ubi Latinum inter, Graecumque Praeſulem ſimultates, atque concertationes antehac perpetuae interceſſerant. Is ergo Epiſcopus optabatur, qui, lapidis inſtar angularis, faceret utraque unum, qui praeceptis inſtitutiſque diſciplinarum & in bona doctrina exhortari, & eos, qui contradicerent, arguere ſapienter poſſet, qui non ſibi duntaxat populum eſſe datum, ſed ſe etiam populo exiſtimaret, ac uno verbo, qui tum praeſtaret omnibus omnia, tum forma gregis factus ex animo videretur. Perfectam hanc Archiepiſcopi effigiem, quam animo contemplabatur, oculis tum maxime deſiderabat, non alibi expreſſiorem illuſtrioremque Innocentius XIII., quam in Te, Angele, nactus eſt, quem probe noverat ſapientem fortem ſeverum ſobrium, & quandam veluti imaginem antiquitatis. Et res quidem ipſa opinionem hanc de Te optimam comprobavit.

Nam ſi velim, quae mihi occurrunt, perſequi dicendo ſingula, neſciam profecto, quid primum exequar, quid poſtremum. Unum igitur commemorabo, ex quo facile metiri cetera quiſquam poſſit. Quoniam nulla eſt praeclarior, quam quae hoſtium expreſſa eſt vocibus commendatio, num laudem omnium magnificentiſſimam non judicabo, quod is Tibi a Graecis eſt honor habitus, quem eorum vix Patriarcha impetraviſſet? Optimum ipſi Principem appellamus, qui parentis perſonam gerat, & populi concordiam unice concupiſcat ac pacem, cujus nomen ſuave eſt, res vero ipſa maxime ſalutaris. Et dubitabimus, quin hanc pulcherrimam in Te Principis imaginem veneremur, quum id effeceris primo Tuo in Corcyram appulſu, ut Plebs utraque, uterque Clerus, qui quotidianis antea diſſidiis digladiabatur, in intimam & ſinceram animorum conſenſionem mirifice coaleſceret? Utinam tanta mihi ſuppeteret dicendi vis, tantaque copia, ut, quae hanc animorum concordiam ſequuta ſunt, praedicare commode poſſem. Copioſiſſima

siquidem efflorescerет ac redundaret oratio mea. Sed si rerum multitudine obrui me plane sentio, eum tenebo cursum, quem potero, & id unice commendabo, unde multo splendidius, quam monumentis omnium literarum illustrabitur virtutis Tuae divina vis. Quid autem aliud dixero, nisi quod BENEDICTUS XIII. quum prudentiam jampridem Tuam liberalitatem sapientiam fidem exploravisset, Brixiae Episcopum primo, mox S. R. E. Cardinalem renunciavit, hoc est, majus veluti stadium ac theatrum aperuit, in quo & liberius excurreret virtus Tua, & praeclarius emineret.

Quidni ita existimaverim, quum tam Brixiae multa, tam praeclara, tam ampla religionis & beneficentiae testimonia occurrant, ut clarius ac luce pateat, nihil Tibi ex nova dignitatis amplitudine accessisse, nisi ut te multo magis, quam antea, exhiberes largum beneficum liberalem? Haec Principis vera laus, haec ratio est administrandae Ecclesiae praeclarissima. Tui propterea nominis gloriam apud Brixianos in perpetuum celebrabit tum Templum illud omnium magnificentissimum, splendore maximo absolutum exornatumque, tum Coenobium Monialium, quas Salesianas nuncupant, a fundamentis erectum, & ad pudoris ac innocentiae securitatem & incrementum liberalissime dedicatum, tum demum Dioecesis etiam universa, ubi non Arae, non Templa, non Domus ulla privata praeclarum aliquod & pietatis & clementiae vestigium non servat Tuae. Quid? quod magnitudinem hanc singularem cum aeterna quoque Urbe communicasti? Neque enim, quae nihil vulgare conspicit, Romana Majestas quicquam splendoris detrahit aut Altari in Monte Caelio ex marmoribus conquisitissimis in S. Gregorii erecto, aut Aedibus, & Basilicae S. Marci, Tituli Tui, elegantia & impendio sane maximo illustratae, aut S. Alexii Templo, in cujus instaurationem cogitationes invigilare coeperunt Tuae, simul ac mandante BENEDICTO XIV. patrocinium Monachorum ibi degentium suscepisti. At enim haec Tibi cum aliis, quamquam non bene multis, communia sunt. Quod autem vix a CLEMENTE XII. Summus Romanae Ecclesiae Bibliothecarius es renunciatus, statim thesaurum Tibi omnium facile acceptissimum carissimumque publici juris feceris, Bibliothecam nimirum Tuam exemplarium varietate & copia singularem cum Vaticana conjunctam esse volueris, hoc, obsecro, quibuscum aliis communicabis, quam cum Pontificibus ex omni memoria clarissimis, quorum laudibus nulla unquam allatura est finem aetas?

Postularet heic locus, Tua ut admirarer ingenii monumenta multo plurima, & maxima. Sed quum eorum de amplitudine, id quod de Carthagine ait ille, tacere praestet, quam pauca dicere, iccirco eadem aliqua ex parte commendare cupienti torpebat mihi prae metu animus, ne, dum maxime gratus & officiosus esse con-

contenderem, in ambitionis ac superbiae crimen adducerer. Quid igitur? Num mihi in hoc loco ab omni prorsus officii genere temperarem? Id vero nec mea in Te observantia, nec officium, nec ratio patiebatur. Malui igitur Tuos ingenii foetus commemorando superbum mihi onus imponere, quam aut parum videri gratus, aut immemor. Prodeat primum itaque in medium illustris illa *De conscribenda Monastica Italiae Historia Dissertatio*, quae CLEMENTI XI. nuncupata, mirum est, quam & eloquutionis candore, & sententiarum vi, & numerorum concinnitate sit eo Pontifice digna, qui sic literis supra ceteros eminebat, ut dignitate. Agevero de Monachorum studiis, de Benedictinorum Bibliothecis, de Literarum fato misero funestoque, de Mabillonio, de Ruinarto, de Massueto, de Vvorth, Monasticae Historiae Scriptoribus, quam prudenter disseris! Quam docte! Quam apposite! Quam erudite! Rem porro illam, quae maxime pertinebat ad sedandam Monachorum invidiam, quorum nomen jampridem de vitiatis Diplomatibus deferebatur, ut acriter cum Mabillonio dilueris, dici vix quidem potest, ac ne vix quidem. Fruere igitur virtute Tua, & laborem hunc quoties recordabere, toties id animo contemplare, quod oculis non potes, toto videlicet Christiano Orbe Monachorum Ordinem universum, qui summa Tibi debere omnia profitetur.

Verum demens sim, si laudes Tuas angustis Coenobiorum finibus circumscribam. Multo illae latius patent, & iisdem, quibus Literaria Respublica, terminis continentur. Nam si liberales artes duae praesertim Linguae illustraverunt, Graeca & Latina, profecto debes jure Tibi optimo gratulari, de cujus laudibus inter sese Graecos, Latinosque audio decertantes, alteros, quod *Officia* quaedam *Graecanica* Romana civitate donaveris, alteros autem, quod in Notis ad eadem Officia Tuis doctrinam fidem prudentiam minime vulgarem ostenderis. Etenim dictio ipsa argumenti loco esse potest, veterum Te Graecorum eloquentiam in succum & sanguinem convertisse. Diatribae vero quatuor aperte ostendunt, amplissimos Philologiae fines, & omnia illius adyta lustravisse. Quid? quod laudaris in Opere illo Tuo elegantiam aeque Atheniensium prae Te ferre, ac Corcyrensis bilinguis populi Graecitatem Tibi perspectam esse? Ac nescio equidem, an hoc multo etiam praeclarius videatur. Nam barbara haec stribligo quanto natura incomtior atque horridior, tanto difficilior existat, & pertinacis, ut ediscatur, diligentiae indigeat necesse est, quae in Viro praesertim occupatissimo laus est maxima. Cetera itaque doctrinae Tuae ornamenta celebrabuntur illa quidem ubique gentium, Tibi erunt tamen cum infinita literatorum multitudine communicanda; haec vero tota est futura Tua, quod, ut cum Apostolo factus omnibus omnia

omnia videreris, & prudenter cum ſapientibus diſſerebas, & libenter blaterare cum barbaris non recuſabas. Egregio ſane conſilio. Nam hinc futurum arbitrabaris, ut deterſa paulatim barbarie politiores literae ea in Inſula refloreſcerent. Cujus profecto rei ſpem ubique certiſſimam excitaviſti, quum libro de *Corcyrae Primordiis* edito ad bene de Graeca gente ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti.

Etenim ſi nemo eſt tam averſus a Muſis, qui cognoſcere gentis ſuae antiquitatem non cupiat & ſplendorem, confidere non ſine cauſſa licet, ut Corcyrenſes Inſulae, in qua degunt, primordia perlegant quam ſtudioſiſſime, & ex lectionis aſſiduitate tandem de literis amplum incipiant aliquid cogitare. Quis enim eo in Opere fructus uberrimos ex eruditione non capiat Tua? quae tanta eſt, ut plane mirari ſubeat, unde tot Tibi non Graecorum modo, ſed Phaeacum etiam, atque Arabum monumenta ſufficiantur, quibus nugatorias Poëtarum fabellas rejicis, & antiquiſſima maximeque diverſa Corcyrae nomina, eorumque vim atque ſignificationem acute comprobas, tum Spanhemium in voce Κέρκυρα, & Φιλοξεινωτάτη, Fabricium in Homeri Poëmate, cui nomen Φαιακίς, Nevvtonium in ſtatuenda Sphoerae inventione; alioſque aliis in locis Viros ceteroquin eruditiſſimos ſi non temere ſcripſiſſe, errore certe humano lapſos eſſe declaras, & multo efficis emendatiores. Porro de veteri Corcyrenſium ſuperſtitione, de Regum in hoſpites humanitate, de rebus terra marique praeclare geſtis, de Proverbiorum ſalibus, de Arte Nautica, de Conviviis, de Ludis, & de Mulierum quoque exercitationibus, ac praeſertim de Alcinoi Apologis, quam multa dicas, & ſcitu digna, Philologi teſtantur omnes, qui cum alia Tibi veterum monumenta temporum accepta referunt, tum potiſſimum Argonautarum Epocham, quam Petavius, & Scaliger (qui viri Deus immortalis!) nequicquam ſe quaeſiviſſe non inficiantur. Haec ſunt, quae apud Corcyram Inſulam ſcripta numerabuntur inter monumenta nunquam interitura famae Tuae.

At de iis alii pro dignitate dixerint: ego jam Brixiam rapi me plane ſentio, quae literarum antea cenſebatur amantiſſima Civitas, ſed nunc, Te praeſide, Athenae veluti alterae appellatur. Ingens enim ad optima compendium eſt, ſumma & optima in Viro Principe admirari: hinc vires animo, hinc ingenio faces. Grandia non optat nemo, qui omnia ſuo in Paſtore grandia intuetur. Quis ergo dubitet, quin Brixiana juventus humanitatis ſtudia quotidie impenſius proſequatur, quum literarum Te auſpicem, longe lateque immortalitatis inſignibus coruſcantem, praeſentem numine, vique arcana, & exemplo propitium veneretur? Exemplo inquam; nam quocumque Tuum Te munus vocat, eo & Muſae pergunt in-

divul-

divulsae comites & adminiſtrae, quarum neceſſitudinem non modo ulla aegritudinis, aut morbi vis nunquam interpellavit, ſed nec ipſa peſtis ſuſpicio, quae, ut nuperrime non ſine ingenti ſtupore accepimus, tametſi Te ab omnium conſortio unius & viginti dierum ſpatio in Venetorum confiniis eripuerit, tamen a bonarum artium ſtudiis ne ad momentum quidem avocavit. Illud igitur jure optimo Tute uſurpas: *Pernoctant nobiſcum literae, peregrinantur, ruſticantur, epiſcopantur*. Diviſus in omnia, proque Eccleſia diſtentiſſimus, tamen quotidie legis, & novi ſemper aliquid meditaris. Teſtantur id Brixiae Antiſtitum *Philaſtrii*, *Gaudentii*, *Ramperti*, *Adelmanni* Scripta in lucem edita, quae Galeardus doctrina incomparabili explicavit illuſtravitque Codice Corbejenſi abs Te accepto, cujus gratia quum S. Philaſtrii de Haereſibus Opus magna ex parte inventum ſit, debet hoc nomine Chriſtiana Reſpublica Tibi plurimum. Quid Literaria? Non certe minus.

Liber ſiquidem ille, quem *de Brixiana Literatura* divulgari curaſti, non tam Grammaticorum, Poëtarum, Philoſophorum, Oratorumque, qui renaſcentibus literis Brixiae gloriam amplificarunt, juſtam hiſtoriam continet, quam de doctis hominibus, quotquot ubique poſt Typographiae inventionem claruerunt, optime meritus praedicatur. Multos praeterea Interpretes, qui Scriptores aetatis tum aureae, tum argenteae illuſtrarunt, ob oculos ponit, quorum cognitio ut jucundiſſima Brixianis eſt, ſic univerſis literarum amatoribus utiliſſima. Ita eſt, PRINCEPS OPTIME, quum valeas virtute plurimum, eandem curas in omnium animos derivari. Hoc enim ſin minus oratione, re certe ipſa quam ſaepiſſime recinis: Frangit ignavos aliena amplitudo, intendit acres.

Et Te quidem intendit maxime, qui hanc Tibi legem indixiſti, ut ornantia ceteros ornarentur a Te munera quaecumque obires. Hanc enimvero ſententiam Tuam, & in omni vitae ſtatu, & in Comitiis praeſertim declaraviſti, in quibus PROSPER LAMBERTINUS eſt Pontifex inauguratus. Pars anni erat periculoſa ubique, exitialis autem in primis Romae fervoribus intolerandis. Accedebat aëris in Vaticano inclementia, aedium in Conclavi anguſtiae, & cetera incommoda, literarum ſtudiis infeſtiſſima. Tu tamen viciſti omnia, CARDINALIS AMPLISSIME, nec peperciſti ipſe Tibi. Nihil impedimento fuit, quominus vigilias laboreſque maximos exantlares, quos poſtea Cardinalis Andreas Hercules Fleury ὁ μακαρίτης, *Noctes Vaticanas* prudentiſſime appellavit. De Pontificis creatione res erat, Tu Pontificem vita functum a calumnia vindicabas *Paulum II.* natione Venetum, virtute maximum. Cujus in literatos amorem, in Eccleſiae adminiſtratione prudentiam, in toto denique munere Pontificatus juſtitiam liberalitatem magnificentiam, morumque, quoad vixit, integritatem tot

tot teſtimoniis & auctoritatibus a certorum hominum impudentia vindicaviſti, ut illud Senecae mirum in modum confirmaveris: Aeque laudem eſſe a laudatis viris laudari, ac ab improbis improbari.

In hac operoſa vehementique ſedulitate vix *Pauli Vindicias* anno ſeculi quadrageſimo adornaveras, ſtatim anno ſequenti ad *Franciſci Barbari Epiſtolas Diatribam* promulgaſti, quae Literariam gazam latentem antea, ſed optatiſſimam aperuit in lucem plurimam, deditque largiter ſpectandam fruendamque. Illa enim, Diatriba illa Tua ejuſmodi eſt, cui occurrere quiſquam veluti theſauro debeat, quippe quae non modo Franciſci Barbari, ſed aliorum quoque doctiſſimorum hominum vitam contineat; unde quemadmodum Literaria Hiſtoria a renatis in Italia elegantioribus literis lucem accipit ſingularem, ita Lectorum animi ſubjectis veluti facibus excitantur ad reſtitutum eloquentiae decus, pro virili tuendum conſervandumque, ex quo conatu quicquid in optimarum artium diſciplinarumque ſtudia utilitatis profluit, acceptum id magna ex parte Tibi uni eſt referendum, quem hoc nomine nulla poteſt, quamvis ingenio & arte elaborata pro dignitate oratio commendare.

Pulchrum eſt procul a negotiis, ut ille cecinit, in medio literarum ſinu vitam vitalem ducere: multo pulchrius, graviſſimis undequaque negotiis occupari, & a Muſarum complexu nullis unquam incommodis poſſe divelli. Haec, PRINCEPS OPTIME, laus eſt Tua, qui Dioeceſim ampliſſimam, & ad Rhaeticos uſque Montes aſperrimos pertinentem nactus, in ejus procuratione diligentia uteris divina prorſus, & infatigabili ſedulitate: quicquid interim temporis eſt a negotiis vacuum, impendis totum in ſeverioribus ſtudiorum fructibus colligendis, & habes in more poſitum, aut inter libros delicias verſari Tuas, aut doctos homines, quibus facilis ad Te aditus ſemper patet, comiter & benevole compellare, aut ad Viros nobilitate & ſcientia praeclariſſimos Epiſtolarum eloquia miſſitare. Rem attigi, cujus gratia illud in Te elogium quadrare perbelle video, quod de Baſilio, Gregorio, & Amphilochio Hieronymus pronunciavit, eorum, inquiens, ejuſmodi eſſe libros, ut neſcias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem Seculi, an ſcientiam Scripturarum. Quid enim Tuis in Epiſtolis non egregium, non amplum? Quid in illis indoctum? Imo quid non e media Philoſophia eſt? Quid non ex Theologiae adytis, & Hiſtoriae fontibus derivatum? Quam valde nobis ac literis gratulandum, hanc Tibi Deum mentem dediſſe, ut *Duas Epiſtolarum Decadas* in lucem ederes, quarum nitorem doctrinam eruditionem non tam aetas noſtra miratur, quam aeternitas intuetur! Nihil enim ab hac Tua exſpectari

Sapien-

Sapientia poteſt, quod non omnium commendationem & ſempiternum tempus ſpectare debeat: tam ſupra vires doctrina eſt Tua, tam ſupra fidem egregia ac ſingularis.

Haec ipſe mecum dum ſerio cogitarem, Verſionem hanc e Syriaco, abs Te mihi impoſitam, vehementer equidem reformidabam. Quis enim ego, CARDINALIS AMPLISSIME, qui Tuis poſſim imperiis ſatisfacere, cujus tanta eſt claritudo nominis, quanta dignitas? Quis iterum dicam, quis ego, PRINCEPS EMINENTISSIME, qui valeam praeſtare operam non ſapientiae improbandam Tuae, cujus fama, lucidiſſimi inſtar ſideris, late diffuſo lumine, nec ullis contenta finibus complet omnia luce ſua, omniumque oculos atque animos in ſui ſpectaculum admirationemque convertit? Sed in tanta luce tandem timere deſii, dum Te penitus recognovi, cujus & ſaepe alias, & nunc potiſſimum intellexi, hoc eſſe proprium, ut non magna poſtules, niſi a Te ipſo. Nunc demum ſapientiam in Te ſuſpicio ſic & comiter, & mirifice temperatam, ut, quae mihi antea timorem facere conſueverant, ea in praeſens ſentiam vaneſcere univerſa. Itaque ſummam alii in Te prudentiam, excelſos alii ſpiritus, omnes monumenta ingenii ſempiterna perpetuis in Caelum laudibus efferant, ego & haec admiror omnia, & Teipſum, qui tum duntaxat grandia Te facere arbitraris, quum humanitatem Tuam exerces. Hujuſmodi me cogitatio jacentem erexit, effecitque ad ſuſcipiendum id oneris alacriorem. Impenſas ideo, & incommoda contemſi omnia, Tuis ut voluntatibus obtemperarem, quo nihil mihi honorificentius poteram votis omnibus exoptare. Interim vero quamvis Tu nullam gratiam exigas, recte factis Tuis contentus unice; tamen Orientalis Natio gratias Tibi agit quantas poteſt maximas, quod Tuis auſpiciis Latinitate donatus in lucem exeat *S. Ephraem*, qui tot jam Seculis Orientis columen, atque oraculum habebatur. Ego autem a Te delectus unus ex omnibus ad Volumen hoc ultimum promulgandum, quia Tuus in me beneficentiae ſplendor majeſtate praecellit, quod ſolum opis noſtrae eſt, gratias ago, & immortali huic beneficio Tuo quam maxime fore me gratum promitto, atque ita quidem, ut tametſi cetera poſſis in me omnia, tamen facere non poſſis, ne ego Te ſummo amoris & venerationis cultu aeternum proſequar.

Romae e Bibliotheca Vaticana Kal. Jun. Ann. M DCC XLIII.

LE-

LECTORI SUO
STEPHANUS EVODIUS ASSEMANUS
ARCHIEPISCOPUS APAMENSIS.

ACcipe, Amice Lector, e Vaticana Bibliotheca munus exigui ſane pretii, ſi ingenii noſtri tenuitatem ſpectes; ſed grande ſatis ac pretioſum, ſi Auctoris auguſtum nomen inſpicias, tertium ſcilicet ac poſtremum Volumen, quod Scripta Sancti Ephraemi Syriaca, Romana civitate donata, complectitur. Uberior ſane materia ad aliud volumen conficiendum ſuperfuiſſet, ſi de Ephraemi Scriptis plura (multo enim plura adhuc exſtabant) huc in Italiam ex Oriente abſportare licuiſſet. Sed in eorum tranſvectione ex Aegypto Romam uſque id infauſti accidit, ut in Nili fluminis trajectu, naviculam, quae tantum theſaurum deſerebat, ſaeva repente exorta procella in imum demerſerit. Quo caſu abrepti Codices prae Niliaci luti tenacitate tam foede corrupti atque vitiati ſunt, ut alios ne legere quidem, alios vero aegre admodum ac difficulter interpretari potuerimus.

Hinc probe intelliges, & quantum nobis laboris in hanc interpretationem impendendum fuerit, & quibus ubique, & quantis laudibus efferendus ſit Petrus Benedictus, Soc. Jeſu Presbyter, Maronita, eximia Vir eruditione atque doctrina, qui aſſidua quidem cura ac diligentia tam utiliter feliciterque eo in Opere plures annos, tantoque cum ſucceſſu elaboravit, ut opportunum rei maxime cenſeam de ejus Vita, plane admirabili, ſtricte preſſeque ac veluti per tranſennam nonnihil attingere.

Guſtae in Phoenice anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo tertio menſe Junio ex Patricia Gente natalia duxit Petrus Benedictus, Arabice امبارك *Ambarachius* nuncupatus. Fratres ejus duo Monaſticum Divi Antonii Abbatis Inſtitutum laudabiliter diu profeſſi, ad Archiepiſcopatus gradum in Libano Monte alter alteri ſuccedens, evecti ſunt. Pater apprime religioni ac pietati deditus, aere ſuo Coenobium erexit in Riphone, Oppidulo eo in Monte ſito, ubi uxore e vivis erepta, Abbas electus reliquum vitae in excelſo virtutum ſtadio percurrens tranſegit.

Ephebus adhuc Kalen. Decembris ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo anno ſupra milleſimum Romam miſſus, in Maronitarum Collegio omni bonarum artium genere non ſine mirabili progreſſu imbutus, trium ac decem annorum curſu laudabiliter exacto, apud Patres Societatis Jeſu Romano in Collegio Doctoris Lauream eſt conſequutus. In Orientem reverſus Kal. pariter Decembris anno octogeſimo & quinto Evangelicae Praedicationi operam dedit ſedulam, Sacriſque Ordinibus rite ſuſceptis, quod ſibi a Stephano Aldoënſi, Patriarcha Maronitarum Antiocheno, com-

commissum fuerat, diligentissime est exequutus, ut, quae ille Patriarcha doctissime atque ingeniosissime conscripserat, castigaret atque expoliret.

Haud multo post summam rei acturus, Antiochenae Maronitarum Ecclesiae ad Sedem Apostolicam legatus, suo quoque studio, ac opera maximas in foro lites biennio extinxit. Ex Urbe in Syriam rediturus Florentiae mansit, urgente Cosmo, Magno Etruriae Duce, hujus nominis Tertio, Principe quidem Viro, animi magnitudine liberalitate clementia prorsus Regia ornatissimo, multiplici vero eruditione, ac Mathematicarum praesertim rerum scientia singulari, tanta demum in literatos doctosque homines beneficentia praedito, ut hac in re & avitam Mediceae Gentis gloriam non parum auxerit, & illud jure optimo usurpare potuerit, quod apud Euripidem Theseus, qui quum Herculem Athenis exulantem multis honoribus ac beneficiis prosequutus esset, laudem sese omnium pulcherrimam universa e Graecia laturum affirmavit, quum bonis bene se fecisse, essent homines memoraturi. Quod profecto & saepe alias adsequutus est, & tum potissimum, quum Petrum Benedictum honorifice exceptum jussit ordine, quam fieri posset, exactiori Characteres Orientales, maximis impensis a Ferdinando Medice excusos, digerere, atque etiam plurium iisdem Typis Librorum, qui in celeberrimis nunc Bibliothecis Palatina & Laurentiana Mediceis exstant, impressioni simul ac animadversioni solicitudinem curamque impendere, qua in re adeo solertem se praebuit atque industrium, ut Regiis votis cumulatissime satisfecerit; quippe qui linguam Hebraicam, Syriacam, Arabicam, Latinam, Graecam cum Secularibus, Sacrisque literis mirum in modum conjunxerat.

Ac ne fortasse quispiam existimet, haec a me assentatorie commemorari, testimonio utar, quo nullum aliud gravius atque locupletius, hoc praesertim in loco optare possim. Anna Maria Aloysia, Cosmi Tertii Filia, Palatina ad Rhenum Electrix, paternae virtutis haeres, dici vix potest, quo amore, qua benevolentia, quo studio Petrum Benedictum prosequeretur. In ea porro Principe Femina vestigia antiquitatis quasi exempli caussa nemo non mirabatur. Nam moderatione humanitate modestia facilitate Regalem sui Generis conditionem aequabat, ingenii vero sagacitate ac judicii prudentiaeque laudibus Viros etiam prudentissimos longe superabat, quacum si semel Thucydides versatus esset, illam e vestigio opinionem improbavisset suam, primam, scilicet, in muliere laudem esse, ut ne de virtute quidem illius ulla ad viros fama emanet. Ita siquidem in ejus vita omnia semper fuerunt ad virtutem ad honestatem ad gloriam instituta atque composita, ut quicumque vel integerrimi ac prudentissimi homines ad eam accederent, ab ea etiam multo, quam antea, meliores ac prudentiores redirent. Testes sunt quotquot ad eam adibant Viri nobilitate & scientia clarissimi, quibus ipsa ad suum non tam colloquium, quam liberalitatem atque beneficentiam aditum omni tempore esse voluit. Nihil enim in excelso illo dignitatis

gradu magnificentius existimabat, quam ut posset bonorum omnium, & literatorum in primis patrocinium quam studiosissime suscipere. Cujus quidem patrocinii vis & sexcentis aliis, & mihi etiam maxime salutaris fuit, qui propterea ejus in me beneficentiam largitatemque memoria prosequar sempiterna. Quorsum haec ita commemoravi? ut hujus Heroinae, nostrorum temporum incomparabilis, virtute cognita, clarius quisque intelligat, in Petro Benedicto summa fuisse omnia, quum Anna Maria, quoties de Benedicti eruditione atque literatura sermo incidebat, eum toties summis laudibus praedicaret. Nec semel mihi, sed saepissime contigit ejusmodi laudationibus interesse, quibus sic mirifice delectabar, ut & Petro Benedicto summopere gratularer, & ad bonarum artium incrementum tantam literarum Patronam diutissime superesse concupiscerem. Sed, cujus in manu felicitas nostra est & calamitas, Annam Mariam nuperrime e vivis eripuit Deus, ne diutius in terris esse virtutem fineret, cui jampridem, ut pie omnes sentimus, aeternitatis praemia destinaverat. Itaque de illius morte, bonis omnibus acerbissima, non multa dicam, ne nostrum incommodum intemperantius lugere videar, & summam felicitatem ejus non satis grato animo interpretari.

Jamvero ad Cosmum redeo, qui ne Petri Benedicti gloriae & utilitati quid deesset, eum propterea Sacrarum Literarum Professorem in celebri Pisano Athenaeo constituit, secum animo prudenter reputans, uberrimos exinde fructus in rem literariam conferendos. Nec spes frustrata; Carolus enim Marchio Rinuccinius a Consiliis Francisci III. Lotharingi, Regis Hierusalem, Magni Etruriae Ducis, ejusque Conjugis Mariae Theresiae, utriusque Pannoniae & Bohemiae Reginae Piae Augustae Felicis, Vir ornatissimus, & cum omnibus, quotquot ubique gentium sunt genere ac scientia florentissimi, & rerum agendarum peritia, consiliique dexteritate spectatissimi, jure optimo comparandus, pluries nobiscum magnifice de Benedicto, ejusque omnigena eruditione sermonem habuit; multa quoque cum laude de ipsius doctrina dicentem audivimus Ferrantem Comitem Capponium, Senatorem Florentinum, in quo post antiquissimam generis nobilitatem nescias quid primum mirari debeas, summamne morum elegantiam suavitatemque, an multiplicem rerum eruditionem. Quid Antonius Marchio Niccolinius? Quid Antonius Franciscus Gorius? quorum alter omni virtutum, & bonarum artium ornamento nemini secundus est; alter videtur eruditionis Critices, & prudentiae laudibus ipsi prope antiquitati par; uterque vero, quum ipse Florentiae degerem, non semel mecum egregia de Petro Benedicto omnia praedicabant. Ejus etiam laudes commemorare quamsaepissime solet Ubaldus Mignonius, & Alexander Politus, Scholarum Piarum lumina praeclarissima, quorum judicium nemo non plurimi faciendum existimabit, qui sciat, alterum Florentiae diu in Archigymnasio claruisse, nunc Romae in Congregatione, quam Examinis Episcoporum nuncupant, doctrinae

ctrinae suae testimonia praebere amplissima; alterum vero ex Pisano Athenaeo tum aliis scriptis suis, cum praesertim elegantissimis doctissimisque ad Eustathium Commentariis, nominis sui commendatione Literariam Rempublicam implevisse. Age vero qui multo etiam clarius Petri Benedicti eruditionem testatam cupiat, Monachos Casinenses S. Benedicti consulere ne gravetur, apud quos solebat, quum Florentiam adiret, familiariter commorari. Quid plura? Angelus Maria Card. QUIRINUS, immortale Sacri Collegii decus atque ornamentum, in Epistola nuncupatoria ad Clementem XII. Corsinium, aeternae memoriae Pontificem Maximum, primo S. Ephraemi Volumini praefixa sic eum suscipit magnifice collaudandum -- *Petrus*, inquit, *Benedictus publicus olim Sacrarum literarum in Pisano Athenaeo Professor, mihique vel ab eo tempore magna necessitudine conjunctus: namque dum Florentiae Monachum indui, nulla alia re felicior mihi fuisse videor, quam quod Virum illum omnigena literatura, linguarum praesertim Orientalium notitia instructissimum, in ea Benedictinorum Abbatia hospitem nactus, & per decem annos, antequam scilicet Societati nomen daret, contubernalem sortitus, saniorum ac severiorum studiorum mysteriis ab eodem fuerim initiatus* -- Idem in Epistola ad Alexium Symmachum Mazochium, Romae impressa V. Kal. Oct. MDCCXLII. sic Encomium Benedicti concludit -- *Occasionem heic mihi exortam Petro Benedicto, quo Antistite, ut dixi, Sacris Orientalibus a teneris annis initiatus sum, paucis verbis parentandi libenter arripui, atque ingenue profiteor, ejus nomen ex insigni etiam illo in Apostolicam, cui ipse praesideo, Bibliothecam promerito, perpetuam apud me venerationem habiturum.*

Anno a Virginis partu millesimo septingentesimo septimo, III. Kal. Novembris, facultate a Clemente XI. Pont. Max. per Cardinalem Franciscum Nerlium, Nationis Maronitarum Protectorem, impetrata, dedit nomen in laudatissimam Societatem Jesu, in qua tanquam in optimo virtutis stadio summa animi alacritate tyrocinium biennio Romae exercuit, quo expleto, eundem laudatus Pontifex unum de iis esse voluit, qui Sacris Graecorum Libris corrigendis praeessent: quo quidem in coetu Benedictus primas fere tulit auctoritatis. Romae in Aede Professa Sacrae Scripturae interpres diu fuit. Verbum Dei per loca & terras Ecclesiasticae ditionis disseminavit, ac nonnulla Monialium Monasteria suae disciplinae, ac fidei concredita sanctissime administravit; aeternae pauperum saluti, qui carceribus inclusi detinebantur, intentus adibat frequens, excipiebatque Sacramentali Confessione noxas omnes, ad quas detestandas eorum animos suavissime adigebat: quae vero proponebantur explicanda obscura Sacrae Scripturae, ac Historiae Ecclesiasticae loca, domesticis licet distentus curis, facillime expediebat; quemadmodum prae ceteris egregiam non semel e Suggestu fidem facere audivimus Alexandrum Santocanale Societatis Jesu Presbyterum, Concionatorum nostrae aetatis facile principem, Sacrorumque Bibliorum in Ecclesia Aedis Professorum Urbis Interpretem eruditissimum.

Suadente maxime Cardinali Quirino, P. Franciscus Retzius, Societatis Jesu Praepositus Generalis, Vir ad augendum ejusdem Socie-

Societatis splendorem & decus, fovendamque literarum nullo unquam aevo intermorituram gloriam feliciter natus, Benedicto versionem Operum S. Ephraemi e Syriaco commisit. Paruit ille, ac primam imposuit manum trigesimo currentis Seculi anno, & nullis curis vigiliis ac laboribus parcens primum & alterum Tomum duodecimo ab incepto opere anno in lucem edidit; jamque totus in editione Tertii mediam partem confecerat, quum in gravem prolapsus morbum, octogenario major in Domo Professorum Urbis non sine maximo nostro & amicorum dolore VIII. Kal. Septemb. MDCCXLII. pientissime obiit.

Fuit magna vi animi & corporis, quibus naturae subsidiis fretus, minime mirum est, si matura jam ac senili aetate, id, quod antea diximus, onus fortiter sustinuerit. Mansueta indole praeditus ubique amantissime excipiebatur; modestia vero pietate ceterisque virtutibus, & praesertim Instituti ac Regularis Ordinis observantia praecipuum sibi in Societate obsequium ac benevolentiam conciliaverat.

Praeter ea, quae modo commemoravimus S. Ephraemi Opera, vertit etiam ex Arabico in Latinum idioma Stephani Aldoënsis Patriarchae Antiocheni Scripta *de Sacra Liturgia*, *ac de Origine gentis Maroniticae*. Latinitate quoque donavit *Partem Menologii Graecorum*, *jussu Basilii Porphyrogeniti Imperatoris Graece olim editi*, Urbini postea impressi cura & opera Annibalis Albani, S. R. Eccl. Cardinalis Amplissimi. Edidit quoque Opus inscriptum, *Antirrheticon*, *seu confutatio Annotationum Joannis Kohlii ad geminos S. Ephraemi de Sacra Coena Sermones*. Aliud item *Antirrheticon* publici juris fecit de eodem *Augustissimo Eucharistiae Sacramento adversus R. P. Le Brunum*, *& Eusebium Renaudotium*; quae quidem Opera Secundo S. Ephraemi Tomo invenies adnexa. Haec sunt, quae de ejus Vita perscribenda duximus, ne compendii leges transgredi videremur. Nunc vero unde discessimus revertamur, nempe ad explicationem & synopsim Tractatuum, qui in Tertio hoc Tomo continentur.

Stylum ac metrum, quo Sanctus Ephraem scripsit Opera hoc Volumine comprehensa, silentio praeterimus, quum de eo tam Petrus Benedictus, quam Praesul Assemanus, Patruus meus, fusius disseruerint, alter in Prolegomenis Secundi Tomi; alter vero in sua Bibliotheca Orientali Tom. I. *In Ephraem & Balaeo*. Missam quoque facimus antiquitatem & auctoritatem Codicum, e quibus desumti Tractatus, qui heic habentur; de his enim laudatus Praesul Assemanus docte disseruit loco supra citato, ubi praemisso Indice, compendium protulit omnium Operum S. Ephraemi Syriace conscriptorum; quo quidem ordine usus non est Petrus Benedictus, quia fortasse ipsi non licuit satis expendere Codices Syriacos Niliaco naufragio deletos ac corruptos, ut jam supra innuimus.

Tractatus igitur sunt octo, in quorum Primo, & Altero agitur de *Fide adversus Scrutatores*. Continentur ibi nonaginta Sermones, in quibus S. Pater Arianorum, & Eunomianorum errores rejicit, Naturam Divini Verbi acie mentis pene-

penetrare conantium. Inter tot Arianorum sectas prae ceteris Eunomiani in discutiendis Divinis Mysteriis inoffenso pede sese percurrere impudenter gloriabantur, ut liquido constat ex Dialogo Sancti Basilii adversus Eunomium. Hunc de Fide Librum haud inverisimile est, S. Ephraemum aetate jam provectum scripsisse, cum nempe Eunomius ductu & magisterio Aëtii Syri Ecclesiae pacem turbaverat, jamque Ariani Mesopotamiae partes, ipsamque Urbem Edessam invaserant; unde ope ac vi Valentis Imperatoris Catholicos e templis suis tertio a dormitione Sancti Ephraemi mense expulerant, sicuti colligi potest ex Chronico Ecclesiae Edessenae ad annum Graecorum sexcentesimum octogesimum quartum, qui respondet vulgari Christi Epochae CCCLXXIII.; quamquam secundum alios, qui volunt, Christum natum esse anno Graecorum CCCIX. expulsio Catholicorum ex Urbe Edessa inciderit in annum Christi CCCLXXV. Consule Dionys. Patriarch. apud Assem. ibidem pag. 54.

Proinde laudatus Ephraem impugnat Aëtianos, pestem hominum teterrimam, quae erupit in Syria. Aëtius horum caput & princeps, natione Syrus, ad id pervenit amentiae, ut de Divina Natura per Geometriam ausus sit agere, ac si Dei immensitas humano posset ingenio comprehendi. Sentiebat ideo, neminem quenquam debere aliud ex fide credere, nisi quod liceat ipsis naturae viribus perscrutari, ut conjicitur ex Sozomeno lib. 4. c. 28. Socrat. lib. 2. c. 28. Epiph. hær. 76. & Philost. lib. 3.

Ad cohibendam igitur improborum audaciam, Naturam Divinam statuit prorsus esse inaccessam non hominibus modo, verum etiam Angelis, asseritque humanam rationem Divinae Fidei pedissequam esse, non ducem. Adversus Eunomianos Divinae Naturae altitudinem comprehendi nullo modo perfecte posse probat ex Animastica, corporisque humani compactione, necnon ex eo, quod opere plane admirabili natura perficit in herbis & arboribus, in odoratis praesertim, inque balsamica & medicinali virtute praeditis, objicitque terrae & aquae insitum spiritum vitaliter vegetum & alentem omnia, cujus interiore motu plantae omnes vigent, crescunt, frondescunt, germinantque; quod opus omne imprudentibus nobis, minimeque sentientibus omnino fit.

Tum de Augusta Trinitate sermonem instituens, dicit primo, Patrem vere & substantialiter esse Patrem, ac propterea Filium habere ejusdem naturae, qui Mundum ex nihilo condidit; non enim Angelos Mundum condidisse, sicuti Marcionistae, atque Ariani ineptissime somniabant. Explicaturus Sanctissimae Triadis Mysterium pro humani viribus ingenii, Solis ac Lucis utitur similitudine, quam mire circumscribit, haud aliter, quam Theognostus antiq. Theol. apud Athanas. lib. de Decr. Concil. Nicaen. p. 410. S. Cyril. lib. 6. aliique plures SS. Patres. Aequalitatem vero Divinarum inter se Personarum ostendit ex Forma Baptismi; quo argumento Basilius quoque, & Nazianzenus contra Arianos, & Macedonianos uti solebant.

lebant. Tum vero eandem in Tribus Personis aequalitatem confirmat ex summo bono, e cujus essentia Substantiam Divinam in unam Personam contrahi non posse disserte probat, nisi aequaliter in tres una omnino atque eadem diffundatur.

Adversus Audianos, qui etiam dicti sunt Anthropomorphitae, S. Doctor Deum naturaliter purissimum, simplicissimum, ac ab omni materia discretum aperte ostendit, omnes expediens adversariorum cavillationes, perperam ex S. Scriptura decerptas. Hinc deducitur, haeresim Anthropomorphitarum multo antiquiorem esse, quam nonnulli arbitrantur ex auctoritate Cassiodori Hist. Trip. lib. 10. cap. 7. qui affirmare videtur, hunc errorem obortum inter Monachos Aegypti sub Theodosio Seniore, quo tempore S. Ephraem jam e vivis decesserat. Huc accedit, Audium hujus haeresis auctorem in Syria ortum esse, non in Aegypto. Niceph. lib. 11. cap. 14. & Epiph. loco supra citato.

De Generatione Divina agens, hunc vere & realiter Filium esse aeterni Patris demonstrat; quod quum inficiari Ariani auderent, apposite dicti sunt ΑΠΑΤΟΡΕΣ idest *sine Patre*. Niceph. lib. 9. c. 17.

Pergit deinde S. Doctor Verbi Divinitatem ex utroque Testamento ostendere; tum enumerat haereses eo, quo vixit, seculo enatas de Generatione Verbi, falsaque Arianorum argumenta dissolvit ex S. Scriptura desumta, ex qua Verbum creaturam esse evinci posse impudentissime contendebant. Copiose & eloquenter explicat Sanctus Ephraem ea Scripturae verba Prov. 8. *Dominus creavit me*; quae in Textu Hebraico sonant קנני *Dominus possedit me*; At in Versione Syriaca, & Paraphrasi Chaldaica, quam idem Doctor certe non ignorabat, legitur ܒܪܢܝ ܒܪܫܝܬ ܒܪܝܬܗ *Creavit me in principio creaturae suae*. Cui consonat Graecus Interpres ἔκτισέ με *Condidit me*; decernitque hunc versum non ad Generationem Divinam Verbi, sed tantum ad temporalem pertinere. Invehitur quoque in Paulianistas, qui Christum esse hominem tantummodo docuerunt, ostenditque in ipso duas Naturas ex differentia operationum & attributorum. Hanc Paulianistarum haeresim diu in Syria viguisse probant ejusdem S. Doctoris Acta, paulo infra a nobis exhibenda.

Gradum faciens ex aeterna ad temporalem Salvatoris Generationem, aperte refellit Theopaschitas, passionem Verbi Divinitati tribuentes, non Humanitati. Tum coarguit nonnullos haereticos, Phantasiastas appellatos, quod negarent, Corpus Christi verum esse & physicum, sed phantasticum sive aërium affirmarent. Praecipuum insuper errorem haeresiarchae Apollinaris Laodiceni confutat, qui asseruit, Verbum cum carne humana etiam Animam suscepisse, sed mente carentem; aliter enim haec, ut ipse ajebat, praesente Verbo assumtam naturam gubernante, otiosa perstitisset.

Interea dum haereses ad Dei Filium spectantes arguit, etiam quaestiones de Baptismate haereticorum, ac de Rebaptizatione, quam Ariani adhibuerunt, rursus tunc temporis agitatas memorat. Objectionem etiam respuit Arianorum,

norum, Christo Domino Judicii diem ignotum fuisse autumantium, ut denotarent, Filium inaequalem esse Patri; aitque Christum semper scivisse extremum diem, tamquam effectum in sua caussa, arguamentaturque, quod si humanum ingenium suis tantum viribus Incarnationis Verbi Mysterium nequit comprehendere, eo magis non capiet arcana Divinitatis, docetque hisce de rebus sibi nimium nusquam fidendum, sed Scripturae oracula consulenda.

Incarnationis Verbi fructum oculis subjicit, quem esse Gratiam Divinam comprobat, de cujus agit necessitate, ac de concordia cum libero arbitrio, rejicitque pestiferum Pelagianorum, & Semipelagianorum errorem, contenditque, Gratiam Divinam necessariam esse non solum ad perficiendum omne opus bonum, sed etiam ad inchoandum. Sentit postremo cum Ecclesia Catholica, cui adhaerent Syri omnes, Gratiam in statu praesenti viatorum nemini prorsus denegari.

Hinc quatuor Sermonibus, qui Tractatum quintum hujus Tomi conficiunt, docet, unicuique hominum quatuor ex caussis concessum esse liberum arbitrium. I. Ex summa Conditoris bonitate. II. Ex Divinae Justitiae aequitate nostrae voluntatis consensum petentis, & contumaciam severe punientis. III. Ex eo quod homini ratio & mens inest, qua vera a falsis dignoscit. Quare ex ipsa eorum de libertate disceptatione liberos eosdem esse concludit. Qua prope simillima ratione utitur D. Thom. 1. Part. Quaest. 83. art. 1. & in qq. de Verit. q. 24. de Liber. arbitr. IV. Demum ex communi hominum sensu, qui se nulla exteriori violentia, sed sponte, suoque arbitratu ferri sentiunt ad faciendum quodcumque faciunt.

Sequitur tertius Tractatus, in quo S. Ephraem adversus Judaeos diserte disputat, exprobrans eorum incredulitatem & eruditissime ostendens, in Persona Christi Jesu Prophetarum oracula adimpleta, qui ejus Adventum praedixerunt. S. Ephraem die Palmarum hunc habuit sermonem, sicuti ex ejusdem Titulo colligitur. Inde nihilominus inferendum non est, temporibus Ephraemi, seculo nempe quarto, Palmarum diem festum in Oriente celebrari solitum; anno enim post Christum natum quingentesimo, primum coli coepit, id propugnante Severo Patriarcha Antiocheno, Cod. Nitrien. Vatic. XXXIII. XXXIV. Homil. 125. & Josue Stylite, qui asserit, a Petro Edessae Episcopo an. Domini quadringentesimo nonagesimo octavo in Mesopotamiam ejusmodi solennitatem invectam. Ejus verba talia sunt: ܒܗ ܕܝܢ ܒܗܕܐ ܫܢܬܐ ܒܚܡܫܐ ܒܚܙܝܪܢ ܫܢܝ ܡܢ ܥܠܡܐ ܗܢܐ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܩܘܪܐ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܩܡ ܚܠܦܘܗܝ ܦܛܪܘܣ: ܘܐܘܣܦ ܥܠ ܥܐܕܐ ܕܫܢܬܐ ܥܐܕܐ ܕܐܘܫܥܢܐ. *Hoc eodem anno* [498.] *die* 5. *mensis Heziran* [Junii] *migravit ex hoc Seculo S. Cyrus Episcopus, substituto in ejus locum Petro; qui ad alias Anni festivitates, etiam festum Hosannarum adjunxit.* Neque aliter quis sentire poterit, etiamsi animadvertat, S. Ephraemum suis in Sermonibus Palmarum diem nuncupasse Festivitatem, aut celeberrimum diem, festorum ac temporum caput. Ideo enim diem illum ita nuncupat, non

non quod ea tempeſtate Palmarum eſſet, atque Olivarum Benedictio inſtituta, ſed quia praefato die ingreſſus Jeſu Chriſti triumphalis in Hieruſalem contigit, & quia fideles omnes more antiquitus accepto, eo die Quadrageſimali jejunio finem imponere conſueverant. Quapropter Hebdomadae Majoris jejunium a Quadragenario diſtinguebatur. Hac de cauſſa Feria ſecunda Palmarum ad praeſens uſque dicitur a Syris ܡܥܘܐ ܕܠܡܐܢܐ *Perfugii portus*, quaſi jejunantes ad finem jejunii pervenerint. Innuit idem S. Pater iis verbis, quae in exordio Sermonis leguntur: ܠܠܡܐܢܐ ܘܡܛܐ ܥܡܡܐ ܐܬܚܫܒܘ ܠܡܘܫܚܐ: ܥܒܪܘ ܡܒܚܬܐ ܠܐܬܪܐ ܕܠܐ ܩܢܛܐ: ܘܠܐ ܡܬܬܟܝܢ ܒܗ ܕܢܫܡܥܘܢ. *Freta transſtis, jam portum tenetis, ſuccedite in tutam fidamque ſtationem, unde ſecuris, omnique metu ſolutis dabitur inſanos pelagi aeſtus intueri.*

His adduntur Necroſima, ſeu funebres S. Ephraemi Canones variis metrorum generibus, de quibus conſule Aſſemanum loco ſup. cit., elaborati. Condidit ille hos Canones excitus amicorum non minus morte, quorum laudes Verſuum varietate texuit, quam extremi Judicii recordatione, cujus acerbitas ſemper ipſi ante oculos obverſabatur. Ejus vero animum ad id operis inflammavit ac prope rapuit Aëtii haereſis, qui Exequiarum decimas perſolvendas eſſe negabat, ut teſtes ſunt Epiphanius, haer. 75. & Auguſtinus haereſ. 53. Eorumdem Canonum, qui octoginta quinque ſunt, uno ſupra triginta utuntur Syri partim in officiis Mortuorum, partim in Officio Feriali. In reliquis vero quatuor & quinquaginta agitur de ſingulis Defunctorum gradibus. Puerorum videlicet, Juvenum, Virorum, Mulierum, Coenobitarum, Clericorum, Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum.

In hujuſce Tractatus decurſu quatuor ſunt memoratu digna. I. Ritum Exequiarum, quem in more habet Eccleſia vetuſtiſſimum eſſe; quod manifeſte convincit Canon primus. II. Defunctorum Animas vix a corporeis vinculis diſſolutas, ſtatim ad judicium accedere; quod impugnatur a Graecis, & Melchitis, Photii haereſiarchae Sectatoribus, ſed confirmatur a S. Ephraemo in Canone decimoſeptimo. III. Earundem, quae non lethali quidem, ſed levi culpa detentae ab hoc ſeculo emigrant, expiationem in igne Purgatorio fieri, cujus atrocitas Sacrificiis, precibus, piiſque Fidelium operibus imminuitur, ut in Canone decimoquinto. IV. Demum Sanctorum Animas ad aeternam felicitatem, atque Angelorum conſortium ante extremum judicii diem vocari, ut in Can. primo, tertio, quinto, & duodecimo.

Paraeneſes deinde ſequuntur, ſive hortationes ad Poenitentiam, quarum non exigua pars legitur in Officio Divino Eccleſiae Syriacae. Ibi enim S. Doctor crebra de Judicio extremo mentione, ac ſupplicii, quod impios manet acerbitate, in Chriſtianorum animis culpae lethali odium conatur ingenerare. Divinam etiam erga peccatores pietatem extollit, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis ad Deum ſeſe convertant, & veſtigiis inſiſtant hominum tum in Veteri cum in Novo Teſtamento clariſſimorum.

Haud

Haud absimiles his sunt reliqui duodeviginti Sermones a nobis in Tomi calcem rejecti, tribus prioribus exceptis, de Nativitate Domini, de ejusdem Passione & Resurrectione, & de laudibus Dei Genitricis Mariae, de quibus Petrus Benedictus, suo quibusque loco reddendis minime cogitaverat.

Tum vero adnectitur celeberrimus de Paradiso Tractatus, quem S. Ephraem in quindecim Sermones dividit, licet tribus ultimis, quia deleti sunt omnino, nullus captui ac interpretationi relictus sit locus; qua de re supprimendos censuimus. Heic vero de Terrestri Paradiso Sermonem habet, quem docet in loco positum editissimo, a quo saepe ad Caelestem transitum facit, quem ait, in Terrestris finibus collocatum. De hoc Tractatu Graece conscripto, qui nusquam locorum invenitur, Georgius Syncellus sic scribit in sua Chronographia edit. Paris. MDCLII. pag. 15. Καὶ ἵνα τῷ τοιούτῳ λόγῳ μάρτυρά τινα θεοφόρων διδασκάλων παραστήσωμεν. παρέστω ἡμῖν ὁ θεῖος Ἐφραὶμ, ἡ ὠκεανόβρυτος γλῶσσα, φάσκων ἐν τοῖς εἰς τὸν παράδεισον δογματικοῖς αὐτοῦ λόγοις οὕτως. πάντων τῶν ὑψωμάτων τῶν ὡραίων ὑψηλότερος ὁ παράδεισος. ὁ δὲ κατακλυσμὸς πρὸς τὰ ἴχνη αὐτοῦ ἔφθασεν. οἱ δὲ πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἄνθρωποι ἀναμέσον τοῦ ὠκεανοῦ καὶ παραδείσου οἰκοῦσαν, ἡ δὲ γενεὰ τοῦ Καΐν εἰς γῆν καλουμένην Ναΐδ, ἥτις μεθερμηνεύεται τρέμουσα, οἱ δὲ τοῦ Σὴθ εἰς τὴν ὑψηλοτέραν ἐντεταλμένοι ὑπὸ τοῦ Ἀδὰμ μὴ συμμίγνυσθαι εἰς τὴν γενεὰν τοῦ Καΐν τοῦ ἀδελφοκτόνου. In margine: Ζήτει τοῦ Ἐφραὶμ λόγον εἰς τὸν παράδεισον.

Atque ut hujus dicti Deiferorum Patrum testem aliquem producamus, prodeat nobis Divinus Ephraem, lingua, inquam, illa pelago eloquentiae scatens, dogmaticis suis de Paradiso Sermonibus hoc pacto disserens: Amoenis omnibus locis excelsis Paradisus elevatior: ad ejus vero radices diluvii pertigerunt aquae. Homines diluvio antiquiores inter Paradisum, & Oceanum sedes habitationi commodas obtinebant: Caini autem soboles omnis terram Naid, quae tremula exponitur, incolebat; Sethi vero filii, ne cum Caini fratricidae progenie commiscerentur, in excelsiore terrae parte ab Adamo jussi sunt consistere. Quaere Ephraemi Sermonem de Paradiso. Haec ille. Quicquid autem de Paradisi Terrestris loco sentiendum sit, ac de Terra, quam Cainus, Sethus, ejusque posteri inhabitarunt, lege Historicos Orientales, qui Arabice, vel Syriace scripsere apud Assem. Bibl. Orient. Tom. I. p. 84.

Tractatus hic scriptus est novo dicendi genere, ac prorsus poetico, quod Paradisum variis sub speciebus nobis exhibet, quem plerumque describit materialiter, ut rudi populorum captui se facilius accommodet. Ne erres hoc loco, admoneo, BENEVOLE LECTOR, cum a Sancto Patre accipis, Animas Fidelium Paradisi deliciis non fruituras ante Judicii diem; nam mens ejus est, perfecta tantum beatitudinis plenitudine, cujus etiam consors ac particeps sit Corpus, beatas nunc Animas carere. Hanc ejus esse sententiam ex eo constat, quod tam in laudatis Necrosimis, quam alibi sexcentis in locis praesentem Justorum Beatitudinem in Caelis agnoscit, ut videre est apud Cl. Virum Ludovicum Antonium Muratorium in Dissertatione de Paradiso, auro contra aestimanda, adversus Burnetum Cap. XX.

Postre-

Poſtremo, ne quid, AMICE LECTOR, in hac Syriaca Operum S. Ephraemi collectione deſideres, Acta ejuſdem S. Doctoris, quorum Excerpta edidit Aſſemanus Bibl. Orient. Tom. I. ex vetuſtiſſimo Codice Syriaco Nitrienſi Vaticano V. in Latinum ſermonem converſa, integra huic Tomo praemittere ſtatuimus. Id enim perficere nequivit Petrus Benedictus, ut ſibi in animo propoſuerat. Viſum a principio fuerat, adnotationibus eadem Acta noſtris illuſtrare. Sed ab hoc labore ſuperſedendum poſtea duximus; tum ne plus nimio hoc Opus excreſceret, tum quia, quae adnotanda potiſſimum videbantur, ea jam Aſſemanus ad Excerpta ſua adjecerat. Quicquid tamen e re erit, ſcito nos id omne cum iiſdem Actis appoſituros ad Vitas Sanctorum Orientalium, quas, favente Deo, quamprimum in lucem proferemus. Quod te, BENIGNE LECTOR, monitum volueramus. Interea his fruere feliciter, & vale.

A C T A
S. P. N. EPHRAEMI
S Y R I A C A
A V C T O R E A N O N Y M O

Ex Codice Nitrienſi Vaticano V. nunc primum eruta.

ܬܫܥܝܬܐ ܕܕܘܒܪ̈ܘܗܝ ܕܐܒܘܢ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܡܠܦܢܐ.

ܩܕܝܫܐ

I. *S. Ephraemi ortus & educatio in Vrbe Niſibi.*

SANCTUS EPHRAEM, cujus Vitam exponimus, genere Syrus, patre Niſibeno, matre Amidenſi natus eſt ſub Conſtantino, victore atque orthodoxo Imperatore. Pater idoli Abnil, quod inclytus Imperator Jovinianus poſtea confregit, in eadem Urbe Sacerdos fuit. Ephraem porro, Hieremiae ac Samuelis inſtar, de ipſo genitricis ſuae utero fuit electus; futurum enim aliquando erat, ut per ipſum cunctas Deus haereſes exſtirparet, & inſanientium haereticorum audaciam perfringeret. Reapſe autem univerſum terrarum Orbem ſuae doctrinae radiis illuſtravit, plurimoſque ex errorum tenebris ad verae fidei lucem adduxit. Itaque Divina gratia, quae ſibi Ephraemum ex hominum faece ſecreverat, eundem in ſuum clientem ado-

adoptavit, atque a profanis Sacrificiis, ritibusque patriae superstitiosis & immundis purum inviolatumque tutata est; cohibuitque, ne patrem, nefarias idoli Abnil ceremonias frequentantem, sequeretur. Quin & foedissimi Daemones puerum reverebantur, quum eosdem minime lateret, Divinam gratiam in ipsius mente altis defixam esse radicibus. Eum propterea apud parentes commorari aegre ferebant, licet ii filium ad idolorum delubrum pertrahere studiis omnibus eniterentur; quod tamen frustra moliti sunt, quum Divina puerum gratia pro virili obtegeret. Qua de re comprobatum de illo est, quod Ananiae de Paulo dictum fuit: *Vas electionis est mihi.*

Act. 9. 15.

II. *Patri, qui idolorum Sacerdos fuisse dicitur, simulacrum de sorte filii sciscitanti Diabolus respondet, illum domo pellendum.*

Id quum animadvertisset pater, puerumque cum quodam Christiano colloquentem in eadem Urbe casu deprehendisset, maxima indignatione commotus flagris misere illum caecidit; deinde, adesdum, inquit, puer improbe: interim hoc ego scelus expiatum eo, si forte meis placatum votis tibi reddam Deum. Fanum itaque ingressus, quum statis ceremoniis idolo litasset, oblatus illi Diabolus, cognitum quidem, ait, perspectumque nobis est tuum in nos studium atque benevolentia; nostraque a te solicite impenseque procurari Sacra, habemus gratiam; desine tamen nos adprecari, ut cum filio tuo in gratiam redeamus, quum ille hostis aliquando futurus sit nobis infestissimus. Quin ergo istum procul abigas, siquidem nos tibi propitios optas, teque contubernium & consuetudo delectat nostra. Tali oratione percitus vehementer pater, Ephraemum adoritur, & Ehodum, inquit, age, abjectaque omni cunctatione abscede, quaslibet terras pe-

[illegible]

te

[illegible]

te, ne inviſum unquam caput videam. Jam patent tua conſilia; Deorum hoſtis es meorum. De tanta patris indignatione nihil plane commotus eſt adoleſcens; quin potius ſe totum laetitiae tradidit, dum a paterna conſuetudine fugam, quam ipſe jam dudum exoptaverat, ſibi ex votis ſucceſſiſſe animadvertit. Quamobrem ne quid properantem retardaret, nudus inopſque e paterna domo ſeſe proripuit.

III. *S. Ephraem aedibus paternis excluſus ad S. Jacobum Niſibis Epiſcopum ſe confert.*

Ceterum anxius & anceps quas peteret terras, quove ſe reciperet, Divinae Providentiae ſe totum commiſit, quae illum ad Chriſtianorum Eccleſiam perductum, S. Jacobo Paſtori Chriſti, & ejuſdem Urbis Epiſcopo obtulit. Ille Adoleſcentem Chriſtianae legis inſtitutionibus excultum, in Catechumenorum collegium adſcivit: quo in loco Ephraem S. Jacobi veri Paſtoris Chriſti amorem, populique univerſi benevolentiam mirifice ſibi conciliavit; ejuſdem pietatem, continentiam, & religioſae vitae inſtitutum omnibus demirantibus. Interea egregiis Sancti Paſtoris moribus Puer perfecte imbuebatur, quem S. Paſtor auditorem habere, & apud ſe retinere plurimum gaudebat. Quare ſub tanto Praeceptore ipſe Caeleſtis gratiae praeſidio adjutus Divina eloquia, & Pſalmos Davidicos celeriter didicit. Hinc caritas & pax Chriſti diffundi coepit promiſcue in cordibus Cleri, & Fidelium, juxta quod ait Dominus in Evangelio: *Beatus Servus, per quem nomen Domini ſui glorificabitur.*

IV. *Stuprum Ephraemo imputatur.*

Hunc vitae curſum tenebat Ephraem, quum, incitante Daemone, infenſiſſimo virtutis hoſte

ſte, ſcelerumque omnium machinatore, atrox in ipſum calumnia repente conflatur. Habebat Niſibis Eccleſia Æditℎuum ipſi Ephraemo cognominem. Hunc Daemon, ut propudioſum crimen Ephraemo intentaret, hac via ſubornavit: Puellam Aedituus, cujuſdam Optimatis filiam, ipſo Daemone veſani amoris faces admovente, perditiſſime deperire coepit. Hanc ille opportunam nactus occaſionem, clanculum conſtupravit; veritus tamen, ne turpiter per omnium ora traduceretur, puellam admonuit, ut parentibus, ſi forte facinus innotuiſſet, ſuggereret, illum Ephraemum Epiſcopi diſcipulum ementitae pietatis affectatorem, quem ipſi ceu virum probum modeſtumque ſummopere praedicabant, ſtuprum ſibi intuliſſe. Quum itaque die procedente filiae ventrem intumuiſſe, gravidamque eam eſſe animadvertiſſet pater, ſtupri auctorem a puella ſciſcitatur. Illa rem geſtam, prout ab Aedituo didicerat, ſingillatim exponit, aureſque ſecundas nacta, tantam invidiam odiumque Dei ſervo creavit, ut eum quaſi fraudulentum religionis oſtentatorem, & flagitioſiſſimum multi una cum puellae parentibus apud Epiſcopum arceſſerent. Stupuit ad haec ſanctiſſimus Paſtor, fraudemque aliquam ibi ſuſpicatus, Deum prius conſulendum eſſe reſpondit: a quo tamen nullum reſponſum accepit, ſancto Ephraemo enixis apud Deum precibus inſiſtente, ne hujuſcemodi inſidias ulla ratione Paſtor deprehenderet. Epiſcopus ergo accerſito Ephraemo, Eſt ne, inquit, fili,

[illegible]

li, unde ſceleris hujus conſcientia tenearis ? Ille quum apud ſe nec crimen fateri, neque inficiari propoſuiſſet, conticuit. Quum autem inſtantius urgeret Epiſcopus, Ephraem defixo in terram vultu, ſubmiſſa voce, peccavi, ait, ita eſt Pater. Id autem Epiſcopo non perſuaſit : adeo cognitos perſpectoſque habebat adoleſcentis Divinos mores. Eo igitur maxime fluctuante, quidve conſilii in tanta rerum viciſſitudine ſibi capiundum foret adhuc ſecum animo volvente, puellae pater, quem filia ex ſtupro pepererat, infantem ad Epiſcopum detulit, Cleroque univerſo audiente Ephraemum convenit, & eja, inquit, tolle filium tuum, ipſumque educato. Ingemuit Ephraem, ſuſceptoque puero has ad miſerabilem ſonum inflexas edidit voces : Peccavi, Patres mei, ſic plane res ſe habet. Quis, cariſſimi mihique amiciſſimi Fratres, enarrare valeat probra ac contumelias ſanctiſſimo juveni tunc temporis impactas ? Quis verbis ſatis exprimat mirificam, quam ex conviciis non ſine aliorum indignatione percipiebat, voluptatem ? Quis non ſtupeat, B. Ephraemum contemplans puerulum in brachiis geſtantem, & lac huc illuc pro ipſius alimento quaeſtuantem ? Nemini profecto dubium eſſe poteſt, quin tam ſublimem patientiae gradum Deo auſpice attigiſſet. At vero inſomnis ille oculus, ſuoque ſemper operi intentus, poſtquam ſervi ſui conſtantiae eo ſane difficillimo conflictu periculum fecit, Ephraemo injecit in mentem, ut rem attentius expenderet intelligeretque, ipſi nequaquam per Deum fas eſſe, talem populo offenſionem praebere, aut ſua compendia communi Eccleſiae diſpendio exercere ; ipſique ſtatim ſubiit memoriae Evangelicum illud effatum : *Vae homini illi, per quem ſcandalum venit.* Convenerant de more die Dominico ad ſtatas preces in Eccleſia cum Epiſcopo Clerus, & populus. Hanc nactus occaſionem Ephraem, quem in ulnis geſtabat, infantem conventum ingreſſus cunctis oſtendit. Paſtorem

Matt. 18. 7.

rem rogat, ut sibi suggestum conscendere liceat: quum ultro annuisset Episcopus, in cathedram subit, indeque infantem contra Altare elevans, magna cum vocis contentione, adjuro te, inquit, per Domini nostri Jesu Christi fidem, qui Caelum terramque, & omnia ipsorum spatium ambientia condidit, ut veritatem proferas, quove patre ortus sis clare edisseras. Ad haec puer, frequentissimo populo audiente spectanteque, haec protulit verba: Ephraem Ecclesiae Aedituus est meus pater. Quae quum tertio iterasset, repente exanimatus concidit. Hae pueri voces universum coetum timore maximo perculerunt, omnesque lacrymis se tradentes, & faciem tundentes suam exclamabant: Vae vae nobis, qui insignem virum Ephraemum injuriis lacessivimus, ignominiosisque calumniis oppressimus! Quidnam boni a Deo sperandum nobis superest, postquam innocentissimo homini tam ferociter insultavimus? Inde singuli una cum Patre puellae, quae praeteritae vitae ignominiam improbabat, ad ipsius pedes procubuerunt, veniam cum fletibus postulantes. Porro verus Christi Pastor S. Jacobus Episcopus, & S. Ephraem pro Clero, & populo deprecantes, omnibus a Deo veniam impetraverunt. Deinceps vero B. Ephraem in summa sanctitatis fama apud omnes viguit, cunctique ipsum colere atque adamare instituerunt; ille interim fidelissimo Pastori semper adhaesit.

V. *A S. Jacobo ad Nicaenam Synodum ducitur.*

Hac igitur falsae accusationis procella B. Ephraemo defuncto, paucis post diebus erupit execrabilis Arii Haeresis, cujus in Filium,

[illegible]

um, Divinumque Spiritum obtrectationes totas Aegypti regiones concitarunt. Quae de sceleftissimo hoc capite quum ad Constantinum Imperatorem celeriter nunciata essent, Oecumenicam Episcoporum Synodum Nicaeae convocari jussit, ad quam B. Ephraem una cum S. Jacobo Episcopo Nisibeno, ceterisque aliarum Urbium Episcopis profectus est. Lata novissime adversus impium Arium, ejusque fautores & adseclas depositionis, anathematisque sententia, Synodus soluta est, Episcopis suas sedes laeto animo cum gratiarum actione repetentibus. Jacobus quoque Episcopus, qui principem dignitatis locum ea in Synodo tenuerat, & in maxima apud Graecos, Imperatorisque Praefectos celebritate vivebat, reversus & ipse est cum B. Ephraemo Urbem Nisibim de lata, Deo opitulante, in Arium victoria exultans. Interea B. Ephraem plurimum sanctitate procedebat, scientiaque spiritus, & Divinis aliis donis quotidie magis augebatur. Sacrorum Codicum lectioni assiduo vacabat, hoc unum sibi propositum habens, ut non intermissa hac consuetudine suum virtutibus scientiaque animum excoleret. Carnem asperrimis jejuniis torquebat: in Oratione sedulus, in patientia continentiaque pervigil; humilis, castus, innocens, sapiens, uno verbo perfectus, virtutibusque omnibus expolitus jussa fidissimi Pastoris summa cum prudentia perficiebat.

VI. Nisibis obsidio precibus SS. Jacobi & Ephraemi solvitur. Persae obsessores fugantur.

Post haec, quum extincto Constantino, suis victoriis clarissimo Imperatore, filii ejus summa rerum potiti essent, Sapor Persarum

rum

rum Rex, audita Constantini morte, ingenti exercitu Nisibim obsedit; jamque oppugnatio ad septuagesimum diem protrahebatur, quum extemplo Barbarus fluvii Urbem adlambentis aquas intersecari jussit. Qua de re tumultus ingens exortus est; amnis siquidem aggestam aquarum copiam magno impetu effundens, in murum Urbis irruit, qui quum aquarum vim sustinere minime posset, dirutus concidit. Hujusmodi artificio existimavit Sapor, se Urbe facili negotio potiturum. Hoc interim spatio S. Jacobus Episcopus, Beatus Ephraem, omnisque populus in Ecclesiam convenerunt, ubi pias fundebant preces pro angustiis Civitati impendentibus avertendis; quin tamen desisteret S. Pastor ab inflammandis pugnantium animis, ne inopinata amnis eluvione effracti, segnius remissiusque rem gererent. Quocirca cives consilio B. Jacobi murum alterum interius substruxerunt, super quem excubantes suo ordine milites collocarunt. De moeniorum subversione magnopere gavisus est Sapor, ratus, nihil jam sibi obesse, quominus Urbem in sui ditionem redigeret; at ubi alterum sibi murum superandum relinqui animadvertit, de victoriae spe omnino decidit. Potissimum vero illum perculit horribilis quaedam suis oculis objecta species, qua hominem vidit ad Regiam Majestatem compositum, Solisque instar fulgentem in arcis moenibus excubare; putavit nimirum, Romanorum Imperatorem intra Urbem adesse. Tum vero vehementer stomachari, conceptamque indignationem in exploratores effundere, qui

[illegible]

[illegible]

qui Romanorum Imperatorem Antiochiae verſari eidem retulerant, falſo ſibi perſuadens, hunc Niſibenis auxilio veniſſe. Terrorem autem, quo Rex exagitabatur, non ab homine, ſed a Chriſtianorum Deo incuſſum ipſi fuiſſe, noviſſime conſtitit. Sapore itaque in hiſce rerum aſperitatibus conſtituto, Beatus Ephraem a ſanctiſſimo Paſtore flagitat, ut per ipſum ſibi muros aſcendere, & inde Perſas juſtae imprecationis jaculis confodere liceret. Epiſcopo annuente, ſubit in muros, oculiſque in Caelum ſublatis, orat Deum, ut culices cynipheſque in hoſtes immittat; unde Divinae potentiae vim & numen intelligant, nec opis illam egere noſtrae, quando tam exiguo apparatu bellum conficeret. Nec dum orandi finem fecerat Dei ſervus, quum ex improviſo collectae undevis addenſataeque culicum cyniphumque nubes, Perſarum caſtris incubuere, quorum aculeis perſtricti Equi Elephanteſque, intra quorum nares ſeſe inſinuaverant, excuſſis loris, hoſtium caſtra confuſione compleverunt. Cognita tunc ultione ſuis cervicibus impendente, nullum ſibi effugium reliquum eſſe adverſarii intellexerunt, quum ibi digitus eſſet Dei. Quamobrem Sapor Rex obſidionem ſolvit, indeque tumultuarie cum exercitu receſſit. Ceterum communis omnium ſententia fuit, Urbis, ipſiuſque civium incolumitatem B. Ephraemi precibus eſſe tribuendam.

VII. S. Jacobi, Epiſcopi Niſibeni, obitus.

Haec dum geruntur, paucis diebus interjectis S. Jacobus Niſibis Epiſcopus, plurimarum virtutum praeſidio ac comitatu migravit ad Dominum, de cujus morte B. Ephraemus, omniſque Clerus &

& populus valde doluerunt. Ejus corpus a B. Ephraemo digno honore tumulatum est.

VIII. *Juliani Apostatae imperium & mors.*

Per idem tempus obiit quoque filius & successor Constantini Imperatoris Victoris; quo sublato, in lucem prodiit scelestissimi Juliani Apostatae impietas, quae universas Christianorum Ecclesias acriter commovit. Enimvero quoad perversus ille fidei eversor regni clavum tenuit, idololatrarum superstitionem sequutus, infensissimam ubique persequutionem adversus Orthodoxos agitavit, quorum sacra Templa solo exaequavit, in delubris extruendis unice intentus, ita ut insanus simulacrorum cultus, fusus jampridem eliminatusque coeperit iterum convalescere. Verum homo flagitiosissimus poenas pro meritis sustulit; nam quum in Persidem descendisset canis ille, eodem, quo Jesum ejusque Divinitatem impio ore lacerabat, tempore, ictus fulmine interiit. Respirare exinde Christiani omnes, & a metu caedis reviviscere coeperunt. Porro illius cadaver Jovinianus Imperator fidelis, ejusdem jure haereditario successor, linteo involutum secum Nisibim asportavit. Postmodum vero pacem cum Persarum Rege inivit.

IX. *S. Ephraem Nisibi discedit, & ad Romanorum terras, ubi baptizatur, anno aetatis XXVIII. postea Amidam proficiscitur.*

Quo tempore haec Nisibi agebantur, praesens in Urbe aderat B. Ephraem, ubi tamdiu mansit, donec eadem in Persarum potestatem concederet. Tunc enimvero Nisibenis valere jussis, in Romanorum terras secessit, & accepit signaculum Baptismatis duodetrigenarius ab uno ex sanctis Patribus, indeque in Urbem Amidam commigravit.

Nec

X. *Edessam petit.*

Nec tamen diuturna Amidae mora Ephraemo fuit, Edessam nempe Mesopotamiae sacram Urbem properanti: quam quum ex longinquo prospexisset, positaque in ejusdem suburbiis Coenobia fuisset contemplatus, tantam ex eo aspectu voluptatem cepit, ut nulla adjecta deliberatione, ibidem suum figeret domicilium, quoad vita suppeditaret, quin alias regiones conquireret.

XI. *Mulieres lavantes offendit: cujusdam illarum ad Ephraemum sapiens responsum.*

Alluit Edessam amnis, *Daisan* incolae vocant, cujus ad ripam quum Urbem prope ingressurus Ephraem constitisset, quaedam mulier (aderant autem eo in loco complures lintea aquis purgantes) defixis in hominem parum modeste oculis, Dei servum adspectabat. Cui indignatus ille, itane, inquit, femina pudorem exuisti? quin humum, ut pudicam decet, despicis? At illa: Quin tu, vir quum sis, humum despecta, qui ex humo concretus es, ego vero si te intueor non me pudet; ex te enim a principio desumta fui. Mulieris sagacitatem admiratus Ephraem, ita secum ipse reputabat: Si hujus loci feminae tam sagaces sunt, quanto sagaciores putari viros decet?

XII. *S. Ephraem Balneatori operam suam locat.*

Edessam tenebat Ephraem: ne vero desidia & inerti otio torpesceret, artificium, quo victum sibi pararet, quaerebat; & quando nullum ipse didicerat, visum fuit interim operam suam cuidam Balneatori locare. Ea tempestate Edesseni plerique Idolorum insana religione tenebantur; quamobrem B. Ephraem subcisiva tempora, quae scilicet a suscepti laboris rationibus vacabant, ad Paganos erudiendos, & ad virtutis semitam edo-

edocendos conferebat. Quod quum assidue faceret, casu accidit, ut probatissimus Monachus senex, dum per urbem ad sua negotia discursitat, B. Ephraemum cum Pagano disputantem audiret.

XIII. *Congressus S. Ephraemi cum quodam Monacho, cujus suasu in montem secedit.*

Ea re subossensus Monachus, Ephraemum rogat, Cujas es, fili? Quum autem ab illo totius anteactae vitae suae rationem didicisset, adhuc instat; Ecquomodo, fili, licere tibi existimas cum Ethnicis versari, Christianus quum sis? An in seculo morari apud te statuisti? Cui Ephraem: Nequaquam, Pater. Tunc Monachus: Aequum est ergo, fili, quantocius tuae saluti te consulere. Quare utile consilium ex me accipe, & in montem ad Monachos pergito, ibique alicui ex senioribus adjungere, qui te ad Christianae virtutis perfectionem fastigiumque pertrahat. Quae quum libentissime audivisset comprobassetque Beatus Ephraem, senem sequutus in montem subiit, ibique assumto Monachorum habitu, in speluncam secessit, ubi jejunio & orationi intentus, Divinas quoque Scripturas diurna nocturnaque versabat manu. Cui & donum Interpretationis, Divinorumque Librorum clarissima notio concessa est, eo fere pacto, quo Catholicae Fidei Promulgatores Apostoli divinitus acceperunt; ex quo factum est, ut Caelesti ille doctrina excultissimus, divina omnibus vitae praecepta, institutionesque traderet.

XIV. *Narratur cujusdam Monachi visio, qui sibi ostensum dicebat Volumen, ab Angelo B. Ephraemo destinatum.*

Interea quum nocte quadam sanctissimus ille Senex, qui Ephraemum ad montem adduxerat, e cella pedem extulisset, Angelum Domini videt e Caelo labentem, manu-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

manuque Volumen, intus & a tergo ſcriptum praeferentem: auditque ejuſdem Angeli voces, quaſi alterum Angelum alloquentis: Ecquem putas a me hoc libro muneratum iri? Quumque illi reſpondiſſet, Origenem arbitror Monachum in Aegyptiaca Eremo morantem: Ait Angelus, qui Codicem tenebat: Non ita mihi injunxit Deus. Et rurſus, quemnam, inquit, hoc Volumine dignum cenſes? Cui alter Angelus: Julium puto Monachum, qui in terris Aquilonaribus conſedit. At ille, immane quantum aberras: Nemo eſt hoc tempore, cui Codex iſte jure optimo debeatur, niſi Ephraem Syrus Edeſſeni montis accola.

XV. *Heic inſeritur viſio de palmite, qui e lingua Ephraemi adhuc pueri enaſci viſus eſt.*

Dictis conſentiunt, quae de eodem B. Ephraemo circumferuntur, & ab ipſo in ſuo Teſtamento paucis indicantur. Quum Ephraem puer in ſinu matris jaceret, viſus eſt adnaſci ejus linguae palmes: qui quum illico ad Caelum uſque increviſſet, botrorum myriadas, acinorum autem myriadas myriadum protulit; Racemi nempe Tractatus, acini vero Hymnos a S. Viro elucubratos indicabant. Gloria propterea Deo ſit, qui per Ephraemum loqui dignatus eſt. Porro notatu dignum eſt, Senem illum ſanctiſſimum in viſione, qua illi ſeſe objecit Angelus Codicem manu ſuſtinens, non intellexiſſe, B. Ephraemum electum eſſe Dei Angelum.

XVI. *Monachus, qui Sancto Ephraemo ſuaſerat ſeceſſum, ipſum inviſit; Commentarios in Pentateuchum ſcribentem reperit.*

Cum in hujuſmodi curas incumbit Ephraem, profectus aliquando ad eum viſendum laudatus Senex, reperit ſcribentem commentaria in libros Moyſis (ſcripſerat autem Expoſitionem in Geneſim, eaque

eaque absoluta Exodum explicare coeperat.) Quae quum accurate perlegisset, vehementi admiratione perculsus, respectabat opes Divinae gratiae, & eximios sapientiae Caelestis thesauros a Domino in B. Ephraemum effusos. Ita demum certior factus, Divinam plane extitisse visionem, quae antea ipsi oblata fuerat, subreptas e cella B. Ephraemi lucubrationes, Urbis Optimatibus, Scholarumque doctoribus, & eorum auditoribus, atque universo Clero perlegendas explorandasque exhibuit. Illi vero egregiam eruditionem & doctrinam Scriptoris laudantes, gratulabantur Seni eximium opus, illud ex ejus ingenio prodiisse arbitrati. At ille, non ego, inquit, ut opinamini, hunc librum dictavi, aut scripsi, sed Ephraem Monachus. Dictisque fidem adstruere cupiens, visum, quod olim sibi objectum fuerat, continuo narravit.

XVII. *Popularem plausum fugiens & solitudinem quaerens ab Angelo arguitur.*

Hoc itaque probatissimi Senis testimonio & oratione commoti Edesseni ad Ephraemi speluncam confluxerunt. At ille facti concursus caussam suspicatus, extemplo a spelunca in densam & asperam sylvam vicinae vallis se abstrusit. Hoc modo ex eorum manibus dilapsus, latebras quaeritabat. Sed Angelus Domini fugientem adsequutus, Ehodum Ephraem, quo tandem, & unde? ait: Cui Ephraem: Secessus & otium quaero, seculi istius procellosi aestus & naufragia metuens. Cui Angelus: Cave, ne de te narretur, quod scriptum est, *Ephraim vitula: jugum ab humero suo repulit*. At Ephraem lacrymabundus: Non ego, inquit, is sum, cui tanti oraculi verba accommodes. Cui Angelus: Nemo accendit lucernam, &

Os. 10. vers. Syr.

[illegible]

[illegible]

& ponit eam sub modio, sed super candelabrum. Hoc itaque oraculo confirmatus Ephraem, Edessam descendere, & populo se offerre constituit. Quumque ad Urbis portam pervenisset, paulisper constitit, sublatisque in Caelum oculis, sic Deum cum singultibus oravit: Domine Deus, qui sanctis Apostolis in Daemones, & immundos Spiritus potestatem contulisti, tuique Sancti Spiritus donis illos instruxisti, ut Diabolum, omnemque ejus vim calcarent; tuum, quaeso, robur mihi adjice, ut haereses omnes adversus veritatem insurgentes perdam. Haec precatus, per portam, quae solem orientem respicit, Edessam intravit, inclinante jam die. Quamobrem in proximam turrim moeniorum Urbis divertens, eo in loco noctem exegit, quae brevissimo somno supererant, horas orationi impendens. Ubi postera affulsit dies, illico in publicum processit. At Edesseni, quibus Ephraemi fuga innotuerat, eundem conspicati modo palam per vicos & compita libere discurrentem hominem irridere, & veluti vulgi plausus aucupantem, inanisque gloriae cupidum incessere coeperunt. Scilicet, ajebant, hic ille Ephraem est, qui hesterno die a nobis quaesitus fugam simulabat, latebrasque se amare profitebatur; modo nec quaerentes, nec dum cogitantes inexspectatus nos occupat. Haec quosdam impulere, ut Dei servum accerserent ad Urbis Rectores, Virosque e Clero doctos, ut in hominem inquirerent, ejusque conditionem atque statum cognoscerent, nequicquam reluctante Ephraemo, & summa cum animi demissione orante in hunc modum: Patres, & Fratres, date, quaeso, veniam; ego ipse sum, quem quaerebatis, Ephraem. At frustra: illi enim in concepta semel opinione obfirmati, & ex humili corporis habitu cetera aestimantes, eum esse indoctum aliquem & agrestem Eremicolam arbitrabantur. Quum vero praeter om-

omnium exſpectationem gratiam ipſi divinitus infuſam, ac Caeleſtem ejus ſapientiam inquiſitione facta deprehendiſſent, eamque cum pari modeſtia, atque animi demiſſione conjunctam modo recognoſcerent, incredibile dictu eſt, quanto ipſum amore illico proſequuti fuerint, quantumve deinceps coluerint.

XVII. *Edeſſam reverſus ab Haereticis male accipitur, & lapidibus pene obruitur.*

His vero attulit non leve momentum, quod dum Ephraem in Urbe procul a ſua eremo diſtinetur, indidem ad ſua negotia Edeſſam acceſſit Monachus, Divinis, quibus frequenter illuſtrabatur, viſionibus celebris: qui quum in B. Ephraemum caſu incidiſſet, in magna populi frequentia palam, & alta voce praedicabat: Hunc, quem videtis, Monachum aeternae mentis conſilio fuiſſe ad omnes haereſes evertendas, & ad purgandam Eccleſiae aream, ſecretis ex tritico zizaniis, deſtinatum; propterea que ipſi accomodatum iri illa Domini verba: *Ignem veni mittere in terram*. Haec & hujuſmodi alia ſubodorati olim nequiſſimi quidam ethnicae ſuperſtitionis Patroni, adſcitis in ſocios ſceleris Haereticis, facta manu, vi armiſque Dei ſervum aliquando adoriuntur, flagriſque peſſime acceptum, lapidibus etiam, quum forte ex eorum manibus dilapſus eſſet, pene obruerunt.

XIX. *Seceſſum repetit, Scriptioni ſe dedit, & adverſus naſcentes haereſes ſtylum ſtringit.*

Ea de cauſſa ſemianimis relictus Ephraem, ſubſtitit in loco, donec aliquantiſper convaleſceret. Tum demum ad antiquum domicilium in montem reverſus, & opportunum otium nactus, Sermones, & Epiſtolas complures acri, & vehementi ſtylo conſcripſit, quibus haereſes omnes confutavit, & plures ea labe conſperſos ad Orthodoxam fidem revocavit, omnibus

[illegible]

bus ejusdem doctrinam, & prodigia, quae ab eo patrabantur, demirantibus.

XX. *Discipulos colligit, & docet.*

Sed etsi ad audiendum B. Ephraemum convolarent plurimi, insignes tamen prae ceteris ejus discipuli celebrantur, Zenobius Ecclesiae Edessenae Diaconus, Isaac, Simeon, Abraham, & alii, quos consulto praetermittimus, qui secundum traditam sibi sapientiam, Sermones, & Interpretationes, seu Commentaria scripserunt, Divinoque lumine illustrati plurimis mortalibus veram lucem, & sempiternam beatitatem attulerunt.

XXI. *Ephraemi desiderium videndi Basilium & de eodem visio.*

Percrebuerat hoc tempore Basilii Caesareae Cappadociae Episcopi fama. Inde vehemens desiderium B. Ephraemum subiit tantum Virum invisendi. Verum antequam se itineri committeret, Deum rogabat, ut quantus qualisper Vir esset Basilius ipsi planum faceret. Annuit votis Deus, & oranti Ephraemo oblata est e regione Altaris species columnae altitudinis immensae, adeo ut jungeret Caelum terris, vocesque hujuscemodi exauditae sunt: Qualem vidisti columnam igneam, talem credito esse Basilium. Istud oraculum cupiditatem videndi Basilium, qua dudum Ephraem exardebat, vehementius inflammavit. Distulit tamen in Cappadociam iter, dum alterum ad Aegyptios Monachos cogitat.

XXII. *Navigat in Aegyptum, tempestatem in itinere sedat, & monstrum necat.*

In Aegyptum itaque transmissurus, navim conscendit, adscito in socium itineris ex suorum auditorum numero Graecae linguae interprete. Jamque in altum processerat, quum inhorrescens mare, paulatim attolli, majoresque in singula momenta ciere fluctus crescebat-

ſcebatque tempeſtas luctantibus inter ſe ventis, & aquarum gurgites altius arrigebantur, & cum eiſdem navis, quae ſtatim dehiſcente unda ad ima deprimebatur. Quumque eſſet omni conatu potentior calamitatis moles, deliberabant nautae ſuam pelago ſalutem fidere, haud dubio naufragio. Heic B. Ephraem ſocios vicinae mortis metu conſternatos animadvertens, bono eſſe animo jubet. Fratres, ajebat, exuite metum: ſalvos & incolumes vos eſſe omnes praecipit Deus. Qui B. Pauli navim incolumem praeſtitit, noſtram quoque procul dubio ſervabit. At nautae Viri, quem ſecum vehebant praeſtantiam ignorantes, & humili deſpectoque corporis habitu decepti, Dei ſervum velut hebetem, aut amentem contemnebant. Ephraem de ſociorum formidine permotus, ut qui exiſtimarent, nullum ipſis a Deo praeſidium in praeſenti periculo fore, diſpanſis manibus ad Deum exorandum ſe convertit: mox pelagus increpans: Tu vero, inquit, conquieſce: ſic jubeo per Jeſum Chriſtum, qui ſalutaris ſuae diſpenſationis tempore, ſuo te verbo compeſcuit. Vix dum dixerat, quum venti, qui in lubricos & contrarios curſus navim rapuerant, turbaverantque mare, utrumque deſtituere ſimul omnes: turbulentiſſimumque hyemem pax ſubita conſequuta eſt. Quae quum praeter omnium ſpem accidiſſent, nautae, & quicumque eadem navi vehebantur mercatores aliique epibatae maxima admiratione perculſi, ſeſe ad ſervi Dei pedes abjecere, omnium ſalutem in eo uno poſitam agnoſcentes. Tu nos, ajebant, haud dubio naufragio hodie eripuiſti. Ex hoc facto incredibile eſt quantum creverit B. Viri apud omnes celebritas & admiratio: quam etiam mirum in modum auxit alterum oſtentum. Nam quum ſecundis ventis aliquos dies navigaſſent, ecce immane monſtrum bellua marina infeſto curſu in navim invadit. Ea res quum omnes

[illegible]

ingen-

[illegible]

ingenti metu trepidationeque concuſſiſſet, S. Ephraem obviam monſtro factus, illi ſignum Crucis oppoſuit. Continuo bellua diſrumpitur, & cadaver exangue fluitare coepit. Sic ingentem metum atque conſternationem admiratio par, & exſultatio excepit; ad rei novitatem cunctis in ſtuporem adductis, & exundantem non ſatis animi laetitiam capientibus. Quamobrem Deo ſoſpitali gratias egere eo majores, quod paucis poſt diebus portum incolumes omnes tenuerunt.

XXIII. *Nitrienſe deſertum cum ſuo interprete ingreſſus, Peſois Abbatis colloquio fruitur.*

Tum demum ſociis valedicens Ephraemus, Aegyptiacam Eremum, quod jamdudum habebat in votis petere, Monachoſque ibidem morantes viſere conſtituit. Antinum ergo Urbem progreſſus, indigenis viam praemonſtrantibus, Eremum una cum comite & interprete ingreditur. Monachum ibi a Deo electum Peſoën quodam abditum in ſpecu reperit. Sed quum nec Peſoës linguam Syriacam, nec Ephraem Aegyptiacam didiciſſet, utrique divinitus conceſſum eſt quod petebant, ut Peſois quidem Syriace, Ephraem Aegyptiace expeditiſſime loqueretur. Vix percipi poteſt quanta animi laetitia B. Ephraemus S. Peſois aſpectu & colloquio affectus fuerit, memor accepti in montibus Edeſſae oraculi, futurum ſcilicet, ut ipſe parem in Caelo cum Peſoë mercedem reportaret. Porro Ephraem cum Peſoë ad ſeptem dies commoratus eſt, altero alterius congreſſu magnopere proficiente.

XXIV. *In deſerto Aegypti octo annos commoratur, ubi plures ab Ariana Haereſi avertit, Copticam ſeu Aegyptiacam linguam divinitus edoctus. Arianum Monachum confundit, & ab obſidente Daemone liberatum ad Orthodoxae fidei veritatem convertit.*

Jam vero quum B. Ephraem in alias Aegypti regiones feſtinaret, a ſanctiſſimo Abbate Peſoë digreſſus, dum Aegyptum circumluſtrat, octo annos conſumſit. Nec interea ab

ab adjungendis Chriſto hominibus, excitandiſque ad ſtudium verae pietatis unquam deſtitit; praeſertim poſtquam ingentes per id tempus in Aegypto turbas permoverant variae haereſes, Monachoſque complures Arii Alexandrini peſtilentiſſimus error infecerat: quibus ad Orthodoxam fidem ducendis, ſuam operam S. Ephraem impendit, & Aegyptios vernacula ipſorum lingua coram revincens, & ſcriptis eodem ſermone libris docens, plurimos ad ſaniorem mentem traduxit. Monachus erat in Aegypti ſolitudine celebris, qui ſuſcepto Arianae haereſis patrocinio, plurimos ad Arii partes abſtraxerat, maleficiis praeſtigiiſque, quibus maxime valebat, ab Orthodoxorum coetu ſeductos. Ille Beatum Ephraemum cum quodam Monacho de religione colloquentem quum forte offendiſſet, aegerrimeque ferret, ſuae diſciplinae alumnum ad Orthodoxam fidem ab extero illo Monacho allici, inſanis in ſanctum Virum modis invectus eſt. Hic autem divinitus admonitus, voces non ab homine elici, ſed a Daemone peſſimo ejuſdem hoſpite, Daemonem invadit, & heus tu, inquit, integritatis juſtitiaeque hoſtis, obruat te Divinae virtus omnipotentiae. Deſine jam ejus figmento abuti talia effutiens. Extemplo Daemon obmutuit; Monachus vero terrae afflictus, manus pedeſque miſerandum in modum quaſſabat collidebatque. Quae res Monachos undique ad ſpectaculum concivit: malefici enim Senis fama late loca pervaſerat. Omnibus vero infelicis Monachi caſum commiſerantibus, Dei ſervus quum ejuſdem infortuniis magnopere

[illegible]

pere indoleret, Daemonem iterum increpat, illique Crucis signum intentans, Apage, inquit, nequissime spiritus, ab hoc Dei figmento: Sic praecipio in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui propter hominum salutem suspensus Cruci est. Dixerat: confestim nequam ille spiritus aufugit. Ephraem miserum Senem humi adhuc jacentem porrecta manu allevat; deinde admonitum, ne in posterum insaniret, Orthodoxorum gremio restituit.

XXV. Ex Aegypto Caesaream Cappadociae contendit, & Basilium convenit.

Haec dum in Aegypto peragit B. Ephraem, octo anni exacti sunt. Tum demum, quod jamdiu moliebatur iter, ad Basilium ingredi constituit; ab Aegyptiis propterea avulsus navim ascendit Caesaream trajecturus. Festis autem Epiphaniae Domini diebus Caesaream pervenit; Quumque ibi Basilium quaereret, audit, eum in Ecclesiam postridie esse venturum. Mansit itaque S. Vir in medio Urbis, absque eo quod ab ullo exciperetur; pernoctavitque in quodam vico una cum discipulo, quem secum interpretem adduxerat. Mane vero diei sequentis, qui festus erat Epiphaniae, Ecclesiam petiit, cujus in angulum abditus vidit Sanctum & electum a Deo Basilium Magnum super thronum eximio fulgidoque apparatu ornatum, splendidis amictum vestibus, gerentemque in capite pretiosam atque insignem tiaram, frequenti stipatum Clero. Perspecta B. Ephraem throni Basilii gloria majestateque, ad discipulum conversus, timeo, inquit, ne huc incasso prorsus labore convenerimus. Nam si nos, qui mundi opes despeximus, & portavimus pondus diei & aestus, servi nihilominus

minus inutiles omnino ſumus, quî fieri potuit, ut Vir hic inſignibus, niviſque inſtar, nitidis veſtibus indutus, tanta Cleri multitudine circumſeptus, totque inter honores, ſanctitatis apicem pertingeret? Id profecto percipere ſatis nequeo, inanemque rumorem eſſe arbitror, quod de hujuſce Viri praeſtantia nunciatum jampridem nobis eſt. Haec S. Ephraem alloquutus, totum ſe triſtitiae tradidit, quum videret S. Baſilii perfectionem, egregiaſque animi dotes, donec hae ſibi divinitus oſtenderentur, attingere ſe nullatenus potuiſſe. Quare de re, ut exulcerato animo quoad ejus fieri poſſet, morem gereret, denuo ad diſcipulum converſus, Fili, ait, cariſſime, non ignoramus, quam leves ex noſtris laboribus atque deſpicientia fructus collegerimus. At vero quomodo Vir hic, honoris ſplendoriſque magnitudine abundans, columna illa ignea eſſe poteſt, quae mihi quondam oranti oblata eſt? Haec inter quum Magnus Baſilius ſuggeſtum conſcenſus coepiſſet ad populum verba facere de Feſti, quod agebatur, praeſtantia, B. Ephraem oculorum acie in ipſum conjecta, Diviniſque ſententiis ex ſacri Oratoris ore effluentibus accurate perpenſis, Spiritum Sanctum ſub columbae ſpeciae per ipſum adloquentem vidit. Quamobrem B. Ephraem animum ad maximam de Baſilii ſanctimonia exiſtimationem convertit. Populus interim ſacri Oratoris eloquentiae tacita obmurmuratione plaudebat; Sanctus vero Ephraem longe majori interius voluptate ac laetitia geſtiens bis plauſum edidit. Eodem temporis momento, Divino Spiritu indicante, Baſi-

Basilius S. Ephraemi cognitionem adsequutus est, quem apud se habere optans, accersito Archidiacono: Age, inquit, illuc (locum designans) te confer, ibique Monachum invenies squalida stramentisque intertexta contectum veste, cui socius Monachus alter, ipsius discipulus. Huic ista meis verbis nunciabis: Pater Basilius te advocat. Quibus auditis, statim Archidiaconus inter confertam hominum turbam viam sibi patefecit, & ad B. Ephraemi locum perveniens, sanctum Virum adoravit, eidemque haec retulit: Pater noster te advocat, Domine; surge ergo, teque mihi socium adjungito; ad te quippe ejusdem S. Patris jussu missus sum. Cui B. Ephraem per interpretem suum: Erras, respondit, Domine; nos advenae sumus, huc ex dissitis admodum regionibus appulsi, tuo Archiepiscopo ne fama quidem noti. B. porro Ephraemum contemtione dignum putans Archidiaconus, reversus est ad Magnum Basilium, cui, Pater, inquit, neminem ibi videre potui praeter vilem monachum, & quidem alienigenam. Tum Basilius Archidiacono, Perge, subdidit, & si forte locum in praesentia mutavit, modo tale domicilium retinet. Ipsum proprio nomine appella, inquiens, Ephraem, Ephraem, te Archiepiscopus vocat. Age, nec diutius remorare. Abiit iterum Archidiaconus, nactusque rursus Beatum Ephraemum, praemissis debitis officiis, ipsum, ita nominatim compellavit: Pater tuus Archiepiscopus, te, o Ephraem, ad se invitat. Audiens autem proprio se nomine advocari, obstupuit, conversusque ad Archidiaconum,

conum, haec ipsi per interpretem reposuit: Ubi sacra expleverit Pater Basilius, ipsum adibo, illius benedictionem in Templi adytis impetraturus. Archidiacono ad Archiepiscopum regresso, Beatus Ephraem suo discipulo ait: Vere columna ignea est Magnus Basilius; vidi enim Spiritum Sanctum verba illi suggerentem. Absoluto sacrorum ministerio S. Ephraem una cum socio Sancta Sanctorum ingreditur, ubi Magnus Basilius aderat; qui statim ac Ephraemum vidit, e Sella exsiliens S. Virum laeto vultu complexus est, datoque sibi ad invicem pacis osculo, Basilius Ephraemi modestiam continentiam vitaeque asperitatem, quam frontis pallor, lacerumque indumentum satis superque indicabat, contemplatus, lacrymis uberrimis diffluens: Pax tibi, inquit, Anachoritarum Parens; sospitem huc te advenisse gaudeo; tuus nimirum adventus, jucundissimus mihi optatissimusque accidit, o electe Dei, qui Jesu Christi gregem multiplicasti, & haereses perdidisti. Omnes adversarii machinas elisisti, & plurimos ab errorum semita revocasti. Quoniam autem, Pater optime, laboriosum iter aggressus es, ut peccatorem hominem viseres, Christus Dei Filius digna tibi praemia elargiatur. O utinam tu Basilius esses, ego vero Ephraem! Quaeso, Pater ac Pastor sanctissime, veniam da mihi peccatori planeque indigno, cui tanta laudum praeconia tribuantur. Post haec Basilius Ephraemum ejusque discipulum ad Aram adducens utrumque Divini Corporis esca, pretiosique ipsius Sanguinis potu refecit; quibus actis, dulcissimis

[illegible]

[illegible]

ſimis ſeſe mutuo ſermonibus per interpretem Monachum recrearunt. Beatus inde Baſilius Ephraemum interrogans : Dic , amabo, ait, venerande ſolitudinis Pater, cur tu de Syro tantum idiomate callidus , Graecique ſermonis plane ignarus , bis me plauſu excepiſti, & mihi throno conſidenti, & verba ad populum habenti decantaſti? Tunc B. Ephraem: Ita, Pater, res eſt. Divino Spiritui plaudebam , qui per os tuum loquebatur. Cui Baſilius : Utinam , ut jam dixi, iterumque repeto, ego peccator eximio illo, quo te Deus ornavit, ſplendore dignus exſtitiſſem!

XXVI. *Diaconus a S. Baſilio ordinatur.*

Quumque Baſilius acriter inſtaret , ut Ephraemus Sacerdotium ſuſciperet, nequaquam perſuaſit , vixque ab eo impetratum eſt, ut ſibi a Baſilio manum imponi pateretur, ut Diaconus fieret. Quum ergo Baſilius Ephraemo manum impoſuiſſet, & Sacrae Ordinationis formulam recitaſſet, apprehenſa ejuſdem manu , ſic eum Syriace compellat : Jube, Domine, aſſurgere. Cui B. Ephraem Graece : Salva me, Domine, & gratia tua ſuſcita me, Deus.

XXVII. *Baſilio orante, Graecam linguam B. Ephraem edocetur.*

Ita Graeci Sermonis peritiam B. Ephraemus, Baſilio, a quo id poſtulaverat, deprecatorem ſe praebente, adſequutus eſt ; & Baſilius viciſſim, Ephraemo orante , Syriace loqui didicit: qui etiam Beati Ephraemi diſcipulum per manus impoſitionem Sacerdotii dignitate cohoneſtavit, & alter mutuo alterius congreſſu familiarique colloquio in Divinis Scripturis Theologiciſque facultatibus magnopere profecit.

XXVIII. *S. Ephraem*

Eodem tempore B. Ephraemo nun-

Edessam cogitat, audito novarum haeresum exortu.

nunciatur, in Urbe Edessa exortam fuisse haeresim perniciosissimam, erroribus novem conflatam. Quamobrem Ephraem & Basilius sibi fausta omnia utrimque adprecati, ab invicem separantur.

XXIX.

Visio Basilii de duobus Angelis Ephraemum splendida veste ornantibus; ubi quaedam de Doxologia.

De amici discessu afflictatus maximopere est Basilius, moestitiaeque caussam universo Clero audiente ita narrabat: Quum B. Ephraem Syrus ad Ecclesiam venisset, videbam illum duobus Angelis stipatum incedere, quorum alter dexterum ejus latus tegebat, alter sinistrum, ambo splendenti, fulguris instar, chlamide superinduti: scilicet, hic est, de quo Christus in Evangeliis loquitur: *Ignem veni mittere in terram*. Praeterea, quum aliquando S. Basilius e suggestu concionaretur, audiens populus dicentem: *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus sanctus*, submurmurabat, quod particulam illam *ET* adjecisset. Contra Basilius: Nulla, inquit, vobis, filii, caussa est, cur commoveamini & perturbemini ex additione particulae *ET*. Nam nos quidem etiam antequam huc accessisset B. Ephraem Syrus, dicebamus, *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus sanctus*. Quum autem ad nos venisset ille Dei electus, audivi ista differentem, ut diceret, consentaneum esse adjicere particulam *ET*, ut glorificetur Trinitas hoc pacto: *Gloria Patri*, & *Filio*, & *Spiritui sancto*. Haec Basilius. Ab eo autem tempore formula ista manavit ad omnes fideles, authore B. Ephraemo, a quo Graeci illam acceperant. Iterum, quum Feria secunda Jejunii Basilius populo exponeret sex dierum Opificium, in priori Moysis libro descriptum, incidissetque in ea verba: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, de B. Ephraemo ista

Luc. 12. 49.

Gen. 1. 2.

[illegible]

[Syriac text, illegible]

ista subintulit. *Quod dico, ab illo Viro Syro didici, qui quantum a sapientia mundi distabat, eo magis verae Christi doctrinae aderat propinquus. Ajebat porro ille, Syrorum vocabula significantiora certioraque esse, & ob affinitatem, quam inter se habent Hebraicus, Syriacusque sermo, eadem ad Scripturarum sententias propius accedere. Ajebat propterea, hoc verbum* Ferebatur, *sumendum, atque interpretandum esse pro* confovebat, vitalemque foecunditatem aquarum naturae suppeditabat, ad similitudinem incubantis avis, vimque quandam vitalem imprimentis in iis, quae fovet; *ita ut eorum verborum*, Spiritus Dei ferebatur super aquas, *sensus esset:* Spiritum Dei aquae naturam ad vitalem foecunditatem praeparavisse. Quae, aliaque his similia adhibuit Basilius, ut populum edoceret confirmaretque in illa Doxologiae formula, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.*

XXX. Basilii Encomium in S. Ephraemum.

Sed praestat jam interruptam gestorum B. Ephraemi narrationem resumere. In eo itinere, quod ab Urbe Caesarea Edessam rediturum Ephraemum suscepisse diximus, accidit, ut cum comite & discipulo diverteret Samosatam, Urbem ad Euphratem positam. Vixque intra oppidum pedem intulerat, quum ecce illi ante alios occurrit ludimagister heterodoxus, puerorum agmine de more stipatus, quos quum Dei servus secundum Domini praeceptum consalutasset, a quodam petulanti puero alapa percutitur. Injuriam exorpsit Ephraem, cunctis interim ridentibus hominem corporis habitu neglectum, & pannis ridicule obsitum. Inde digressi omnes pransum abeunt; vixque mensae adsederant, quum improviso, vipera quae vicino sub saxo latue-

XXXI. Samosatae puerum viperae morsu periclitantem Sanctus Ephraem curat, & Samosatenos ad Orthodoxam fidem revocat.

latuerat, insilit in dexteram nequissimi illius pueri, qui B. Ephraemo alapam impegerat. Quo ictu puer illico exanimatus concidit, manusque ejus arefacta est. Prodigii magnitudine perterrefacti cum magistro pueri, & alii Samosatae Cives, ad Sancti Viri genua procidunt, veniam orant, atque, ut puero succurrat, etiam atque etiam efflagitant. Quorum precibus commotus B. Ephraem passus est, se ad locum, ubi puerum deposuerant, adduci; ipsiusque manum apprehendens: Christus, inquit, Filius Dei suscitet te, fili. Extemplo puer revixit. Tanto miraculo fracti quicumque haeresi patrocinabantur, Samosateni una cum ludimagistro, quem eadem labe infectum fuisse diximus, Orthodoxam fidem amplexati sunt, & ex lavacro regenerationis Christo revixere.

XXXII. *S. Ephraemi reditus Edessam, & Acta adversus Manetis & Bardesanis discipulos.*

Neque minus Edessae Dei servo negotii fuit. Urbem enim postliminio reversus, reperit nefariis omnis generis sectis misere oppressam, Bardesanis praecipue, cujus exitialem librum nactus, acerrime confutavit, ut ipsemet Ephraemus refert: *Librum Bardesanis reperi, qui me ad horam contristavit; aures enim meas, totumque corpus nefariis, quibus scatet, contumeliis penitus exturbavit foedavitque. Ipsius homiliae blasphemiae sunt, lectiones vero maledicta. Quod si corpus, uti docet, non resurget, hoc ipso maledictioni addicitur; sique corpus corruptioni obnoxium Deus effinxit, nec vitae denuo restituendum, en aperte laeditur Divinae justitiae, ac providentiae ratio, quae nos odisse jubet id, quod tunc diligere oporteret, spesque omnis mortalibus adimeretur. Quare, fratres carissimi, ad sacrorum Codicum lectionem animum converti meum, tetraque nefariorum errorum caligo, quae meas aures obsederat, dicto citius evanuit.*

[illegible]

At

[illegible]

At vero B. Ephraem animadvertens, Urbem variis corruptam esse haeresibus, Divinae gloriae studio incensus, uti sapientissimus ille Phinees, Eleazari filius, sumsit scutum inexpugnabile Fidei, succrescentiaque errorum germina radicitus evulsit. Quamobrem tanti bellatoris timor omnes perculit; coram ipso enim, veluti coram igne paleae, dissipatae haereses sunt, ipsarumque propagatores veritate compulsi ad saniorem mentem consiliumque redierunt.

Eo temporis Edessae invalescere occoeperat Bardesanitarum haeresis, quam auctor Bardesanes sub mollibus diversisque cantiunculis longe lateque disseminaverat. Homo quippe flagitiosissimus, Regio Vate ad imitandum sibi proposito, centum & quinquaginta cantus armonicos elucubravit, quorum exitialem luem sub musicae suavitatis integumentis involutam in puerorum incautum gregem transfuderat: qua arte plurimorum mentes vaferrime labefactavit; ita plane, ut organum, seu instrumentum, quo Daemon ad canendum utebatur, quodque ad filios Caini seducendos adhibuit, aptissime nuncuperis.

Longum esset, amantissimi Fratres, B. Ephraemi constantiam, diligentiam, sedulitatem, laboresque assiduos enumerare. Quare hoc unum satis erit dictum, ut quisque perspiciat, quanta is fuerit sapientia a Deo praeditus. Insomnis ut plurimum evigilavit, donec sparsas hasce in exitialem frugem radices funditus praecideret, & instar pulveris vento jactati dispergeret. Deficiunt profecto verba ad ipsius laudes persequendas, nec diser-

disertissimus quisque orator orationem valet afferre parem. Armatus namque Athleta Christi armatura Dei, bellum verae religionis hostibus indixit, praecipuae tamen hujus curae ac cogitationes omnes ad tollendam Bardesanis, ejusque adseclarum impietatem evigilaverunt.

XXXIII. *Cantica, Hymnosque instituit.*

Quod ut sibi ex votis contingeret, satis edoctus, quantum Edesseni musica cantuque caperentur, eosque a profanis & inhonestis lusibus choreisque avocare cupiens, choros Virginum instituit, docuitque Odas sublimibus spiritualibusque sententiis compactas, de Christi Nativitate, Baptismo, Jejunio, Passione, Resurrectione, Ascensione, deque reliquis Divinae illius dispensationis Mysteriis, quibus adjecit alios Hymnos de Martyribus, de Poenitentia, de Defunctis, effecitque, ut Puellae foederis (quae nimirum virginitatem firmo foedere Deo obstrinxerant) ad Ecclesiam cunctis solennibus Domini festis, & Martyrum celebritatibus, diebusque Dominicis convenirent. Ille vero, velut Pater, & spiritus Citharoedus in medio aderat, docebatque modos musicos, & modulandi carminis leges; qua optima industria civium sibi gratiam ac benevolentiam devinxit, & adversariorum temeritatem pessumdedit.

Quis nunc, Carissimi, stupore non corruat, aut fidei ardore non aestuet, Athletam Christi cernens castissimis foederis Virginum choris stipatum, Divinis laudibus canendis intentum, Angelorumque aemulum, mortalium mentes devota suavitate demulcentem. Sermonum, hymnorumque, quos B. Ephraem conte-

[Syriac text illegible]

[illegible]

contexuit, infinitus prope est numerus. Quemadmodum autem Deus Noaicam fidelibus, sub qua a communis diluvii naufragio servarentur, Arcam dedit, ita & hunc perfugii locum eisdem obtulit, Ephraemiticae nimirum eloquentiae flumen, in quo errorum perversitas submergeretur, quodque universam terram irrigans, eandem ab haereticorum colluvie prorsus expurgaret. Et sicuti Adaeus Edessae Apostolus fuerat, ita & fuit B. Ephraem, qui Bardesanem profligavit, ipsiusque sectatores ab iniquitatis calle detorsit.

Aliquando Ephraem ad populum verba faciens, ita in Bardesanem invectus est: *Nec spes locamus nostras in septem Planetas, in quos Bardesanes credit. Maledictus, qui, ut ille, pluvias, roscidumque imbrem, aut glaciem, seu nivem ab iis septem effluere profitetur. Expungatur cito ex fidelium albo quicumque ex hisce caussis, quas nefarius ille assignat, semina operariis, & fruges agricolis provenire, quique aut famem, aut saturitatem, Aestatem, aut Hyemem, prout excors ille dictitat, ex iisdem principiis proficisci asserit. Idipsum fiat viro, sive mulieri haec confitentibus,. spemque ibidem locantibus suam, & erga Deum fiduciam abjicientibus, nec non potestatem aliquam eisdem tribuentibus. Maledictus, qui sacros volvit Codices, iisque adversatur. Maledictus, qui legit Prophetas, & eorum monita despicit. Maledictus, qui legit Apostolos, & illorum sententiis refragatur. Beata es, Ecclesia fidelis, quandoquidem Rex Regum suum intra te domicilium collocavit. Tua fundamenta nunquam nutabunt, quoniam Dominus custos est tuus, nec portae inferi praevalebunt adversum te, nec lupi rapaces tuam poterunt firmitatem frangere aut debilitare. O quam magna es domus Dei! quam pulchra es! quam decora filia populorum!*

Sub

XXXIV. *Paralyticus a S. Ephraemo sanatur.*

Sub haec fere tempora Paralyticus quidam mendicus ad valvas Ecclesiae S. Thomae in eadem Urbe jacebat, qui B. Ephraemum intuitus, ex more stipem petiit. At ille, aurum, inquit, & argentum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. Vis sanus fieri? Cui Paralyticus: Utique, Domine, si quam potes, ferto opem misero propter Dominum. Tunc Ephraem, apprehensa manu Paralytici: In nomine, inquit, Domini nostri Jesu Christi surge. Extemplo Paralyticus, qui & claudus fuerat, in pedes constitit, Deo maximas gratias agens: Divinam omnipotentiam praedicantibus quicumque prodigio illi praesentes adfuerunt, vel ex aliis enarrantibus cognoverunt.

XXXV. *Basilius post quatuor annos duos Clericos ad reducendum Ephraemum mittit, qui re infecta ad ipsum redeunt.*

Anni Ephraemo transacti fuerant quatuor, ex quo Basilium reliquerat: quum binos ille ex suae disciplinae alumnis, Viros nobiles, Theophilum, & Thomam Edessam allegat cum hisce mandatis: Edessam, inquit, Mesopotamiae Urbem pergere vos volo, ibique quaerere doctorem Dominum meum Ephraemum, hominem corporis habitu humilem, abjectum, pannosum, sed mansuetum, & simplicem. Hunc a vobis perduci ad me jubeo; caute tamen, ne quid praeter spem accidat; Episcopum enim illum creare mihi dudum deliberatum est. Quas adversus se molitiones quum Ephraem divinitus edoctus fuisset, comperto mox Legatorum in Urbem adventu, habitaque ab iisdem de ipso inquisitione, fatuum hominem furentemque, mutato ad fucum faciundum totius corporis habitu, referebat: tantum illi horrorem

[illegible]

[illegible]

rorem Sacerdotii dignitas incusserat. Legati Ephraemum velut lymphatum, aut amentem, saliva in barbam indedecore diffluente, debacchantium more, per compita vicosque Urbis discursitantem contemplati, hominem derisere; eoque relicto, patriam re infecta repetiverunt, Basilio, quae viderant, renunciaturi. Auditis Legatis ingemuit Basilius, obortisque lacrymis, Vos, inquit, filii, fatui estis: contra Ephraem, quem velut pretiosissimam gemmam cunctis mortalibus ignotam abditamque Mundus hactenus ignoravit, Deo sapit, & spiritualis Philosophus est, perfectissime doctus, Caeloque carus.

XXXVI. *Varia ejus scripta, ac praesertim de Juliano Apostata, & de Edessenorum constantia.*

Interea Ephraem varias elucubrationes dictabat, quibus terrarum orbem implevit. Nam per eadem tempora carmina publicavit de Urbe Nisibi, de S. Jacobo, de Constantino Imperatore, de calamitatibus sui temporis ab irato Numine ad mortalium correptionem immissis: de captivitate, & excidio pagorum, atque Monasteriorum suburbanorum ejusdem Civitatis. Quibus adjunxit Hymnos de Sancta Semonithe, & de filiis ejus Machabaeis: deque Sanctis Samona, Guria, & Habibo, qui Edessae Martyrio coronati fuerunt. Carmen quoque conscripsit de persequutione impii Juliani adversus Ecclesiarum Pastores: ad Juliani enim tempora Ephraem pervenit, quo in carmine memorat, quae hoc loco adnectere collibuit: Venerunt, inquit, Edessam Legati, quos ille impius misit, simul ac fines ejus Urbis ingressus fuit cum ingenti exercitu, Persicum bellum moliens.

liens. Quum enim Haran divertisset, oppidum Paganis frequentissimum, & simulacris refertum, caesis ibidem victimis, aliquos proceres Edessam misit, qui Cives ad sacrificia festumque immundorum simulacrorum invitarent. Legatorum in Urbem adventus Edessenos haudquaquam perterrefecit, quin summa cum alacritate ac fide illos repellerent. Avertat, ajebant, Deus, ut Caeli, terrarumque Conditorem, qui pro nobis homo factus est, abnegemus, istius Imperatoris exemplum imitati, qui Deum deseruit, ut Daemones adoraret. Quare nequicquam ferrum, ac supplicia intentas: quando mors omnibus instat una, fixum est, nunquam deserere Deum. Ecce autem cum duobus pueris mulier Christiana, quae sciscitantibus Legatis, quid tandem cum suis sibi vellet, respondit: Filios meos oblatum venio, velut primitias & munera Regi Regum Christo, pro illo utique mactandos, ut vicissim ab ipso Martyrii coronas accipiant. Haesit ad haec Legatus, & Edessenorum animositate, ac fide obstupefactus, cogitabat, qui fieret, ut pro Domino suo ad interitum impavidi laetique properarent. Quae quum Imperatori renunciasset, ille vehementissime indignatus: Ad meum, inquit, e Perside reditum illi poenas dabunt. Inter haec Jovinianus venit Edessam clam impio Principe, oravitque in Ecclesia Deiparae ante ipsius imaginem, cui per totam noctem oranti, plorantique ostensum est, impium Julianum capitali sententia ocius plexum iri. Quod illius orthodoxi Principis jacentem animum

[illegible]

mum erexit, mirumque in modum recreavit.

XXXVII. *Edeſſenorum Urbis Encomium.*

Ut vero conceptam in animo laetitiam ſuper fauſta iſta, quae Chriſtianis acciderant, Beatus Ephraem exprimeret, haec, quae ſequuntur, carmina edidit. *Opes ſuas Edeſſa deſerens, apertiſque domus foribus cum Paſtore ſuo occupat impium ad cruentam properans necem. Nec fidem mutavit ſuam, nec ejus erga Dominum amor ceſſavit; quin & omnes ipſius cives, ita conſtanter dixerunt: Aequum eſt, noſtras poſſeſſiones, domos, & cuncta bona huic Tyranno ad nos adventanti dimittere, dummodo fidem, quam accepimus, perpetuo retineamus. Edeſſa Urbs benedictionibus plena eſt: conſiliis, moribus, diſcretione, prudentia, ceteriſque virtutibus nunquam ſatis laudanda. Fide lumbos praecinxit ſuos, Deoque auſpice, errores abs ſe propulſavit, ejuſque corona caritatis privilegio extollitur. Faxit Jeſus, ut tantae Urbis cives Caeleſtem obtineant benedictionem. Haec Civitas nulli eſt in nobilitate ſecunda, quam totam in Chriſto repoſitam habet, eamque ſibi per Beatum Apoſtolum Adaeum, inſignem divinae gloriae promulgatorem, comparavit. O Edeſſa Almae Jeruſalem aemulatrix! quis mihi det, ut eximium tuum decus, celebritatemque fuſiori oratione proſequar? ſed quandoquidem id mihi non licet, haec de tuis laudibus ſatis ſuperque erit retexuiſſe.*

XXXVIII *Caeſaream feminam poenitentem ad Baſilium remittit.*

Pacatis iis, quas expoſuimus, Edeſſae rebus, diſſipataque coenoſa errorum caligine, B. Ephraem in montem ſubiit, inque ſeceſſum, quem antea tantopere adamaverat, ſe reſtituit. Tum vero accidit, ut quaedam Caeſareae nobilis femina a flagitioſa vita tandem reſipiſceret. Sed etſi praeteritorum ſcelerum illam etiam atque etiam poeniteret, ea tamen ut Magno Baſilio fateretur, adduci nunquam potuerat: tantus ſcilicet ex recor-

recordatione flagitiorum suorum pudor & perturbatio mulieris mentem animumque pervaserat. Quamobrem sibi consulere volens, cuncta sua crimina in charta quadam conscripsit, certa fide tenens, se eorum veniam impetraturam. Interim ubi Magnus Basilius templum ingredi parat, occursat mulier, & ad ipsius pedes prostrata, chartam ipsi porrigit. Qua accepta, mulier fronte humi defixa tota in lacrymas abire coepit, & studiis omnibus a Sancto Viro contendere, ut criminum veniam a Deo pro seipsa deposceret. Tum S. Basilius paginam ante aram projectans, Deum pro femina exoravit. Paulo post chartam explicans, vidit, deleta fuisse crimina omnia, unico demto. Quod sane singulare beneficium rogatu S. Basilii ob suam in Deum fidem mulier impetravit. Quum vero ipsa unicum adhuc indeletum superesse crimen conspexisset, ardentioribus votis, uberiorique lacrymarum copia S. Virum adprecata est, ut Deum pro integra sua absolutione denuo obtestaretur. Ad haec S. Basilius, intentis in feminam oculis reposuit: Audi, sodes: si vis tibi condonari unicum illud crimen, cujus tu nondum veniam impetravisti, age, perge in montem Edessae, & invenies in horrido quodam specu latitantem insignem pietatis, omniumque virtutum fama virum, cui nomen Ephraem. Illi chartam exhibito, eumque obsecra, ut pro te apud Deum fieri patronus velit. Mulier itaque S. Episcopi adhortationi, consiliisque obtemperans, nulla mora interjecta ad sacrum collem proficiscitur, nacta-

nactaque Beati Ephraemi speluncam, in ipsam e fenestra chartam demisit, cum fletu inclamans: Meam, quaeso, calamitatem miserere, Serve Dei; me enim huc misit S. Basilius. Perspecta Beatus Ephraem negocii gravitate, Filia, ait, audiens sis, peccator ego sum, infirmus, ac multorum scelerum conscius. Tunc mulier alta ducens suspiria, Pater, inquit, Basilius Deum pro me deprecatus meorum mihi criminum veniam ab ipso impetravit, demto tamen unico, eoque gravissimo, in pagina connotato, de quo nondum veniam retuli; qua de re ad te veni ejusdem Sancti Patris Basilii hortatu atque imperio. Ne, quaeso, miseram in moerere jacentem deseras, quin & afflictis meis rebus actutum succurre. Ad haec Sanctus Ephraem, non ita est, reposuit, mulier; toto nimirum Caelo aberras; Nam qui plura tibi potuit remittere, potest & unicum condonare. Redi ergo quam potes celeriter, ut vivum reperias Magnum Basilium, columnam igneam, Christique & Ecclesiarum decus atque ornamentum. Ingruit quippe tanti Viri obitus; Unde non est, cur diutius heic commoreris. Vix orationem concluserat, quum mulier ingenti trepidatione correpta, Caesaream magnis itineribus maturavit, quam quum post multum laboris tenuisset, obviam habuit feretrum Magni Basilii Episcopi, quod ex ipsius cubiculo ad Ecclesiam a Sacerdotibus, Diaconis, & universo Clero celebri pompa, maximoque honore, inter populi gemitus, ac funebres naenias

naenias efferebatur. Quo viso mulier Ecclesiam ingressa, vesanae instar, sic defuncto expostulavit: Videat Dominus, & meam cum tua conditione, Optime Christi Pastor, dijudicet. Nam quum penes te esset, me ab unico adhuc superstite crimine solutam dimittere, me frustra ad alienam opem implorandam misisti. Statim vero supra feretrum Sancti Basilii chartam projiciens vehementer clamabat, suaque scelera palam confitebatur. Quidam tunc Diaconus peccatum nondum remissum nosse cupiens, chartam accepit, qua evoluta nullum ibi piaculum notatum cernens, exclamavit: O mulier mira prorsus est fides tua: chartam accipe, bonoque animo esto, quandoquidem plene soluta es. Nemo igitur non intellexit, deleta fuisse cuncta mulieris flagitia precatu Sanctorum Ephraem, & Magni Basilii. Quare omnes de B. Ephraemi sanctitate altius sentiebant.

XXXIX. *Basilii Magni obitus.*

Ut vero Sanctus Ephraem de Sancti Basilii obitu nuncium accepit, satis exprimi non potest, quam acerbo moerore inde affectus fuerit, animadvertens, ipsius oves tanti Pastoris praesidio orbatas fuisse: quamquam Pastore suo nequaquam destitutas fuisse dicendum est, quando mortalium necessitatibus precibus adest suis. Scriptis itaque in ejus laudem carminibus, hymnisque, concepti doloris acerbitatem lenire studuit.

XL. *Pauperibus Edessenis annonae caritate laborantibus consuluit.*

Magni Basilii desiderium atrox Edessae consequuta est fames. Quod quum Beato Ephraemo nunciatum esset, cogitans egenis imminentes in ea annonae difficultate

[illegible]

te angustias, vehementer commotus est: nec amplius eo carcere, in quem ipse se ultro conjecerat, contineri potuit, quin relicto sibi carissimo secessu ad periclitantis plebis opem accurreret, vitamque suam pro Dei cultu obsequioque prodigeret. Edessam itaque ingressus ita viros locupletes adorsus est: Itane Divini timoris, ejusque justitiae, ac misericordiae memoriam prorsus tollitis? An ignoratis, Deo vos debere, quod divites sitis? Vestris, oro, animis parcite, infelices. Ecce nunc tempus agendi, & Caeleste Regnum promerendi. Ecce tempus ad vestrorum debitorum chirographum obliterandum opportunissimum. Omni nunc cura ac vigilantia contendite misericordiam adipisci. Haec, aliaque his similia divitibus suggerebat; quibus cohortationibus ipsi utiliter concussi, haec Beato Viro reposuerunt: Parens optime, nullum nos fidelem dispensatorem invenimus, qui id Deo pro nobis offerat, quod nos eidem tribuere, atque offerre cupimus. Quibus Ephraem: Ego meipsum Deo pro vobis offero. Tunc omnes pleno ore: Te dispensatorem volumus; te enim fidelem fore pro certo tenemus. Quo dicto, Magnates ac divites Urbis suas opes, & pecunias, inusitata quadam animi alacritate ac laetitia B. Ephraemo detulerunt; qui quotidie indigenis afflictisque occurrebat, pro quibus Xenodochium, potissimum autem pro infirmis, quos undequaque colligebat, erexit. Elegit insuper idoneos, ac notae probitatis viros, ut infirmis, & pauperibus ministrarent, qui ex diversis oppidis terrisque

ad Ephraemum confluebant. Quibus opportunis adhibitis remediis, nullum fames detrimentum Civitati attulit. Elapso autem sterilitatis anno, rediit pristina frugum ubertas; quapropter singuli patriam repetiverunt, & Beatus Ephraem gratias laudesque Deo persolvens amicam in solitudinem remeavit.

XLI. *S. Ephraemi obitus.*

Admirandis hisce virtutum, & Christianae perfectionis facinoribus exacta aetate Sanctus Ephraemus quum ultimum diem sibi instare sentiret, suae disciplinae alumnis prospera ominatus Testamentum scribebat. Interim vero B. Viri periculo audito, magna animorum in omnium ordinum hominibus commotio facta est, Sanctissimi Patris desiderium lugentibus. Inde ingens ad eum visendum concursus. Et ille quidem quum omnibus benedixisset, eosque adjurasset, ut in publico Peregrinorum Caemeterio cadaver humo conderetur, animam Creatori suo reddidit. Ejus corpus cum hymnis & psalmis Spiritus Sancti, prosequentibus Angelis & Vigilibus, Episcopis, & Sacerdotibus, atque Diaconis, universoque Clero & populo, ad tumulum elatum fuit. Convenere etiam ad parentalia laudabilis Chorus, & benedictum agmen Anachoritarum, Stylitarum, & Coenobitarum, a quibus conditum fuit Ephraemi corpus cum pompa, & honore Sanctorum in Caemeterio, sicut ipse Dei servus mandaverat. Interjecto tamen aliquo temporum spatio, rursus ejus corpus inde elatum sub ipsius Ecclesia conditum fuit: quo quidem tempore ex ejusdem ossibus suavissima vitae fragrantia

[illegible]

ܟܡܦܠܓ ܠܟܠܗܘܢ
ܦܘܪܩܢܐ ܘܒܘܣܡܐ ܒܚܕܘܬܐ
ܦܘܪܩܢܗ ܕܝܢ ܗܘܐ ܒܚܡܫܬܥܣܪ ܒܚܙܝܪܢ
ܒܨܠܘܬܗ ܘܕܡܪܝ ܒܣܝܠܝܘܣ ܘܕܟܠܗܘܢ
ܩܕܝܫܐ ܘܒܫܦܝܥܘܬܐ ܕܩܕܝܫܬܐ ܡܪܝܡ
ܝܠܕܬ ܐܠܗܐ ܫܘܒܚܐ ܕܟܠܗܘܢ
ܟܪܣܛܝܢܐ ܢܫܟܚ ܪ̈ܚܡܐ ܒܗܢܐ ܥܠܡܐ ܘܒܥܬܝܕ
ܐܡܝܢ.

ܫܠܡܬ ܬܫܥܝܬܐ
ܕܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ
ܐܘܪܗܝܐ ܡܠܦܢܐ ܕܣܘܪ̈ܝܝܐ.

grantia exhalavit, cunctis impertiens salutem, & jucunditatem. Accidit obitus B. Ephraemi die decimaquinta Junii. Oremus, ut, illo pro nobis suffragante una cum Sancto Basilio, & omnibus Sanctis, intercedente etiam Sanctissima Virgine Dei Genitrice Maria omnium Christianorum gloria, misericordiam in hoc seculo, & in futuro consequamur. Amen.

Finis Actorum Sancti Ephraemi Syrorum Doctoris.



SERIES

SERIES ET ORDO EORUM

Quae in hoc tertio Tomo continentur.



[illegible]

[illegible]

S. PATRIS NOSTRI

EPHRAEM SYRI

DE FIDE

Sermones Polemici Octoginta Septem adversus Scrutatores.

SERMO PRIMUS.

A PRO illa Fidei regula cunctis impertiente vitam, quam ille condidit, à quo omnes docti sumus, novam nobis invexit disciplinam ætas nostra, audax hominum genus. Quid istos civerit motus, haud ignorat, qui cuncta novit. Jam si ejusmodi contentionum causa fuit ingenii ac scientiæ ostentatio, Dominus, oro, B hominum superbiam, & arrogantiam compescat, si discordia, concordiam reparet: sin autem caritas, in suis ipse sua prodat. Heus tu, qui contra excelsum montem jacularis, illuc pertigisse jacula tua ne credas, procul à te quidem illa aliquantulum abjerunt, quem petis tamen neutiquam attigêre scopum. Generatio Filii Dei supra omnem mentis humanæ vim, & aciem as- C surgit. Tuo tibi de genere propone argumentum, cognatamque tibi imaginem fingens, rei testimonio propinquæ rebus remotis fidem præstruito. Age itaque, speculationi tuæ scopum figito animam, & vide quantum ab eo aberravere rerum investigatores. Esse quippe animam quidam fatetur, negat alius, morti obnoxiam hic putat, ille immortalem prædicat: quidam ex aliquo præexistente fieri docent; opinantur alii de nihilo

ܡܢܝܢܐ A

nihilo creari. Qui ejus dignitatem considerat, parvam rei maximæ partem æstimat, & qui ejus cogitat interitum, aëris flatum putat. Fuit qui halitum esse dixit: fuit qui sanguinem appellavit. Quidam ejus ardorem & æstus attendens, ignem esse asseruit: alius ejus abstractum agendi modum speculatus, spiritu constare affirmavit: quidam particulam credidit, divinâ decerptam naturâ: alius divinum esse flatum. Fuit qui simplicem esse substantiam docuit: nec defuit qui opinatus est ex pluribus componi naturis: fuit qui illam ex uno temperatam elemento finxit: adfuit qui ex septem temperamentis conflari dixit: fuit qui naturam ejus magnifice extulit: fuit qui ignominiose traduxit quasi nudam, egentem, & ad ima depressam. Si autem nec sibi anima constat, quandoquidem suis etiam luditur in somniis; & usque eo aberrant a scopo, qui sibi investigandam ejus naturam proponunt; cuinam ergo putas, aliquem patere aditum ad cognoscendam illam generationem, pervestigantibus inaccessam? Est tamen hìc quod mirere dicentem, Animam nusquam esse, quum in ipso anima sit, & ipsa contra se disputet, ipsa se neget, & asseveret, se neutiquam esse. At Anima, quæ ipsa se non intelligit, utrum sit, vel non sit, ipsaque semet sentire nequit, sed agitur obvolviturque se circum trusatilis adinstar molæ, suum quomodo investigabit Auctorem? Attamen etsi Anima suum sub aspectum non cadit, speculum tamen ipsa sibi data est, in quo se videat; videbit autem, si tandem intelligat, mutis animantibus ratione intelligentiaque se longe præstare. Anima quidem est, sibi tamen non est; quatenus sibimet ignota est. Quî enim illa non sit hìc, quam hìc esse suus ipse prodit actus? verumtamen sic a Creatore habet, quo sit, ut habeat a sua voluntate, quo pereat. Jam si sua sic Animam latent ornamenta, propriæque ignara est dignitatis, quid censes? Anima quæ seipsam negat, quid rerum fateatur id esse, quod vere est? Quæque in propriis hæsitat & labitur, quidnam extra se persequendo assequatur, aut inveniat quæritando non sua? Itane quæ ipsa sibi præsens non est, præsentem habeat absentem, abditum illum, retrusum & impenetrabili caligine circumseptum?

Sed agedum si mens nostra seipsam nescit, scientis omnia generationem cogitare, quo pacto sibi fas esse putet? Opus, quod seipsum ignorat, quomodo inquirat in suum Opificem? Est quædam natura præstantissima

[Syriac text]

[illegible]

ſtantiſſima plane inenarrabilis, hanc quiſquis fari tentat, ſi non potuit dicere magnam, parvam fecit; quicumque tamen de Deo maxima conatur dicere, quo illum magnum dicit, ipſe fit magnus, adeo ille magnus eſt! Quin ergo cohibes diſcurſum, qui ad illum deficit? quin poſſides ſilentium, quod ipſum decet? Quæſo, Domine, tribue mihi utroque diſcrete uti; neve temere diſputem, neve ſileam otioſe: doce ſermonem ædificationis, fac, ut poſſideam ſilentium diſcretionis.

ܡܐܡܪܐ ܬܪܝܢܐ.

SERMO II.

[illegible]

Beatum dico, qui ſibi purum veritatis ſpeculum ante oculos fixit, tuamque in eo contemplatus generationem, intellexit tandem, arcanum eſſe inexplicabile & penitus abſtruſum: iterum beatum judico, qui ad cognoſcendam veritatem mentem applicuit, eâdemque docente, didicit, Deum ab homine inveſtigari non poſſe. Beatus, qui ſanctæ taciturnitatis ſepto ſuas cinxit aures, cavitque, ne iſtud perrumperent diſputantium contra te Sophiſtarum contentiones: Beatus, qui in receſſu ſpirituales alas ſibi ipſe quærit, ſubaudienſque divina in diſceptationem vocari in terris, terras deſerit, & cælum aſcendit. Beatus, qui diligentem rectorem ſe præſtitit fidei, quam didicit, excitatâque diſceptationum tempeſtate, e pelago in portum taciturnitatis evaſit. Beatus, qui animadvertit, orationem ſuam indiſertam eſſe, & infantem, nec inexplicabili illi conceptui ſufficientem habere finum. Beatus, cujus lingua, quæcumque fari non licuit, premit: beatus, qui ſua damna plangit, recogitans, quæ ipſum graviora manent: Beatus, cujus cithara carmina modulatur Davidica, revolvit apertos ipſorum ſenſus, quos tamen explicare nemo ſufficiat, myſteriaque quorum intelligentiam omnis humana ratio deſperet. Beatus, qui fabricatus eſt ſibi trutinam veritatis in omnem diem, eâque ſuas quæſtiones explorat, ne ſupervacanea quærat. Beatus, qui ſibi menſuram juſtam invenit, exactam ad menſuram Apoſtolorum & Prophetarum, ipſam videlicet, quam divina ratio condidit. Beatus, qui diſputationem ſuam penſat cum utilitate audientium, nec levis illa fuit, ne forte vileſceret, nec gravis illa fuit, ne mergeretur. Beatus, quem nec celeritas ultra metam rapuit, nec tarditas morata eſt, quominus eô, quô tendebat, appelleret. Beatus, qui quod aſſequi ſe poſſe novit, conatur & agitat: Beatus, qui eo tendere recuſat, quo ſe

ſe perventurum deſperat. Beatus, qui ſuam tibi linguam in figuram citharæ conformavit, ejuſque ad ſonum carmina modulatur, audientium morbos curatura.

Etiam, Domine, beatum dico, quiſquis veritatem doctus, infirmos confirmat, ejuſque religio & ſanctitas ægras mentes quaſi baculus ſuſtentat; ſed & beatum puto, cujus doctrina fermenti ſalutaris naturam induit, fatuumque ſapore imbuit ſuavi: infermentatum videlicet dico hominem mente carentem. Beatus, qui cum indoctis diſputaturus, purum ſpeculum iis parat & offert, quo monitore, ſuas corrigant mendas: Beatus item, cujus oratio ſalutare pharmacum videri poſſit, adeo ut refundat vitam mortuis, nec ideo ſilentibus, imo ſeſe efferentibus ſupra illum, a quo ſpiritum & vitam cuncta ducunt. Beatus, quiſquis ille fuit, qui quum de tua generatione in concione temere diſceptaretur, ſatius duxit eſſe mutum, quam quæ nemo intelligat, dicere: Beatus etiam, qui, data occaſione pie confitendi, prædicandique tuam à Patre originem, viſus eſt in vocalem tranſiiſſe tubam.

Quiſquis intellexit qualis operæ ſit, quantique laboris inveſtigare tuam, Domine, naturam, hunc ego beatum prædicabo, eoque etiam beatiorem, quiſquis expertus didicit, quam jucundum & ſuave ſit dicere laudes tuas. Næ ille beatus, qui nefas eſſe putat, linguam ſuam in aquæductum fingere, illamque vanis Sophiſtarum quæſtionibus commodare: nec habet ille minus, qui linguam in tubam transformavit clare ſonantem, atque veræ religionis dogmata ab Apoſtolis ac Prophetis tradita, promulgavit. Beatus qui Græcæ Philoſophiæ fel minime guſtavit, nec ab Apoſtolorum ſimplicitate deſcivit.

SERMO III.

Beatus, qui dignus fuit, Domine, Te in magna caritate appellare, eo nomine, quo Te dilectum Filium ſuum dixit ipſe Deus Genitor tuus. Beatus, qui continuit, Domine, os ſuum ab omnibus quæſtionibus, vocavit Te Filium Dei, qui a Spiritu Sancto vocatus fuiſti. Beatus, qui meruit, Domine, credere ſimpliciter, & Te Filium appellare, qualem appellavere Prophetæ omnes & Apoſtoli, doctuſque tuam majeſtatem inſcrutabilem eſſe, ſuam ſine mora linguam admonuit, ut humili ſilentio tuam veneraretur generationem. Beatus, qui fidei oculum ſibi, Domine, quæſivit, quo aſpiceret, unde Angeli ab aſpectu tuo obtutum averte-

averterent, quove contra procederet hominum audacia. Beatum dico, Domine, quisquis suam explicat mentem, tuamque speculatus magnitudinem, intellexit, huic mentes creatas neutiquam esse pares, tibique gratiam se habere dixit, quod tuo illum dignatus fuisses illapsu. Beatus, qui novit, Domine, te esse Deum Filium Dei, nec ignorat, cujusnam ipse sit filius, mortalis mortali patre satus: Beatus, qui intellexit, rerum Dominum esse tuum Genitorem, suamque simul progeniem repetit, & recolit, terreni Adæ sobolem se esse. Sed & beatum duco, quicumque novit, Angelos vocali silentio tuas prædicare laudes, indeque concitatus in semet ipse insurgit, stupens, propriæ linguæ eo usque processisse temeritatem. Beatum item dico, qui dum cogitat Cælestium in summis otium, motusque Terrenorum in imis, animum inter frementis pelagi fluctus pacatum servat. Ita Beatum prædico, quisquis is fuit, qui doctus choros cælestium Seraphim tuam incessanter magnificare sanctitatem, tuam vero nunquam scrutari majestatem; abnuit, quod Seraphim recusant, eligit, quod Seraphim probant.

At vero quis Te ad dexteram Majestatis assidentem contemplatus, tuam non miretur celsitudinem? Quis rursus hominem humi projectum conspicatus, ejus non stupeat petulantiam, tua in suo sterquilinio perverstigantem arcana. Beatus, qui novit, Domine, te quidem in sinu esse divinitatis; se autem cecidisse recogitat in sinum terræ matris suæ. Quis non miretur, Domine, hominem de te rerum omnium Opifice disputare audentem, quem adhuc latet, quid sua sit anima? Sed & hoc mirandum video, quod quum tu solus Patrem tuum noveris, vile nihilominus lutum eo usque se efferat, ut tuum in te etiam Genitorem invenire se posse non desperet. Næ ille beatus est, Domine, quem sua divinum acta fecerunt, divinæque proinde sanctitatis consors effectus, Te Filium Dei appellare didicit.

SERMO IV.

MIllia millium stant, & myriades myriadum discurrunt, millia & myriades scrutari nequeunt Majestatem Sedentis; omnes siquidem in silentio ad ministerium adstant. Non habet ille throni consortem præter genitum ab ipso, intra silentium ejus transfigitur investigatio; sicubi contingat, ut vigiles Majestatem speculatum accedant; ubi attigêre silentium, cohibuere gradum. Unigenitus Virginis castæ ventrem intravit, ipsaque

ipſaque nihil inde paſſa eſt: Deſcendit in uterum, indeque in puerperio exiit, ſenſitque natum decora. Introitum vides glorioſum, occultum tamen, abjectum deſpectumque exitum, ſed manifeſtum & aſpectabilem; in introitu ſcilicet Deus, in exitu idem & homo. Audi quod opido mireris, ſtupeaſque tuæ vix compos mentis: Flamma Virginis invaſit ventrem, corpus induit inde, & emicuit. Hunc Angelorum Dominum, ſuum item Gabriel Dominum appellavit, ut doceret, non ſocium illum fuiſſe additum ſibi, ſed natum herum. Gabrielis ſodalem Michaëlem dices, Domini Filius Dominus eſt Servorum, eiſque uti appellatione, ſic naturâ præcellit: hanc proinde perveſtigare Servus incaſſum nititur; ſuo nempe major opere ſemper erit Opifex quantalibet undelibet captet incrementa.

Si fingam mentem ſuas omnes cogere vires, conarique eô perrumpere, ubi ſibi datum cogitat, tuum cominus contueri jubar; mirabile dictu! tenuiſſimus radius tuo ab ore miſſus, omnem eluſit conatum, ſpemq; potiundi, quod illa petebat, abſtulit. Cui enim dabitur oculos in Unigenitum defigere, horrenda luce circumſeptum. Sol etenim eſt, quem antiqui Prophetæ ſuis celebravere vaticiniis: amantibus conditur, in pennis ejus ſanitas, dolor & labor perveſtigantibus. Quid num manibus attrectare te, homini liceat? eum nempe, quem acerrimæ cujuſvis mentis acies attingere deſperat; aut forte conabimur aſcenſum ad te, qui es immenſæ altitudinis mons, aut loquenti admovendæ aures, cujus vocis ſonitum nulli æquant tonitrus quantumlibet horriſoni. Quin te ſilentium dicam auribus proinde negatum, mutam vocem auditui incomprehenſam; ſed nec mortalis homo te cernere poteſt; lux quidem es clariſſima, oculis tamen inacceſſa noſtris.

Sed quoniam ubique infirmas facultates tuus latet aſpectus, aprehenſioque fugit, (opido namque quantum exteriores ſenſus interioribus indigent facultati imaginatrici conjunctis, quamobrem ſæpius nec minima quidem perveſtigando apprehendunt) ideo juvat hîc Cæleſtes conſulere, tuas ante fores excubantes. Atqui vel ipſi Cælites, qui tibi ſemper apparent, laudeſque tuas ſine fine canunt, ubinam te ſpeculentur, ignorant. Quæſivere te in ſummis ſupra, infra viderunt in imis; intra cæleſtes inveſtigavere Orbes, deprehenderunt intra viſcera terræ retruſum: apud adorandum aſpexerant, in terris morantem repererunt; deſcenderunt in terras, tuas coram te laudes cantaturi. Sed & quum tuum

diſquirere

A B C D E F

A diſquirere conſpectum intra hunc orbem cœpiſſent, & hac atque illac diſcurſarent, nuſquam tamen te tenere potuerunt. Apud Inferos deprehenſus, apud Superos inventus es : in ſepulcro jacentem aſpexerunt, ſuſpexerunt in throno ſedentem ; viderunt mortuum, mortuos ad vitam revocantem audierunt : talia ſpectantes mirati ſunt, hæſere attoniti, obſtupuerunt.

B Omnem eſto locum impleat numen tuum, nullus tamen te tegat locus. Etſi tuum numen inſiſtit Cælo, Cælum latet, te eſſe qui es. Quamquam numen tuum Inferis & Superis adeſt, à neutris neſcitur, quid id eſt. Etſi numen tuum ſubit maria, maria tamen te ignorant, tuum eſto numen terram obtineat, terrigenarum tamen nemini appares ille benedictus, abſconditus & manifeſtus : tuæ namque divinitatis omne arcanum, quantumlibet dicatur exiguum C ingentium arcanorum caput eſt. Quæ autem humana ratio valeat arcana perenni fluxu labentia conſequi cogitando nedum dicendo exponere ? adeo ſi quis tuam ſibi deſcribat imaginem, inde ſimul effluere cernit omnium imaginum flumen. Nobis vero quamnam illarum aſpectare licebit, unde tuam in corde noſtro exprimamus effigiem ? Siquidem in unam adoratam tuam imagi- D nem innumeræ confluunt & conglobantur pulcherrimarum rerum archetypa.

Uſquequaque admirabilis es quærentibus te : proximus ades ubique, abeſque undique remotus : quiſnam te proinde conſequatur, quantalibet contentione id petat ? Quum enim pervenerit, unde te apprehendere ſe poſſe putabat, intercipitur, & concidit tui ſub clivum montis : ſumma tenere datur fidei, caritati atque precationi. E Cogitare magis facile eſt, quam quæ cogitaveris, verbis exprimere ; menti quippe quo libuerit pervadere operoſum non eſt, modo te perveſtigare non libeat, ſecus in ipſo ingreſſu, à via dejicitur perque avia cogitur errare diu. Atqui ſi ratio victa ſuccumbit, quo magis oratio ; ſicubi forte inter hujuſmodi ſalebras incedere contingat ?

Humilis ſuccedat laus, junge ſilen- F tium ; hæc nimirum te addecent. Quod ſi quis ad diſcurrendum te ſolicitat, intra ſilentii arcem profugito ; tum enimvero, quo feſtinas, venire licebit, ſi feſtinare abſiſtas, tacendo facile tenebis, quod temere diſcurrendo nunquam attinges. Næ tu ineptus es, qui immenſum pelagus metiri cogitas. Ecce autem ſi ad dicendum de te, Dñe, quiſpiam invitatus, id recuſet, quiſquis hoc voluntati tribuendum putat, vehementer errat ; quaſi vero quum is de te

differere

differere poſſet, ſatius duxerit tacere : una ſiquidem ingenii imbecillitas hominem cætera audacem, & ad dicendum paratum cohibuit; proinde ſibi non merenti conceſſum reputet, ut mallet tacere; ſtatio quippe fuit bene tuta ſilentium, ne pelagi tui circumfrementis fluctibus interceptus obrutuſque periret.

A

Si qua datur via, aditus ſi quis patet ad arcanorum divinorum cognitionem, agitedum diſquiramus abditum retruſum & impenetrabile numen, omnes per tramites erraſſe juvabit, modo illum attingere contingat. Tu autem, Domine, te revelas parvulis, Fictiſque abſcondis, pie credentibus occurris, temere ſcrutantes fugis. Felicem ſimplicem, qui de te diſceptare neſcit, & ad ea quæ promittis, impiger feſtinat. Anguſta eſt mentis noſtræ facultas, quæ proinde te non capit, viſque intelligendi, quæ omnia pervadit & luſtrat, te tamen ſcrutari non ſuſtinet, nec exprimere qualis apud Superos appares, neque quis tu ſis apud Inferos. Quiſquis ubique non eſt, nec tanti eſt, ut te quærere tentet. Felicem illum, qui didicit, in ſinu Patris tui recondi hujus quæſtionis arcanum.

B

C

Sed nec unde tuum queat perveſtigare numen habent Seraphim Angeli pennis inſtructi; ſcilicet ala potens quantumlibet explicare volatum ad te deficit, nec ſufficit cum tua magnitudine contendere. Geminos tuus ſinus circumambit mundos; utrinam illorum extra hoc clauſum evagari licuit? Seraphim tuam prædicant ſanctitatem clamando, tacendo teſtantur, vereri, ſe tuum inveſtigare numen. Væh miſero, quem eo ſua rapuit petulantia, ubi Seraphim in conſpectu tuo ſueverunt ſuas velare facies. Portant Cherubim numen, quod omnia portat, capite demiſſo quæ infra ſe ſunt intuentur, ſub currum pavidi ſe condunt, eoque introferre oculos non ſuſtinent: vehunt quod perveſtigare non poſſunt, adſunt ſimul & abſunt. Felix, qui tanto doctus exemplo didicit tuam revereri majeſtatem: hanc laudat, pavet, ac tacet.

D

E

SERMO V.

F

Cognitio Angelorum cum modo res perveſtigat, ſine modo errat hominis ratio. Tua, Domine, pietas manſiones in via conſtituit, milliariaque diſtinxit, ut inordinatos Scrutatores ad ordinem adduceret. Felix, qui cogitationem & ſcopum eo modulo ac pede metitur, ut ad præparatas manſiones perveniat. Hominis cognitionem cognitioni Angelorum compoſitam, quoddam

A quoddam aperientis ſe diei crepuſculum eſſe puta, horum autem ſcientiam ſcientiæ Spiritus comparatam, eſſe velut quandam dubiæ lucis coruſcationem: quum ergo Spiritus de Filio dicat: *Generationem ejus quis enarrabit*? audeat ne humana mens tranſilire terminum, quem, quum attigiſſet Spiritus, conticuit? (Iſ. 53. 8.)

Quando Cæleſtes Spiritus quidpiam de Filio ediſcere volunt, ad ſuperiores Angelos ſuas dirigunt quæſtiones, illique doB centur à Spiritu per nutum. Sunt autem Angelorum quæſtiones ipſorum gradibus convenientes, nec quiſpiam audet aliquid quærere ſua conditione majus. Nos iſtuc natura ſuo docet ordine, ſtatos namque per gradus res omnes ad ſummum perducit. Jethronis etiam conſilia inordinatum regimen ad ordinem adduxerunt, C diſpoſita deductaque gubernatione per gradus uſque ad ſupremum gubernatorem Moſen. Nunc autem ut infimus ſit hominum gradus, cæleſtium ſpirituum ordines ſupervolat, ut Unigeniti locum exploret.

Non quod ſervis invideres tuis, diſpoſuiſti,ut te crearentur minores; Opifici namque ſuo impoſſibile eſt, opus eſſe æquale. Id contradicere nefas eſt & horrendum crimen; quoniam ſi factus Factori ſuo compar D exiſtit, non hic ſervus, ſed ſocius videatur, nec Opifex operis ſui Dominus ſit, ſed collega. Felix, qui doctus intellexit, Dominum benigniſſimum, quum ſervum amaret,ad ejus conditionem ſe demiſiſſe, atque operis ſui formam induiſſe Opificem. Non decet opus cum Opifice componere, ipſa inter ſe nomina diſcordant, magis etiam res. Bonus autem Dominus, ut ſuum erga ſervos amoE rem oſtenderet, nomina mutavit, ſua ipſis dedit. Inde Reges & Sacerdotes aſſumſere Dei appellationes, tum ex divinis nuncupationibus Moſes & Joſue inclaruerunt.

Benignus Dominus vocabula noſtra ſibi aſcivit, ad granum ſinapis ſe demiſit, cum ſemine omnium minimo ſe compoſuit, ſua nobis nomina dedit, ſuſcepit noſtra, illa nos fecere magnos,noſtra minorem illum fecerunt. Felix, qui nomini ſuo tuum noF men attexuit, tituloſque ſuos tuis ornavit cognomentis. Propoſitam hic veritatem natura nobis probat, velut ignis aurum. Sol ecce totus toti oculo patet. Sol autem non quod ejus pars aliqua lateat, oculo totus aſpectabilis non eſt. Totus utique patet, non tamen ex toto milleſimam cernis partem. In ſole tua arcana generatio noſtris ſubjicitur oculis: cujuſnam autem oculos eò aciem intendere valeat, ſuſtineatque objecti vim tanti?

Cogita rursus Mare, nemo suo istud subjiciat aspectui. Non illud loci distantia nostris subtrahit oculis, quum videas nautas in ejus sinu suos agitare cursus: quid num ejus unquam tenuere fines? Haud aliter apud summum illud numen res agitur, opus suum intra se tenet, rerum naturas, facultates & vires, ipsosque Angelorum ordines vi ac potestate sua complectitur; quod vides totum, & quod non vides, totum in illo velut demersum imaginare, nec tamen quemquam invenias, qui Effectori suo pervestigando sufficiat. Hic vero communis Aër rebus immistus, omnibus in omnes partes se fundit: vitalem nobis & salutarem spiritum præbet; ducitur expelliturque, nec afficit spirantem, obsidet, & abesse videtur, succedit manibus, nec palpatur, fugit nec mutat locum, apprehenditur, nec tenetur, captus, non capitur, corpora subit & obsidet, nec impedit tamen, quo minus quoquoversum ferantur, atque rursus prorsus suos reciprocent cursus: omnia a Spiritu pendent, atque portantur, portantem nemo fatigat; omnia ejus capedo ambit, quin quacumque perinde, ut per inane se versent; major est quàm, ut alicubi se abdat; hem latet, quum non lateat, in se retrusus, se ipse recondit.

Parallela Aëris colores puta, quibus tibi exprimas inimitabilem sempiterni numinis imaginem. Præsens idem nobis est, & abest, in nobis quum sit, nullibi est: rebus omnibus intervenit non obsessum, non seclusum perinde tamen ac si deesset; & quia nec locus occurrit, qui illud intra se recipiat, reciprocans se, in seipsum reducit. Ut quieta deinceps mente consisteremus, expressimus numinis a nostris remoti sensibus imaginem, idem introspicere & explorare nefas esse putemus: abscedamus ergo & in tutam silentii stationem rectâ subeamus. Si Cæcus quispiam prunas attrectet, hunc earum fulgor nullatenus juvat, vehemens contra lædit calor, numen illud absconditum nocet temere scrutantibus, pie contra reverentes, magnifice extollit.

Filius Patri majestate & nomenclatione conjunctissimus est; quum autem in his duobus illi proximus sit, in tertio ab eo remotus esse non potest; quare si Pater imperscrutabilis est, Filium perscrutari impossibile esse oportet. Quisquis porro Unigenitum pervestigandi libidine ardet, Genitorem scrutari appetit: quisquis Filium discutit, ad exploranda Patris arcana aditum pertentat. Quisquis naturam fructus scire desiderat, continuo ad explorandam arboris radicem delabitur: Filius habet quod disquirere

A quirere delectet, habet etiam quod ex paupere divitem efficiat: quibus ad quæstionem audax ingenium prurit, disquirendi argumenta affatim subjicis, offers in proprium profectum pie insistentibus thesauros. Incidit utrobique quod vehementer miremur: omnium nempe malorum colluviem affert vestigandorum arcanorum tuorum libido, cuncta nobis comparat bona noster in te amor, & ardens Caritas.

B Cælo demissus ad te ille descendit, fructum amoris ejus deliba. Si sapor te delectat, vide, ne curiosa ejusdem investigatio tibi officiat: idem quippe alexipharmacum est salutare, & mortiferum venenum: quod tibi attulit, accipito, dato, quod vicissim auferat ipse sibi: datum tuum ab accepto ne dividas; quandoquidem accepisti quæ liberalis & pius Dominus dedit, opera C illi reddito, quæ admittere ipsum non pigeat. Beneficia contulit amplissima, accepit pias a nobis compellationes; visus est, quum ad nos descendisset, cultu dignus divino, talem ei exhibuimus: divina dedit, dedimus humana: magna promisit, magnam Abrahæ amici ejus fidem, promittenti adhibuimus: pias in pauperes largitiones ei fœneravimus, iterum ab ipso cum fœnore exigendas expectamus.

D Juvat laudare Solem, obscura caligine circumseptum: quamquam difficile est, sola dubiæ lucis ope lumen abditum ac retrusum cernere, sideris ab illo accensi dumtaxat ductu ipsum dispicere conceditur. Vides, ut idem effulsit sedentibus in tenebris, ut simul avertit omnium oculos ab aspectu caducarum formarum, convertitque ad contemplandam Patris, a quo missus fuerat, pul- E chritudinem: vide modo obstupescendam & incredibilem hominum hujus temporis stultitiam. Hærent usque nobis in corpore ulcera, vulnera in Anima, vibices in spiritu; quumque oporteret, aptam malis quærere medicinam, ad indagandum Medici genus & naturam, mentem oculosque convertimus. Proh quam difficilis evasit nostrarum plagarum cura, ex quo ad piam Medici operam nostro ista vitio exaspe- F rantur!

Accedat, quæso, meæ menti Fides tua, velut quoddam coagulum, cogat ista animum vagantem, vanisque distractum quæstionibus. Stat deinceps in pulsando tuum, Domine, ostium, insistere, donec tua mihi misericorditer allabatur gratia, sequentur istam opes & divitiæ, adeo, ut qui sexcentorum talentorum modo sum debitor, extemplo creditor factus, de tuo tibi fœnerare sufficiam.

SERMO VI.

MIror qui fiat, ut a vera doctrina quispiam aberret: editissimo monti ea similis est, lippientibus etiam conspicua. Quis enim certus hunc esse Patrem non statim intelligat, ab eo Filium fuisse progeneratum? Pater Filium genuit, non quasi ipse sibi minus sufficiens. Nihil enim illo beatius, nihil omnino omnibus bonis affluentius cogitari potest. Nec ab ipso prognatum aliæ simul produxere causæ: Ipse magnum Pater progenuit Filium sua voluntate, nulla vi coactus. Oculus infirmus vehementem Solis impressionem non sustinet, suum ille temperat ardorem, æstumque mitigat: inde porrectus remollescit radius, fitque oculo tolerabilis. Extra Genitum Genitorem nemo vidit. Oculum suimet operis ille latet. Genitor sub nullius aspectum cadens, in Unigenito suo spectari potuit: Emissus ab eo admirabilis radius, ejus lucem oculis attemperavit nostris; nec enim debuit nos affligere, qui valentes & robustos facere volebat. Radio similem diximus, quum huic similis non sit; sed quum nulla suppetat species, quæ ejus imaginem exprimat, eandem, ascitis aliunde symbolis, adumbramus, ut qualemcumque ejus notitiam, si non ab ipso, certe ab eximiis, quibus nos ornat beneficiis, pro nostra tenuitate, colligamus.

Numen, quod non manducatur, in pane cibus evasit; in vino propinatur vis, quæ non bibitur; & in oleo inungimur virtute, in quam talis non cadit usus. Quemadmodum vero se palato attemperavit, ut comederetur; sic oris sui fulgorem, & orationem mollivit, ut nec aspectus oculos offenderet, nec sonus aures obtunderet. Si tuum, Domine, conceptum considero, miraculum obstupesco, si nativitatem tuam recogito, opido decoram & gloriosam agnosco, si autem baptismum, video sanctitatem expiationis minime indigentem, si nobis partam ope tua salutem recolo, eximiam pietatem demiror. Ipse es, cujus necem sacræ victimæ adumbrabant, cujus mysticam comestionem sacrati panes præfigurabant. Si ad Prophetas me refero, ipsis immistum te video, si ad Apostolos revenio, cum ipsis conversantem te audio, quem in imis sepultum video, in summis adoratum reviso. Totus, Domine, rebus omnibus intervenis & moderaris.

Unigeniti virtute Mundus & omnes Mundi partes initio constituta sunt. Dixit Deus: *Fiat lux*: cuinam ille præciperet, quando nullus aderat, qui mandata acciperet,

[illegible]

A peret, vel exequeretur ? Quod ſi ipſi luci imponebatur præceptum, hæc utique jam facta præſumebatur. At Deus *fiat*, ait, diverſum autem eſt, *fiat & facta eſt*. Clare Pater Unigenitum ſuum deſignavit, quando cum ipſo de Adami creatione ſic deliberabat. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Profecto delirat, qui hæc homini, qui nec dum erat, dicta putet, non ergo hunc Pater alloquitur, ſed illum,

Gen. 1. 26.

B qui per lignum hominem mortuum ſuſcitavit ſexto poſt millenario, idem videlicet poſt excitavit, qui initio de limo finxit ſexto pariter die, in quo, accepta item ex ligno occaſione, Dei indignationem incurrerat. Porro ſuſpicari vel affirmare, Angelos his verbis in ſocietatem operis a ſummo Opifice vocari, hominis foret opido impudentis. Atqui ſi decere putant, ſervum Do-

C mini ſui collegam & ſocium fieri, quo magis decorum eſt, Filium Patris negotia tractare, quæ unus ipſe poteſt tranſigere adeo ut dicentis voci ſtatim occurrat effectus, & jubentis imperium ſine mora ſequatur creatus e nihilo Mundus.

Rurſus diſceptari poteſt. Cur Deus quæ effecta mox præſtitit, ante verbo præſignificavit? Quid? num divina voluntas ad efficienda, quæ effecta volebat, impotens

D manſiſſet, ſi non ſilentium verba rupiſſent, aut quas emiſit voces, in corpora mutavit, unde opera, quæ moliebatur perficeret? utrumque labaſcit; ſtat ergo tertium, Deum opus compari perſonæ commiſiſſe: ſi quis autem fingat, Deum rebus factis mandaſſe, ut, quod fiebat, ab ipſis fieret; commentum evertit Adamus, cui certe dici non potuit. Adesdum, Adame, faciamus hominem ad

E imaginem noſtram. Iſtuc ſocio non dixit, nec mandavit ſervo. Non convenit ſervo Conditoris loco habere conſervum; ergo per Filium exædificatus eſt Mundus.

Perexiguum eſt quodcumque opus, nec Opifici ſuo comparandum, ut Mundi inceptor credatur & perfector. Sed nec alia aderat Creatori coæva ſubſtantia, ut proinde ſuſpicaremur, ſuam illi operam in molitione rerum conferre potuiſſe. Faceſſat er-

F go ſervus & ſocius, ad Unigenitum Filium rerum iſta molitio redit. Hic porro nec ut ſervus hero obſequitur, nec ut extrarius in ſocietatem operis adſciſcitur. Patris vocem unus ſuſtinet Filius. Tuque ſemper exiſtentem mirare, qui vocis ſuæ vim nemini tolerabilem, Filii ſui ſuavitate lenivit. Primogenitum intuere, ſtatim intelliges, a ſociis ſerviſque eſſe diverſum: ſublimis quum ſit, idemque humilis; ſervis quidem major eſt, ſociis vero minorem ipſe ſe fecit; nec

ſervis

A ſervis proinde accenſendus eſt, nec ſociis, utriſque ſupereminet. Nec ſervus eſt, quia Domini Filius eſt, nec ſocius, quia Unigenitus eſt. Satis conſpicua veritas eſt, expoſitam aſpicere volenti. Senarius dierum numerus, ſpatium, quo Mundus conditus eſt, totidem ejuſdem proſpectibus, & quaternis ejus partibus, atque Inferis Superiſque prædicat, nefas eſſe credere, divinum Opificem mandaſſe rebus necdum effectis, ut ipſa ſemet efficerent. Ergo ab uno per B unum omnia incœpta perfectaque ſunt: Pater juſſit, Filius peregit opus.

Quod ſi ille parens rerum fabricatorque Mundi Terræ mandare voluiſſet, ut ſua proferret germina, ea dicendi formula uſus fuiſſet, quam, Hevam alloquens, poſtea uſurpavit, ſic fatus. *In doloribus paries*, pro eo itaque quod dixit: *germinet*, fac germines tu Terra, dixiſſet. Hæc ergo ad Filium C dicta accipito, qui terram ſtirpibus plantiſque conſevit, quamquam non in omnibus omnium ipſe ſator ſuam cælavit imaginem, ſed dumtaxat in una, hæc arbor vitæ fuit. Næ ille ſua noverat componere verba, unde intelligeretur aquas affari, quemadmodum poſtea Caino diſtinxit, non alium quempiam, ſed ipſum nocentem divina voce citari; ergo quando dixit: producant aquæ D reptile, non iſtud dixiſſet, ſed illud: producite aquæ; declarandum quippe fuit non alteri cuipiam, ſed ipſis, quod deſignabatur opus, imperari. Ita ſane: Pater Filio ſuo deſiderabili dixit, ut deſiderabiles piſces crearet & decoram volucrem. Providit ſapientiſſimus Artifex, ut in ipſa Protoplaſti molitione majeſtas Unigeniti ſui pateſceret & agnoſceretur. Scilicet præſciebat, reliquis in ſua integritate perſeverantibus, E ſolam Adæ ſobolem a propriæ conditionis generoſitate degeneraturam; claram idcirco ſui Filii notitiam ab initio præmiſit, ut Adæ Filius Filium Dei olim negaturus a proprio parente Ada revinceretur, ipſo affirmante, ſe Unigeniti manu de limo fictum, quumque nihil eſſet de nihilo, ejuſdem voluntate creviſſe: rurſus quum poſt lapſum erraret, ipſius cura fuiſſe reductum, & gradu repoſitum priſtino. Jeſu glorioſum nomen myſticus pons, F quo a morte in vitam trajicimus. Quum ad te veniſſem, hæſi in primo tui vocabuli elemento. Præſta, precor, orationi meæ facilem hoc tramite ad tuam veritatem aditum: oro, mihi ſervo tuo tua caritas pro ponte ſuccedat. Te deducente, confido tuum ad Patrem me venturum. Certe veniam, & prædicabo magni Patris piam in nos voluntatem, quoniam numinis ſui vim nobis minime tolerabilem Filii ſui lenitate mollivit.

SER-

SERMO VII.

QUis homo iſtuc, qui propriæ immemor originis, ſuæque conditionis ignarus, Unigeniti Dei naturam perſequitur, ſeque explicaturum promittit? Siccine rerum ab illo factarum rationes invenire ſe poſſe confidat, qui nec ea, quibus ipſe conſtat, elementa novit? ſuam itaque in propriis expertus inſcitiam, fateri cogitur, ſuum utique Dominum ſibi incompertum eſſe, quando nec ſibi, quid ipſe ſit, clare liquet. Proponitur nobis ſcopus ingens, conſpicuus, idemque propinquus; nihilominus quiſquis in hanc metam jacula direxit, inde aberravit, & excidit. Atqui ſi hujuſmodi ſignum ſibi cæteroquin proximum nemo collimare potuit, quid ſi meta occulta & procul poſita, jaculo petenda ſit, quis in hujus centrum ictum adigere non deſperet? Itane oculus, qui ad humanam Filii Dei naturam caligat, ejus Divinitatem, arcanum maxime abſtruſum ſe perſpecturum confidat.

Ipſe demum ſe demiſit, carnis ſpecie propriam diſſimulavit formam: illo fulgurante, totus fulſit Jordanes, parvam accendit in monte facem, tres columnæ, quas Euangeliſta numerat, ſubito concuſſæ motu, tremuere, metu, pavore, horrore perculſæ, occultæ licet majeſtatis fulgorem infirmis ſpectatorum oculis ille temperaſſet. Venientem ſenſit mare, mox intrantem expavit, & quamvis, ſævientibus ventis, æſtuaret, illico ſubmiſit dorſum, vexitque transfretantem glorioſius, quam aliàs Aſinæ pullus. Simplicem crediderunt hominem nautæ, quandiu cymba vectum conſpexere, ſenſerunt homine majorem, quando in ſalum exſcendit, calcavit æquora. Nec ideo auſi ſunt, porro inſtare, quis tu, aut cujas? ſed rerum geſtarum novitate perculſi, admiranda ejus opera laudarunt, Auctorem venerati ſunt & ſiluerunt. Illum alibi quando quæſivere Magi; quumque in præſepio jacentem reperiſſent, adoraverunt cum ſilentio, nec futiles ei quæſtiones, ſed munera attulerunt. Iſtos tu imitare, quumque illum cælo inſidentem habeas, omiſſis diſquiſitionibus, tuas ipſi exponito merces, operaque ex virtute facta, narrato.

Huc, oro, adeſte, Fratres, ſtupete Viros, qui quum Regem ad infima demiſſum cernerent, ſibi nihilominus imperare potuerunt, ne, quis iſtuc veniſſet, ſciſcitarentur, aut diſquirerent, quid interim agitaret? Plane non liquet, ullam ab eis de hoc ſubjecto quæſtionem fuiſſe inductam; ſciendi videlicet libi-

libidinem vicit ſimplex Fides tacendo. Age jam ſi Magi humi jacentem interpellare auſi non ſunt, tu ne audeas pertentare ſedentem ad dexteram Majeſtatis in Excelſis. Imo enim nec Latro poſtea diſputavit, ſed, omni diſquiſitione remota, confeſtim Fidei dedit manus; Non ſic ejus ſodalis ad lævam olim ſegregandus: diſceptare is maluit, quam credere, quæ prima ruinæ cauſa ipſi fuit, ſpemque ſalutis præcluſit omnem. Similis diſcendi pruritus Scribas, mox etiam Herodem ſeduxit, & Diabolum ante incitavit, ut Dominum tentarent, ejuſque conditionem diſquirerent; Chriſtus hanc notitiam procaciter petentibus negavit, conceſſit ultro infantibus & lactentibus. Stella nati cunas ſuperfulſit, diſceptantibus faceſſere juſſis, Gentium hunc eſſe lucem ſua præſentia declaravit, ipſiſque veritatem diſcere volentibus, diem allaturum. Quum poſt baptiſmo ſe ſubjeciſſet, ſubeuntem aquas Spiritus obumbravit, obtenta columbæ ſpecie, quominus quæſtionibus locus pateret; quo etiam clariſſime præſignavit, inſtituendam ab illo noxarum per ignem expiationem, magnum intonuit Pater & alta voce. *Hic eſt Filius meus dilectus*, inquirendi licentiam cohibere volebat.

Quicumque hujuſmodi impetus repreſſere, & diſcuſſa futilium diſquiſitionum anxitudine, tranquillum pacatumque animum obtinent, hi nimirum vera docenti facile aſſentiuntur; Phariſæi contra curioſe inſtabant: quis hic, aut cujus Filius? perveſtigando verum, a vero exciderunt, ex Fide ſuſpenſa ſunt omnia, & quicumque veritatis indagatores videri voluerunt, ipſam indagando, ab eadem aberrarunt. Centurio homine major viſus eſt, quum illum obſtupuit Deo parem, ejus excellentiam agnovit, & recuſavit acceſſum, ingreſſum non admiſit ob reverentiam, tu diſquiſitionem. Et quoniam hodie manifeſtatum in carne ejus adventum refutare nequis, mirare & ſile, inutiles quæſtiones cave & abſtine: ſatis eſto tibi; quod pro hoc ſilentio Fidem ille tuam coram Angelis ſe laudaturum, promiſit. Cum Thoma Centurionem componito, utrum utri præferendus ſit; iſte ſimpliciter propoſita credit, inſtat ille, iſta tactu exploranda prius: iſte a Domino ſuo laudatur; arguitur ille a ſuo Magiſtro, & caſtigatur. Atqui ſi reus eſt, qui poſtulat experimentum præire, fidem ſequi; jam vides, inſontem non eſſe, qui ſcrutari interim obſtinat, fidemque ſuſtinet in poſterum.

SER-

A

ܡܐܡܪܐ ܬܡܝܢܝܐ .

[illegible]

C

SERMO VIII.

O Qualis extitit lux, Mosis ex ore micans! talis videlicet ad cujus radios nullus non conniveret oculus: siccine qui vultum hominis mortalis non sustinet, is sibi promittat conspectum Viventis, cujus lumine cuncta animantia stirpesque vivunt? Si fulgurantis ab ore servi B lucis vis tanta fuit, ferat ne homulus argilla & luto fictus, vultum ejus, quo conspecto, Sinai mons fumavit, visusque velut cera tabescere? Non potuere Potentes Mosis gloriam speculari, dum velaminis interjectu ardor coruscantis lucis mitigaretur, veterascentis veli loco vivi ignis splendor quadrigam circundat, hic nimirum, adjunctis Cherubim, tolerabilem redC debat Aurigæ conspectum. Tu vero quietem & silentium obices puta tibi obstantes, quominus ad divinum lumen conspiciendum aspires.

Nemo prostantis velaminis clausa recludere ausus fuit, examinaturus jubar famuli intra morantis; sed & illum mox accedentem, universæ pertimuere Tribus, conspectumque præsentis fugerunt. Atqui magis horrendum est, adyta pertentare, inD tra quæ retrusa latent Divinitatis arcana, cujus ad conspectum dicuntur trepidare Cæli & Cælorum indigenæ Angeli. Velatus Moses adumbrabat, revelandam tuam veritatem, uti tuam facundiam linguæ ejusdem impedimentum: gemino hocce typo tegebantur tua facta ac dicta. Oris velamentum sustulisti, linguæ solvisti vincula, arcana cuncta patuerunt. Ora loquuntur vera diE cta, divina facta cernunt oculi. Obtentum oculis Mosis velum, & vinculum ejusdem linguæ injectum, binæ fuere vittæ, ora populi illius cæcutientis obnubentes. Tu autem Justis diem tuum desiderantibus, te conspiciendum præbuisti, ac præsentem; quicumque vero hodie quoque te pernegant, obnupsere oculos, obstruxerunt ora, nec loquuntur, nec vident; ad spectandam pulchritudinem tuam invitati, cæci sunt, diF cere aliquid de te rogati, muti sunt.

Subjecti in Mose typi, fatuis gemina velamina Crucifixoribus obtendenda, præfigurabant; sed quoniam nobis veritas jam illuxit, turpe est, si nos adhuc tenebras palpare delectat, vel antiquis rejectis, novum velamentum subjicere, inhonestum scilicet pervestigandi studium. In publicum jam prodiit Unigenitus ipsa pulchritudine pulchrior. Vide, ne cuipiam rerum, quas cernis, similem fingas, ejus quippe omne assimi-

assimilat Patrem. Adytum templi sanctissimum intrabat Pontifex una vice per annum, præterea nunquam, nec tamen sine timore ac silentio. Sed enim si decuit tantopere revereri templum, huic insidentem Divinitatem vestigare quis audeat? revereamur ergo Unigenitum, ut putemus, nefas esse de illo disceptare, quum ipse sit verus templi Dominus.

Rursus Cælestis ignis absumsit cum suis thuribulis Sacerdotes quinquaginta supra ducentos, qui delatum Aaroni Pontificatum usurpare volebant: terraque dehiscens Core Levitam cum sociis absorpsit, quod Sacerdotale officium temere & arroganter petiissent. Profecto si Aaronicum Sacerdotium tali reverentia dignum habitum fuit, qualem adhibendam putas Mystarum Domino, qui suum Sacerdotium proprio Sanguine dedicavit. Hujus proinde numen tu scrutari ne audeas. Si tristem quisque miseratur casum, quo, erumpentibus repente flammis, absumti periere Aaronis liberi, ausi profanum Altari inferre ignem. Quis jam credat, eos simile incendium evasuros, qui tentant, peregrinas in Ecclesiam quæstiones protrudere. Ecclesia disputare concedit & approbat, ut prodita interpreteris & explices, negat & damnat, ut abdita, arcana scruteris.

Magnus Oza Sacerdos ausus manum porrigere, ut Arcam sustineret labantem, in ipso facinore morte multatur: quæ jussus fuerat, exequi neglexit, quæ commissa non fuerant, sibi præsumsit. Arcam humeris gestare debebat, protendit manus; suo auxilio credidit indigere vim, res omnes ab exitio refrænantem: suspicatus est Arcam proxime casuram, dum ejus ruinæ occurrere parat, ab ea occiditur. Disce monitus, ne sacra occupes, quæ obire jussus non es. Ozias Rex honorem offerre se credidit, injuria fuit: cave, ne indagandæ veritatis obtentu, Unigenitum offendas, ejus arcana temere & arroganter scrutando. Falleris, si credis Fidem aliquando casuram, ipsa cadentes sustentat: cave, Ozam imitare, ut nutantem fulcire velis; ictus ipse cades.

Satrapæ Arcæ contemtores, ejusdem potentiam experti, etiam numen agnovere, donisque testati sunt. Capite manibusque multatus Dagon, accidit ad ejus pedes. Agedum quali dignum honore reris Euangelium Christi, quo intrante, dejectus imperio Diabolus, corruit. Quin ergo ei occurramus dona ferentes, cujus divina vis nos misere dilaniatos persanavit. Arcam Jordanes prospiciens, suas divisit aquas, retrocessere fluenta;

[illegible]

enta; præſente Domino Naturæ, naturalem curſum cohibuerunt: at ſi Arcam extimuit fluvius, idcirco quod Legis divinæ tabulas contineret, quo magis pertimeſcenda ſit de rebus divinis diſceptatio, quiſve ad eam non vereatur accedere, quum illa tabularum Dominum recondat.

Admiranda Daniel animalia ſpectavit, gloriæque ſuæ inſedentem ſolio Antiquum dierum; & animalia quidem acceſſit, cupiens eorum formas inſpicere, ac pernoſcere proprietates; ab indaganda vero Altiſſimi majeſtate etiam atque etiam abſtinuit; quo magis ſtupeas ineptiſſimorum hominum ſtultitiam, qui magni Opificis admiranda opera quaſi per tranſennam aſpiciunt, dum ad ipſum inveſtigandum feſtinant. Idem Propheta prope adſtantem Angelum contuens, expavit: næ illæ nomen, genuſve ſcitari non potuit, quando nec vocem audire ſuſtinuit. Quum Daniel ſervi vultum non tulerit, tun' Domini conſpectum feras? Atqui hic nutu tremefecit freta, miſcuit, fugavit, & aquas bifariam dividere coëgit. Iterum quum idem peteret cujuſpiam oraculi interpretationem, audiit, id eſſe ſignatum, nec fas eſſe, arcana perveſtigare futuri. Scilicet hujus modi reſponſum tulit Propheta, quid referet alius, qui Unigenitum examinare parat, in quo velut in theſauro omnium arcanorum ſumma reconditur? ipſe ſui Patris theſaurus eſt, & conſiliorum ejus rationarium. Faceſſat hinc quiſquis ſe credit, poſſe hos aditus irrumpere.

[illegible]

SERMO IX.

Rectus ante fuit, qui nunc inverſus eſt diſquirendi Ordo. Legito, quærito, & diſcito, illum a Patre fuiſſe genitum; generationis modum quærere abſiſtito. Non tulit Jordanes Arcæ præſentiam, retroceſſit, fugitque, ejus reveritus conſpectum. Tu clauſtra temere pervadis & impudenter exploras, ut tandem ſueſcas adverſus Majeſtatem inſanire. Retulere pedem verecundi juvenes, ne parentem Noëmum indecore nudatum ſpectarent, ut liceret, deinceps objurgare procaces. Illi, averſo vultu, nudum texerunt, tu diſquiſitiones averte, quæ tecta nudant. Nudatum illi veſtierunt, veſtitum iſti excutiunt, pallia pudentiſſimi adoleſcentes interpoſuerunt, ne aſpicerent, quod oculis patebat; impudentiſſimus Scrutator ſi poſſet fieri, Unigenitum propria ipſius gloria ſpoliaret, ut plane totum uſquequaque perſpectaret.

Quamquam & hoc ex ipso te disces, fieri difficillima, quæ ante facillima fuere, si quidem rerum modum immutes aut ordinem. Facilis est descensus, si autem gressum sursum in contrariam partem advertas, iter tibi minime difficile, laboriosissimum effecisti. Disceptandi studium opus plenum laboris evasit, postquam a recto ordine descitum est, & audax nostrorum hominum ingenium fidei valedicens, animum ad habendas quæstiones appulit.

Quum Deus Jobum legibus ac judiciali jure persequeretur, quæstiones illi de rebus sub sensum cadentibus proposuit, quas quum ille expedire se non posse fassus esset, tacuit. At vero si Jobus visus sibi est minus idoneus, qui objectas de rebus obviis quæstiones, dissolveret, insanit profecto, qui arcanorum Unigeniti scientiam sibi arrogat. Jobus, qui ægro corpore aciem ingressus, dimicavit, & vicit, vertitque vulnera in argumentum triumphi; quæstionibus mox pulsatus, se victum palam confessus est: in ea scilicet parte, quæ sua erat, vicit, in foro non suo victus est: in pugna vicit, quia nostrum est pugnare, & pugnando hostem sternere: in quæstionibus victus est, quia nostrum non est, disquirere. Diabolus nobis insistit, ut in iis, quæ nostra sunt, desidiosos habeat & inertes; in iis contra, quæ nostra non sunt, trepidos ac solicitos efficiat.

Ezechiel rogatus, utrum mortuorum ossa vitam olim recuperatura sciret, etsi Propheta id minime ignoraret, certus aliunde, lucis amissæ usuram extinctis aliquando fore reddendam; hæsit tamen, nec rem sibi cæteroquin satis compertam, affirmare est ausus; sed omnem scientiam in unam velut coëgit summam, retulitque ad omnia scientem. Prophetam sequere, ne quid supra captum audeas sicunde solicitaris, ut quæstionem omnium difficillimam, & Uni modo compertam definias.

Zach. 4. 5.

Zacharias item quum de mysteriis sibi ostensis Angelum sciscitaretur, hic explorare volens, utrum visa Prophetam perturbassent, excitat illis verbis: *Numquid nescis quæ sunt hæc?* Nec sane Prophetam puduit, ignorantiam fateri, quo videlicet modestiam petulantes doceret. Tantus Propheta propriæ diffidit scientiæ, suæ confidunt nostri temporis homines superbi & audaces. Sacerdoti importune disceptanti Angelus loquelam abstulit; Scrutatores similis supplicii timore frænavit: si magnus Sacerdos linguâ pependit petulantiæ pœnas, quia Præcursoris, & servi generationem conceptumque scrutari ausus fuerat; timeat quisquis Domini

A Domini rerum genus disquirere non timet, timeat enimvero, contremiscat, & exhorrescat. Zachariæ sciscitantis ori frænum injectum fuit, loquendique facultate multatus, *Luc.* 1. 20. ut nempe tacendo honorem dicto, dicentiq; exhiberet, quem præstare neglexerat disceptando: quale putas silentium exigit, quæ B Unigeniti generationi debetur reverentia? Pater, qui de sobole sua aliquid sciscitari sibi fas esse putavit, id impune ferre non debuit. Quî ferat ille, qui eum, qui est, petulanter adoritur, ejusque Dilectum ipsius in sinu discutere tentat. Quo Zacharias fidem examinat, evertit: quem ergo disceptare delectat, ipsa disceptatio arguit, nec dum suscepisse fidem, vel susceptam, disceptatione admissa, ejecisse. Disceptationi cum fide non C convenit, id Zacharias docuit, dum, disceptatione ore recepta, expulit a corde fidem.

Quum serpentes populum per deserta oberrantem infestarent, colubrum Moses ex ære conflavit, fictumque simulacrum in loco conspicuo ac patente exposuit; Anguis aspectus vitæ pharmacum evasit. Populo vidisse, Gentibus credidisse, salutem attulit: umbram Unigeniti in hoc facto vides: D facesse ergo contentiosas disceptationes non istæ, sed pius reparatoris aspectus vitam nobis reparavit. Quicumque cupis ab auctore sacramentorum haurire salutem, hunc fidei oculis intuere. Cruor postibus aspersus, petra, nubes, columna & virga &c. Unigeniti imagines & umbræ fuerunt. Quandoquidem incredulus ille populus sacros ejusmodi typos citra examen admisit; Vos, Gentes, Unigenitum Mysterio- E rum thesaurum perscrutari absistite, ne Cæcorum populus de vestra ruina lætetur.

Quum mutua vos caritas jungeret, una disjunxit, divisitque disceptandi libido, quæ vos appulit ad scrutandam naturam inscrutabilem. Hinc populus Cæcus argutabatur, veram esse non posse, quam profitemur, Fidem: sed si hæc vera non esset, suorum professorum discordiâ imminui debilitarique debuisset; atqui mirum in modum F inde propagata est: scilicet occæcati Judæi non vident, Vos Scrutatores, rerum, quas illa docet, magnitudine oppressos, falsis opinionibus succubuisse. Etenim si Unigenitus nec Angelo, nec puro homine major esset, nec difficilis, nec obscura foret de ipsius natura disputatio, cito intellexissemus, hunc esse servum ex ipsa generis sui conditione. Quisquis igitur de illo disceptat, causæ, quam oppugnat, patrocinatur, ipsa disceptatio magnitudinem subjecti indicat. Ipsum hoc, quod illum scrutari non possumus, Deum esse testatur.

Omnium

Omnium ſeculorum ingenia illum quærendo circumcurſarunt omnia ; incomprehenſum nemo comprehendere potuit. Quaſquas menſuras ſi pelago applices, ab ejus amplitudine deficere intelliges; nec enim immenſum menſura capit, ut ab ipſo capitur ; falleris tamen, ſi hoc mare minime extare inde ſuſpicaris, quod ejus magnitudo Scrutantium intelligentiam tranſcendit. Profectò niſi illud extare ſcirent, ejus vada pertentare abſiſterent. Quidquid repoſcenti facile occurrit, non magnum fuit. Siqua mens omnia intelligentem intelligendo comprehendit, etiam exceſſit, totumque emenſa eſt; quiſquis ergo Patrem & Filium ſcrutatus eſt, utroque major fuit. Apage hinc, qui talia fingis, nec unquam fiet, ut Pater & Filius ad noſtræ mentis modulos deſcendant, aut pulvis & cinis ad illorum conſpectum aſcendat.

SERMO X.

Pſ. 80. 11. SCripſiſti, Domine, *aperi os tuum & implebo illud*, ecce os ſervi tui patet, patet & cor: Tu, Domine, ambo tua impleto gratia, ut ſecundum voluntatem tuam cantem gloriam tuam. Et quoniam cuilibet parato de te dicere, cujuſlibet menſuræ terminus proponitur, ego ſi quando mihi licebit fari aliquid de te, in infimo ſubſiſtam gradu. Intra ſepta ſilentii obſignata latet origo tua, qualem ergo oportet eſſe linguam, quæ tale ſibi audet ſumere argumentum? Quum unam habeas naturam, non unam habet illa notionem: varii de ea feruntur ſermones, alii ſublimes, humiles alii, medium quoddam plerique tenent. Mihi quod minimum eſt, oro, concedas, micas de tua menſa decidentes legere liceat, & exilientes ab orbe ſapientiæ tuæ ſcintillulas excipere.

Plenam tui notitiam unus Genitor obtinet. Cæleſtes Spiritus majeſtatem tuam vix dimidia ſui parte conſpicuam obſtupeſcunt. Gutta tuo manavit ab alveo, ingentem excivit nobis infima tenentibus quæſtionum tempeſtatem. Et quandoquidem magnus ille Joannes indignum ſe eſſe proclamavit, qui calceamentorum tuorum corrigiam ſolveret; Feminam illam ſequar peccatricem, & ſub tegmine pallii tui confidebo, inde dicendi ſumam exordium: quemadmodum vero illa cum timore acceſſit, morboque liberata, mœrorem etiam depulit; ſic meum, oro, metum decutito, ut ab amictu ad ipſum Corpus tuum ſtylum promoveam; cupio enimvero de te meo pro modulo aliquid dicere. Tuum

A Tuum, Domine, veſtimentum ſalutis fons eſt, ſub aſpectabili pallio conditur vis, ſub aſpectum non cadens: ſaliva ore tuo rejecta, terræque admiſta, lutum fuit, res utique minima, vi tamen prædita mirabili; lucem in hoc luto Cæcus invenit. In pane tuo occultus intereſt Spiritus, qui non manducatur: ignis, qui non bibitur, ardet in vino tuo: in pane tuo Spiritus, ignis in mero B tuo, res duæ opido admirandæ, quas noſtra perceperunt labia.

Quum Dominus ad homines deſcendiſſet, in novam tranſtulit creaturam, Cælitibuſque ſimiles fecit; igne ac Spiritu eos fermentavit, ut mirum & arcanum in modum creſcerent, & in ignem & Spiritum evaderent. Angelus ex ordine Seraphim prunam Eſajæ ori haudquaquam ſuis admovit digitis, proximavit illa labiis Prophetæ ſo- C lummodo. Nec eam ipſe apprehendit, nec manducavit, nunc vero Dominus, ut vides, nobis utrumque dedit.

Angelis Abrahamus incorporeis corpoream dapem obtulit, oblatam illi comederunt. Novum nunc cerno miraculum illo præſtantius, a Domino noſtro factum, dum corporeis incorporeus ex igne & Spiritu paratur cibus & potus. Jactus ab irato Deo ignis nocentes invaſit & concremavit; ignis D alter ab eodem, ſed placato miſſus, deſcendit in terras, & in pane manſit. Porro ſi ignis ille voravit homines & abſumſit, iſte quem in pane comeditis, comedentes vita donavit. Ignis Cælo delapſus Eliæ victimam conſumſit, amicus ignis advenit nobis hoſtia vitæ reparatrix noſtræ; ignis ille appoſitas cremavit carnes, tuus iſte ignis, Domine, in ſacrificio tuo noſter evaſit cibus.

3. Reg. 18. 38.

E Ohe Salomon, qui rogas, quiſnam continuerit Spiritum in pugillis ſuis? Adeſto huc, & vide, quid egerit Dominus parentis tui, ignem videlicet & Spiritum ſupra ipſorum naturam miſcuit, miſtaque in Diſcipulorum pugillos infudit. Idem rurſum inſtas, quis colligaverit aquas in velo? Jam fontem comprehenſum velo, Mariæ ſinu, contemplare. De Calice vitæ vitæ guttam ſuo ſingulæ velo exceptam, ſumunt an- F cillæ tuæ.

Prov. 30. 4.

Cerno numen velo contectum in templo, numen, inquam, nulla hactenus intelligentia comprehenſum, idemque uſque modo maneret ignotum, niſi ſuus ipſum amor flexiſſet, ut ad nos ſe demitteret, inde cœpit ſuper velum altaris propitiationis deſcendere, illudque obumbrare. Cerno ignem & ſpiritum in ſinu Matris, quæ te peperit, ignem cerno & ſpiritum in fluvio, qui ſuis te lavit aquis, ignem item & ſpiritum in rege-

regeneratione nostra: in pane & poculo. Panis tuus immanem illum Heluonem occidit, qui suum nos fecerat panem: Calix tuus Mortem destruxit, quam video nostrum voraſſe genus. Etiam te, Domine, manducamus & bibimus, non ut tu deficias, ſed ut nos reficias.

Corrigiam tui calceamenti venerantur ſapientes, pallii tui tantum non fatui reverentur fimbriam. O quantum ab iſtis diſceſſit veſana ætas noſtra, dum ſuis de te quæſtionibus inſiſtit! Hem video cœtum compotantium mero plenum. Mirabile dictu; aquis tuæ inſiſtunt plantæ, tuis ſe pedibus ſubmittit ingens mare, idem parvo flumini ſubdis caput profluente baptizandum: fluvius, & in eo baptizans Joannes ſe invicem repræſentant, & alter alterius explicat parvitatem: parvo flumini & ſervo humili amborum Dominus ſe ſubmiſit.

Ecce jam alveus chariſmatum tuorum affluxu plenus eſt, nec jam ſuperat locus: & ego abunde exſaturatus, tuam, oro, contrahe manum, muneraque tua velut depoſita in tuo repone theſauro, nobis aliquando redditurus.

SERMO XI.

INeptus ipſe quum ſim, non audeo, ſique audeam, non confido, me aſſecuturum quod peto. Quum ſis altiſſimus, quiſquis tua ſine te aggreditur, vana ipſe ſe ludit ſpe. Tua Natura, Deus, ſuo quo nos terret numine, etiam arguit. Celſitudo tua quantum ſe elevat & excellit, tantum nobis noſtram declarat vilitatem: tua item nos beneficentia confundit, adeo ſe illa indulget ingratis. Suâ audax Scrutator doctus experientiâ teſtis eſto, nam ſi licuerit ſemel a longe proſpicere editiſſima hujus montis juga, oculus confeſtim mentem corriget docebitque, divina ſcrutari conantem, ab iis immenſum diſtare. Suus ipſum diſcurſus redarguet, propriuſque refellet viſus: linguam de illo diſceptare incipientem ſermo ipſe revincet, quam longe ab argumento aberret, quiſquis de illo numine diſputat, cujus intra ſinum velut pugillo continetur Orbis.

Ecce autem, nec auris fragorem vehementem audit, nec ſine ſono ſilentium; qua igitur ratione vocem Filii audiat, aut Patris ſilentium? Silentium certe, non tamen infans. *Cæli enarrant gloriam Dei*, habes hìc ſilentium, ſed vocale, omnes quippe gentes & ſingulas propriis affatur linguis. Hocce firmamentum nullo non die ſuum magnifice laudat Opificem. Parva res es,

[illegible]

es, homo, nec omnium nationum linguas tenere potens: apprehende prius Angelorum & cælestium Spirituum linguam, inde ad auscultandum, quæ fatur silentium Patris ad Filium, enitere. Alius est sermo noster atque aliæ sunt belluarum voces: Angelorum lingua similem non habet: silentium quo Pater Dilecto suo loquitur, Angelis quoque ignotum est.

Illum dico Bonum, qui sicut nobis omnes induit formas, ut videretur; sic omnes imitatus est voces, ut audiretur. Suam naturam unus ipse videt, silentium suum unus ipse audit. Unus ex ipso genitus illum capit, quisquis est ab ejus natura remotus, nec ad ejus investigationem accedere debet, nec vero potest. Per cæcos tramites vagus oberrabit diu, nec enim via ulla nobis relicta est ad arcanum illud & reconditum numen. Conditor quando rebus ab se conditis annuit ad sua limina accessum, hostias ac dona ferentibus, & supplicantibus id concessit, negavit scrutantibus, obsepsitque vias, ne quis undecumque ad ostium sempiterni numinis appelleret.

Dona ferenti, venientique ad orandum via ipsa se monstrat, offertque se comitem, sed & ipsa templi janua accedenti ultro se pandit, intrantem effuso excipit sinu, & allata commendat munera. Contra scrutanti viæ obstruuntur, obserantur ostia, occurrit vasta inculta & deserta solitudo, nec ad speciem tantum, sed reipsa inhospitalis. Per hæc loca palabundus errare cogetur audax, quisquis putat, Divinitatem tuam sua intelligentia non esse majorem, discat miser, se, Diabolo impellente, in hunc prolapsum fuisse errorem: sua ipsum natura convincit, se circa te errare, qui circa se, qui sit, adhuc errat, dum se mortis victorem jactat, cui nec ejus horam præscire licuit. Futuri præscientia ei negatur, imo nec rei præsentis notitia relicta est: scilicet naturam tuam disquirens, suam oblitus est: infelix sua amisit, nec reperit tua: Ipse sibi illusit quisquis sibi gratulatus est inventum, quem conquirebat inscrutabilem & incomprehensum: non is tibi quidquam detraxit; omnis quippe scientia stetit intra te, extra te illius inscitia.

Non mihi os tantum, ut tuam dicendo possit æquare magnitudinem, talem mihi gratulor ipse impotentiam, sique potentem me jactarem, impius arguendus utrinque forem, sive quod humanam naturam divina majorem dicerem; sive quod huic parem facerem, & æqualem;

quæ quidem vel cogitare absonum est. Tua suspirat cœna sodales, gestit sine fine tua cœna convivarum præsentia, & ornatu: thalamus tuus Virginum frequentiam optat, modo lampadas ferant oleo plenas. Multi vocati ad portam aspirant tuam; verumtamen quia angustum eo præbet aditum, & admodum pauci sunt, qui sarcinulas suas deponere & cuncta abjicere consentiant; ideo plures excludit secum portantes, quas illa abominatur, opes.

Tuus circa nos ardet & agit ignis, ut purget, purificet & perficiat. Et nunc quoniam ad signaculum similitudinis tuæ mentem nostram elevasti, huic, oro, jube sigillum veritatis apponi. Iter ad te tendentibus longum, breve nobis evasit, ex quo illud tuus contraxit amor, nostræ imbecillitatis misertus. Si autem fortibus viæ spatia producta fuere, id videlicet ad argumentum Sapientiæ tuæ dispositum fuit. Est solium gloriæ tuæ, est æquitati tuæ thronus, in quibus assides & excipis cum honore bellatorem, hoste prostrato, ex acie redeuntem. Tua Infirmos benignissima gratia sustinet, ipsa Gehenna tuo aspersa rore fieret mitior.

SERMO XII.

Veritas tua sal est, nostras illa, precor, condiat mentes, sic suavissimos dabit ista fructus, intellectum & sapientiam, tum Parvulorum auribus rationem & judicium infundet. Ardentem cernis fornacem, cuivis disce expositam. Sua quisque atque se huc applicet, characterem apponat suum atque doctrinam, quosque signavit & docuit prodat; ignis deteget tectum larvâ veritatis errorem. Appensa prostat trutina, adeste fratres, exploremus cogitationum nostrarum pondus. Cum voluntate tua, Domine, consilia nostra pensemus. Et si forte voluntas nostra tuæ minime concordat, tum deficiens, tum excedens, defectum, & excessum, oro, tua corrigat clementia.

Gratia & Justitia geminæ sunt lances stateræ tuæ. Quo autem loco, quove modo istæ sibi invicem æquentur, tu, Domine, nosti. Quamquam etiam quum diffidere videntur perbelle consentiunt; cum illo quippe perfecte concordant, cui omnia parent. Statera tua parvos levioribus librat ponderibus, mediocribus medios, magnos magnis, Scrutatores etiam lance misericordiæ. Immensus regni tui sinus convenas invitat cujuslibet noxæ puros: Paradisus incolas expectat castos & integros: mensa

[illegible]

A sa tua, Domine, duodenum cœtum tuum ad magnam illam cœnam venire suspirat. Imbre rigata tuo germina vivisсunt omnia, tuoque madefacta rore vegetantur, & augescunt: præcepta tua mystica mysticam terram vitali rore rigant. Oro, Domine, maturas fruges colligito, colonus es, Patrique manipulos placituros offerto.

Surculus es ex illa vite decisus, quam olim Ægyptiaco avulsisti solo. Miror, ut B ager, quem Aper de silva depastus fuerat, germinaverit modo, & sacrum palmitem protulerit, ex quo botrus ille benedictus natus est, fluxitque merum mortis antidotum. De populo Circumcisorum & zizaniorum campo provenit nobis manipulus novi panis, suavis fructus ab arbore amara: prodiitque de populo Parricidarum Medicus publicæ auctor salutis. Se- C ctus a miti planta surculus, satus est nobis Filius David, fons gratiarum erupit de terra sitiente. Mirum sane, si simus ingrati salientibus, quas super arentia arva profudit Caritas. Tui claves ærarii petentibus sua se sponte offerunt: reconditas opes diripientibus gestiunt gazæ tuæ, quia & illi feminæ arrisisti, quæ a pallii tui extremitate suo languori clepsit medicinam. Sceleratam nocentium massam fermentum D tua arte temperatum quærit; illos scilicet immutare cupit, & ad pœnitentiam convertere. Veritatis viam lux tua deplanat, offendicula legit & aufert. Tuum egentes argentum cupit, ut divites faciat: talenta tua tuæque minæ inertes & desides solicitant, hortantur, ut fœneratam tibi pecuniam in decuplum auctam, pio fœneratori repræsentent, quare nemo non laudet te, qui omnes locupletare studes.

E Tua, Domine, arma de peccatore agente pœnitentiam, & adversus vitia dimicante, lætantur. Vinea tua mœrorem exuit, cernens otium fastidire colonum, jamque æmulari socios assidue laborantes, dum liceat tandem fronte aperta, nec hæsitante lingua, navatæ operæ mercedem exigere. Justorum operum remuneratorem justum est laudare. Tuum, Domine, jugum F rebelles domat, virga tua lupos dissipat, congregant caulæ tuæ oves. Communem quemque decet exaltare Pastorem. Nostram expectat navale ratem, ejusque appulsum desiderat. Spiritus tuus ejus secundet cursum, promoveatque tuarum, Domine, miserationum remigium, quo tandem pelagi insatiabilis fauces evadat. Tua, Domine, præsidia laudanda sunt nobis. Quadrata tuo numine petra futura, decreti ædificii fundamentum artifices usque modo oppe-

opperitur, nec dubium quin superstruenda domus omnium oculos atque ora ad laudandum Opificem conversura sint. Ne autem cœpta in fabulam abeat turris, tu, Domine, imperfectum opus absolvito. Laus tua est, incœpta perfecisse omnia. Semina tuis promta horreis, terra dum proscinditur, expectat: sementis mensura in minimis quidem ad triginta ibit, ad sexaginta in mediis, in maximis ad centum.

Nitidum proponis speculum, quod e regione tibi oppositum, tuam in te expressit formam; hæc inquinatos provocat sollicitatque, ut suas tergant maculas; nec enim tibi quispiam adiungitur, quin ante suas eluerit sordes. Tua nobis clementia hyssopum offert, satagit ubique, ut nos sibi habeat mundos. Aspergat, precor, nos aquis gratiæ suæ, & præstet puros: nostris non delectatur illa malis, sed quum maxime decora sit, decorem nostrum suum deputat ornamentum.

SERMO XIII.

Meam tuebor fidem ab ea, quæ nuper erupit hæresi, credit hæc Patrem, Unigenitum ejus abnegat. Et quoniam Scrutatores occupavere summa, in munitiuncula veritatis fidem meam defendam. Ad Patrem accessi, suo ipse se signat nomine, inde ad Filium processi, propria hic origine suam ad Patrem relationem declarat, uti suam sanctitatem Spiritus sanctus, quo etiam mysterium omnis sanctitatis caput conclusi. Omnis fides, quæ signata non est, errorem deputa. Si quid inde mali in nos cudatur, id agamus, ut fortiter illud feramus, seu animus doleat, seu anima separetur, seu ardeat corpus. Certum est nullis cedere malis, hoc nempe scriptum est: Neque altitudo, neque profundum, neque gladius nostram unquam in fide constantiam labefactabit; a vero Sole quis avellat inseparabiles radios? Tribus vocabulis noster subsistit Baptismus: tribus arcanis vivit fides nostra, tria nomina Dominus noster Apostolis suis tradidit, ipsa sunt perfugium nostrum. Animam peregrino notatam signo, ovi illi erranti similem puta, sed & illam rejicito, quæ nomine notatur uno, surripuit notam a nobis rejectam, & extra caulas errat; benedicamus illi, qui suo sibi nos obsignavit typo. Rerum divinarum scientia divinæ thesaurus est fidei: hujus depositi clavis vox est doctoris, hujusque lingua illud dispensat: Nunquam fides tacuit, nunquam abstitit, auditoribus prædicare veritatem: silen-

[illegible]

silentium odere tuba atque fides, nec illa suum intra domesticos thalamos clangorem continuit, nec ista intra adyta voce submissa mussitavit.

Arborem quis vidit singularem protulisse fructum sibi semper hærentem. Fidem hanc esse dices, singularis fructus ex ea prodit, Veritas, quam unam esse liquet. Ego vero nunquam patiar, ut vel fidem meam os meum silentio premat, aut mea lingua in ejusdem confessione hæsitet, velut maxillis camo constrictis. Fidei meæ professionem meorum velut hostiam labiorum tibi, Domine, offero. Accipe poma, quæ tibi decerpsi ex arboris meæ ramis, tum loquentibus, tum etiam tacentibus.

[illegible]

SERMO XIV.

[illegible]

INvitavi te, Domine, ad convivium variis instructum hymnis. Vinum nostra desiderat mensa, laudum tuarum scientiam; qui vocatus ad nuptias hydrias mero optimo implevisti, reple, precor, os meum laude. Vinum quo hydrias impletas legitis, scitote, hujus esse vini eloquentis cognatum; ad prædicandas quippe Dei laudes nos provocat, sicut illud convivas excitabat, mirabilem liquorum transmutationem tum spectantes. Æqua. peto; quandoquidem nuptiis non tuis de tuo sex hydrias vino optimo plenas providisti, oro, ut præsentis conventus aures cantu impleas jucundissimo laudum tuarum. Jesu, cui placuit extrariorum adesse nuptiis, adesto tuis; castam & decoram cernis multitudinem tibi congregatam: sodales, quæso, tuos, & quos ad epulum tuum vocasti hospites exhilarato mœstos tali egentes levamento: canticis tuis tua concinat cithara. Sponsam tibi animam habeto, tibi thalamus sit corpus, convivæ adsunt animæ corporisque facultates & sensus. Ac si unum tibi instruxit Corpus convivium, cœnaculum tuum Ecclesia est, tuo insistens exemplo.

Synagogam Sanctus sustulit ad Sinai montem, cætera ejus membra sui oris splendore illustravit, suas cordi reliquit tenebras. Quumque se vitulo prostituisset, Altissimus illam repudiavit, sanctique fœderis tabulas confregit. Quis hominem vidit flagitio incubantem, simulque vociferantem, aut feminam suo in thalamo imminentem in stuprum, clamore simul sublato, proprium crimen publicantem. Hebræorum Synagogam in Oreb agnosce: in Ægypto habitavit, ab hera Patriarchæ Joseph didicit, nefaria agitare, simul actorum citare testes; idcirco suam Populo scelerato lu-

to lucem subtraxit ignis nubisque Columna; nempe futurum erat, ut Sol se occultaret eo die, quo Regem gens impia suum occidit, perpetrato a parentibus simile repetens flagitium.

Quomodo meam, Domine, citharam a tuis contineam laudibus, aut quomodo docebo os meum, acceptam negare gratiam. Et quamquam amor tuus fiduciam cætera diffidenti præbeat, mea tamen voluntas beneficium agnoscere nondum didicit. Divinitatem tuam homines debent confiteri, debent Angeli tuam humanitatem adorare. Mirentur isti opido quam factus sis parvus, mirentur illi opido quam factus sis magnus.

SERMO XV.

HOmo humana curet; legem meditetur mortalis, morti ob ejus transgressionem addictus; quærat peccator aptam languori medicinam. Novit prudens Divinitatem tuam silentio venerari, majestatem tuam tacitus admirari didicit doctus: & sapiens sanctis sermonibus gloriam regni tui parvulis narrare. Ne, quæso, nostra nos ipsos obliti, Divina scrutemur: ingenium metiamur nostrum, sensui nostro ponamus modum, & scientiam nostram sciamus, quam parva sit, quam multis implicita erroribus, proinde ineptissimam ad comprehendendum comprehendentem ac tenentem omnia.

Sed edissere jam quem tibi modo fingebas inscrutabilis generationis typum. Montem, ut autumo, brevissimi clivi tecum cogitabas, hunc hodie exploratum ad nos venisti. Sed apage, facesse nugas, procacem cohibeto linguam, teipsum noscito, de nihilo crevisti, argilla lutoque fictus, disce, quod nescis: ingens terræ hiatus & quaquaversus immensus a Filio Dei te dividit, in eo ferme tractu interjectus, in quo divinæ ejus originis notitiam captas. Quem humilis natura depressit, quid illi cum arduis? quidve illi cum salebris, quem fractæ deseruere vires? homulum luto fictum opido quantum dedecet superbia, ut ore protervo audeat in suum insurgere Conditorem. Quisquis Divina scrutatur, hunc puta membrum cæco vulnere debilitatum, quod si cito curare negligas, totum inficiet corpus. Qui autem omnes depellit morbos, morbidam ovem a suo segregabit Ovili, & procul abjiciet.

Scrutator majestatis perituri socium se facit, quemque de illa disceptare delectat, cum errore affinitatem inivit. Si quis

[illegible]

A quis perditum quæsivit, & se ipsum invenit, huic similem credito scrutatorem. Quisquis ambit Christi accenseri membris, consulat inprimis, ut in Christo constanter maneat: caveat ramus, ne a sua degeneret radice; alioquin succidet agricola vitem, si amaros senserit tulisse botros.

Vide, ne mentis vires perverso vestigandi labore deteras; hæbetata namque commentandi facultate, nulla relinquitur B via ad beatam contemplationem Patris & Filii & Spiritus sancti. Vide rursus, ne linguam exeras quasi gladium, ut ferias, aut quasi arcum mentem tractes, ut tua contorqueas in Cælum tela. Cave iterum, ne insidiosa illa tua disceptandi ratio quasi coluber suo corda audientium veneno inficiat.

[illegible]

SERMO XVI.

C QUI valeat servus tuus, Domine, in laudes cessare tuas, aut quomodo absistat lingua tuam prædicare potentiam, aut qua ratione cohibere fluentem liquidæ voluptatis fontem, sitienti cordi meo apertum? De tuis tibi, tua aspirante gratia, laudem dicam, a te ditatus, te munificum prædicabo, sed nec tuis magnis factis mea parva dicta respon- D dent: sic unde me magnum facis, ingratum esse cogis. Quidquod hoc est, tu, Domine, creas, alis, & auges, ideo illum laudamus, a quo missus, ad nos venisti. Dulcis est tuus, Domine, thesaurus, cujus nos custodes esse jubes, tum vero maxime mihi, quum depositum meum ærario tuo reconditum inde tale ceperit incrementum, quale selectum tritici semen pingui commissum glebæ; placuit nimirum suavitati tuæ E de parvo semine magnum mihi comparare proventum. Ecce autem delictorum nostrorum numerus in immensum excrevit, quisve deinceps quidpiam audeat petere? Nemo sane, nisi tua clementia & benignitas hoc metu liberaret ingratos. Beneficiis affecti auctorem negarunt, celant accepta, ut promissa reposcant. Propterea gazæ tuæ pulsant fores: ne, quæso, nos F repellas orantes, sed tribue quæ petimus, & non petita datis adjicito. Modestia quidem mihi placet, displicet improbitas: oro, Domine, doce me, utra tibi gratior sit, timida ne petentis verecundia, an pia amantis in petendo impudentia? Sed hæc minus tibi grata esse non potest, cui gratissima est tuorum bonorum rapina.

Tibi, Domine, meam sisto fidem, nudum & vile quum opere careat, munus; pretiosum tu, Domine, efficies, ita ego a te

a te, & a fide mea meæ inopiæ supplementum capiam. Attulit Gemmarius regi margaritam, exiguum licet ferat ipsa pretium, si regio tamen inseratur diademati, & regis ornet caput, vulgaris & vilis esse desiit, si ante fuit; quantam ergo putem ipse meæ fidei dignitatem tuum invexisse nomen? Poma tulit agricola donum, herus ferentem veste remunerat: si tali muneri talis refertur gratia, & rusticus pro pomo pallium reportat, quid? num tua magna benignitas vestem quam peto, mihi negabit? Quamquam nec parvus est, qui magna excellit fide. Si quis autem fide deficitur, tuo, quæso, numine convalescat. Uti terra granum frumenti alit & auget, sic fides mea tua floreat, oro, gratia, & largo pubescat fœtu. Sed & ipsa fides æqui bonique consulat, si quæ sua sunt, ei redhibere impotentes, negasse videamur. Tu, Domine, sua illi tuere ornamenta, ne de nostro minuta dicatur, quæ de tuo crevit.

O nos miseros, si disceptantium concertationibus distenti, fidem spectemus inertes! profecto damnandi erimus quasi inutiles coloni, qui neglecta agri cultura se somno dederunt. Si autem operi injuncto allaborare non piget, laborem utique præmium sequetur, quod unus referet prudens colonus. Quamquam hodie veram fidem non pauci dissimulant; quamque timent fatui confitentibus nocituram, silentio premunt; istorum in corde fides vigilat, in ore stertit. Precatio fugit arbitros, silentium quærit: fides contra spatiatur per fora & in luce triumphat. Quisquis religionem occultat, næ ille sibi melius consuleret, si vultum etiam celaret.

SERMO XVII.

Quisquis veritatem oculo vestigat livido, etiam si in eam incurrat, nec sibi præsentem agnoscet. Mentem perturbavit invidia & sensum tantum non abstulit, ideo nec ea, quæ apprehendit manu, intelligentia comprehendit. Furit discordia & debacchatur: turbavit Terram, Cælum oppugnat, nescit sodalem, & herum cum servo confundit. Quis adeo durus, qui non commoveatur, teneatque lacrymas, quum videat cives & socios vibrata adversus hostes tela, torquere contra suos, acceptaque a disceptationibus occasione in se mutuo incurrere. Deinde quis ferat ineptum Sophistam, qui quum aptus non sit ad discernenda ea, quæ sibi in se parent conspicua, spe vana nititur ad summa,

[illegible]

[illegible]

A ma, & quum quisquilias in propatulo positas minime cernat, se supra rerum Conditorem extollit.

Quocirca quum Deus se penitus impervestigabilem esse sciret, vestigabile Corpus induit, ut nos a præpostera Divinitatis indagine arceret, doceretque in ijs, quæ in ipso humana sunt, conquiescere. Annuit itaque nobis scitari, quomodo divina ad nos natura descenderit, & materno in utero per B novem menses tacuerit, quove consilio in terris versata sit per annos triginta. Scopus nempe fuit, tum ut inde intelligeremus, nostri gratia tantam molitionem esse factam, tum ut per eam moram diuturno convictu dispositi, in ejus consuetudinem penitus nos mergeremus. Summos deseruit, adhæsit infimis, quos apud se habebat, reliquit, requisivit amissos: sa-C pientes repulit, elegit simplices, quorum etiam opera ad omnium mortalium genus Evangelium suum propagavit. Quadrigam dereliquit quatuor ductam animalibus; in terris moraturus, Crucem sibi in currum conformavit: Cruce vectus universum circum orbem lustravit. Præteriit Angelos Seraphim & Cherubim, Carnificum consuetudinem appetiit, eorumque ludibria in se ipse provocavit, & sustinuit.

D Tu es Filius Dei viventis, idem es Filius hominis morientis. Filius es Creatoris, cujus voluntate crevit e nihilo Mundus: idem es Filius Joseph; Faber lignarius is erat, cui artem ipse prius infuderas. Per te, non tamen doctus a te Parens rerum opificium suum ordinabat; tuo digito summus artifex res omnes composuit; suum pariter Joseph opus peregit te docente, quem Magistrum habebat præ-E sentem. Salve Fili Creatoris, qui & Fabri lignarii Filius, qui quum Mundi opificium molireris, ad Sacramentum Crucis cuncta referebas: forte etiam in illa Josephi domo Crux e corde nunquam excedebat.

Subintellige ut putabaris.

SERMO XVIII.

[illegible]

F AVis non rupit ovum, & exiit nisi animata, jamque formata atque perfecta: imperfectæ fidei argumentum est, nec dum rupisse pia confessione silentium. Omnium perfector rerum illam, quæso, perficito. Triplici motu ducitur ad summum avium genus: de ventre in ovum descendit, inde in nidum; hic viribus firmatis, etiam pennis instruitur. Sic justam adeptus membrorum firmitatem & staturam alas tandem explicat, & Crucem in aëre signans, evolat. Impe-

Imperium fidei per triplicem trium nominum notionem incœptum, ad summum etiam perductum fuit; siquidem postquam Apostoli Patrem & Filium & Spiritum sanctum invocare docti fuerunt, tum Fidei veritas in quatuor Mundi plagas invecta est, Crucis circumferens signansque Sacramentum. Nomina divinam constituentia Triadem per invocationem trinam spiritui, & animæ atque corpori se mystice infuderunt. Quumque tali transfusione nostram omni ex parte Triadem perfecissent, Orbis etiam imperio dotarunt.

Jam vero si spiritus sacris hujusmodi initiatus aliquid adversum patitur, Patris nota signatur: si quid noxium animæ accidat, tota miscetur cum Filio, si caro ob Fidei confessionem cremanda sit, tota cum Spiritu sancto communicat. Si negat avis Crucis Sacramentum, tensas dum colligit alas, illum continuo abnegat, qui vehebat aër & abjicit, non recepturus in posterum, nisi denuo in priorem figuram expansæ, Crucem fateantur alæ. Si navita ratibus findens maria, Crucis describit Mysterium, atque decussatis antennis, carbasa excipiendis flatibus componit, tum vero panditur navigio via, Crucis notata signo. Judæum nauclerum navis ipsa facto redarguit suo, qui sua ipse manu Crucis signum formaverit suæque impresserit cymbæ; sed & nautis veræ licet religionis exortibus mare obsequitur, quum ventum fuerit ad Crucem. Si Judæus Crucifixor antennas & malos in formam Crucis non componit, neque linteum velut corpus eisdem alligat, navigium pede claudicabit utroque. Ave purus lintei sinus Corporis dominici typus, qui, quo plenus es, spiritum minime claudis, idem quippe Spiritus, qui linteum implet, corpora plena spiritu ab interitu frænat.

Sed nec arva Judæo parent, nisi appareat decorum splendidæ Crucis Mysterium. Crucis typo gleba terræ cogitur & mollitur, sparsoque semine gravidata, omnia parit & fundit. Procul a Cruce nec suæ Judæus placet tunicæ: tunicam primum in Crucis figuram explicat, deinde induit. Judæo vestis ipsa speculum data est, signum, quod ille negat, ipsa præstat. Dum emtum Judæus Agnum jugulat, lignoque suspendit, tuam, Domine, necem repræsentat. Tuam item signat resurrectionem granum frumenti ab illo sepultum, dum mox e sulco erumpit, funditur & pubescit. In suis pariter armentis te Judæus pastor remurmurat; tuo namque illa baculo custodiuntur. Vinitor item in sua te vinea designat

[Syriac text illegible]

A gnat, ſeu dum botrum digito monſtrat, Sacramento Sanguinis tui plenum: ſeu arborem & fructum ex ea pendentem, figuram Crucis tuæ, & in ea ſuſpenſi Corporis tui.

Habet domi ſuæ noſtræ fidei adverſarius conſtitutum a te præconem. Ecce autem clamat: Dormientes expergiſcimini & ſurgite: quatit alas, clare inſinuans viventibus mortuorum reditum, mortuiſque B prænuncians, mortem ſomnum breve futuram. Domeſticæ avis uterus dum caſto connubio gravidatur, ex calore per obumbrationem alarum transfuſo, ſuumque ſine ſexuum permiſtione fœtum concipit & parit, Mariæ typum Judæo deſcribit.

SERMO XIX.

C Filium Dei veritatis Doctorem convenit admirari, laudare æquum eſt Dominum, qui fratrem ſervorum ſuorum ſe dixit: Magnum dicere debemus, qui poſtquam cunis exceptus, infimam ætatem decurrit, infimis miniſtravit. Humanam quidem naturam tuam contexêre veſtes, texit Corpus Divinam: amictum ergo tibi, Domine, comparaſti duplicem, pannum & Corpus, idem eſt panis, panis vitæ. Veſtes D mutatorias tibi inveniſti, quis inventum non obſtupeſcat? tuam corpus texit lucem gratam ſpectantibus & formidabilem, texêre naturam humilem veſtes. Panis occultat ignem in ipſo reconditum, quem humana mens nunquam attigit, cui namque datæ ſunt igneæ manus & digiti ſpiritus Conditoris noſtri, cujus abditiſſimæ naturæ compoſita, ratio noſtra, vix a corporeis E ſenſibus diſtare videatur; ſed nec ipſæ cæleſtes mentes illum aſſequuntur, eſto ſpectabilis ipſe ſit, conſpicuus ubique ac patens; rebus quippe omnibus intereſt & ſupereſt: ipſe eſt ſua intelligentia atque noſtra, ipſe eſt vita ſpirantis in nobis animæ. Quidquod & illud magnopere admirandum eſt, quod quum idem res contineat omnes, ipſumque viciſſim omnes habeant ſibi præſentem ac intimum, nulla tamen illum at- F tingit, ut ut in ipſo maneat, quemadmodum nec proprio manus animam in corpore morantem.

Jam vero quis ſe contineat a laudibus illius arcanæ & reconditæ virtutis, quæ poſtquam apparuit, clariſſima luce fulſit, quæ rurſus poſtquam aſſumto Corpore omnium oculis aſpectabilem ſe obtulit, omni corpori tractabilem ſe præbuit: eadem intelligentias prævertit. Permagnum eſt, a parvis illum Maxi-

[Syriac text illegible]

mum coactum fuisse, in ipsorum formam fieri parvum, quo eis fieret similis; scilicet quia fieri non poterat, ut illi similes ei fierent; idem se illis similem fecit, quod quidem ipsi facile erat.

Fallitur mortalis homo, dum contra telum mortis ab armis præsidium quærit: tenerum ac molle corpus ærea munit lorica, ne vulneri pateat locus. Tu vero, Domine, naturam immortalem mortali Corpore induisti, ut per carnem aditum perpessionibus mortique patefaceres. Varia & diversa remedia ægrotantibus abunde providisti; sed quum plura sint medicamina, virtus una est indivisa & simplex, fit tamen multiplex pro laborantium numero & differentia. Sic veritas ad plurimos se explicat; sed & contrahitur, reditque ad suam simplicissimam unitatem iis, quibus veritas amica est. Victualium copiam inopiæ nostræ tuus coacervat amor, ut unicuique certam de horreis tuis rationem dispenses, nostram suavibus modis, Domine, prolectas inopiam, ut ad januam tuam appareat.

SERMO XX.

Nunc tibi, Domine, fidem meam clara voce testabor, quum liceat preces & verba corde concipere, & fundere, ore etiam tacente. Si venter prægnans maturo fœtui occludatur in partu, duorum corporum mors sequetur. Hoc a me malum averte, Domine, neve, quæso, mutescente lingua, meæ fidei obstruatur exitus, unde illam loquela destituat, & hanc silentium opprimat & extinguat; & sic ambæ cadant, altera alterius casu. Arbor item si insito surculo exitum neget, perimit; Sin autem concedat, confestim folia mittit, spemque proventuri fructus ostentat. Jam si lignum resectum reviviscit, & poma creat, exultet fides mea.

Semen subactis sepultum arvis vivificit, quibusque tegebatur, glebas frangit, culmos mox daturas mysteriorum plenas. Fides fructibus referta bonis, gloriæ est mox secuturæ seges. Piscis intra retrusos pelagi sinus concipitur & paritur, intimos oportet petat recessus & cæca vada, quo piscatorum prævertat insidias. Oratio intra cordis secretum se condat, ibi silentium quærat: hac arte evagationes inutiles vitabit. Pura oratio virgo est, cui solitudine nihil amicius, nihil aptius, quod si oris tui limina transilierit, palanti similis errabit. Orationi veritas thalamum instruit, coronam confert caritas: excubant

A bant ad januam eunuchi duo quies & silentium. Oratio filio Regis nupsit; publicum fugiat, regiam Sponsam indecora libertas commaculat. Sponsa in forum producenda, fides est. Vehitur voce dicentis ab ore ad aurem, quasi nova nupta ad thalamum.

Scriptum legimus, multos in Dominum credidisse, quorum stomachus haustam mox rejectavit fidem, esto ab ore B diffideret animus, in confessione veritatis perseverans. Fidem negavit, qui rogatus reticuit. Ore tacente Jonas oravit, quando futurus divinæ sententiæ præco intra viscera piscis detrusus obmutuit: de ventre reptilis repsit oratio; exaudivit Altissimus sine voce orantem: silentium clamor erat. Res duæ oratio & fides, ista forum amat, illa secretum. Secreta oratio secretam petit C aurem: fides fertur ad aures patentes & in propatulo positas. Oratio facultatem discernendi sapores imitatur faucibus conclusam, & uni palato notam. Id interim agamus, fratres, ut divites simus in ea fide, quæ bonum odorem spirat. Odor saporem indicat, doctis odores discernere.

Geminas alas, puta caritatem & veritatem, ambas ab invicem inseparabiles; D nec enim a caritate veritas divisa volat, neque caritas movetur a veritate disjuncta: ambas mutuus consensus virtuti jungit, ut jugum tauros. Unus est intuitus oculorum, unus pupillarum motus, nec illa separant interpositæ nares, nec unquam fit, ut vel levissimo tractu alter oculus ab altero divertat. Sic nunquam, facto divortio, pedes duas cepere vias; tortuosi ac multiplicis ingenii est, quisquis E duas ingreditur semitas lucis atque tenebrarum, proprii arbitrii abusus potestate. Hem pedum & oculorum concordia animum a seipso diffidentem, redarguit. Heus Anime, taurus duobus illigatus jugis; non hunc Aratoris arbitrium, sed suum contrariis jugis iniquitatis & Justitiæ subdidit. Aratori maledicto sua illum voluntas subjecit. Durum erroris jugum trahens, mi- F seram servitutem servit: pro tritico seminat spinas, stimulo tardum Diabolo increpante bovem. Obsecro, Domine, perturbatum animum intus oratio componat Fides extra motus & actus dirigat & confirmet, & homo a sua conditione unus, & postmodum divisus ad pristinam redeat simplicitatem, suamque coram te reposcat unitatem.

SER-

SERMO XXI.

AT tu, Domine, utere precor, cithara mea, & omnia nobis ſalutaria recinito. Viris perfectis perfectæ virtutis laudes canamus, dicamus pura puris mentibus, ſimplicia ſimplicibus. Audin' Zachariam Gabrielis dicta refellentem? indocte ſenex doctorum ſcripta conſulito, tum dicta tua conſidera; lingua multatus diſces, tali dignum eſſe pœna, qui contra vera nunciantem diſceptare audet. At vero ſi Gabriel licet ſervus in Levitam adeo excanduit, quod ſibi ea, quæ narrabat, affirmanti reſtitiſſet, quanta reris exarſurum ira Juſti Filium in eos, qui ipſi aſſerenti, ſe ſummi Patris filium eſſe, non credunt?

O Zachariam ſenem ſterilem nullo ſanandum medicamine, ex quo de naſcitura tibi prole divinitus edoctus, dubitas, monitore præſente: ſcitare virgam in Arca repoſitam, quam aridum lignum fuiſſe noſti, reviruit tamen & germinavit. Age vero ſi Angelus natura haudquaquam indiſſolubili cretus, in comparem ſibi adeo exarſit, ut coërcendam fræno ejus linguam judicarit, cujus mens de promiſſa Joannis nativitate hæſitabat: profecto os impii hominis, qui Unigeniti majeſtatem contumelioſis dictis violare non dubitat, eo conſtringendum erit fræno, quo Sennacheribi ſimilis audacia retuſa fuit.

Sume tibi ſpeculum miram Abrahami ad hanc diſciplinam docilitatem; commaculant enimvero fidem diſquiſitiones ineptæ. Ubi Abrahamus ſimpliciter credidit, juſtificatus eſt, ubi autem diſceptavit, audiit, diutinæ ſervituti poſteritatem ſuam fore addicendam. Perdix inclamat pullos non ſuos, ſæpe fefellit incautos avis, ſuum voce mentita genus: cave, ne te quoque ſeducant Sectariorum voces, Filium confitentes, negantes autem a Patre genitum. Aves ſunt, quæ voces imitantur alienas, ſuas verſant & intorquent, criſpant & frangunt: Verſuti veteratores ſunt, quibus quæſtus eſt in componendis ſtrophis impudentia.

Tu mea mihi parcito, cithara, ne auditorum aures inſidioſo capias cantu, & vide, ut uniuſmodi ſis ac tui ſemper ſimilis, clam & palam veritatis, quam profiteris, voces & ſenſa cantabis. Moſes duas in ſua caſtra tubas intulit, hiſque juſſit præcones ad populum uti, extra illas nullis, myſterium adumbravit, quod hodie completum cernimus, quando in Eccleſiis duo tantum

Teſta-

[illegible]

Testamenta nobis divina Sacramenta concinunt & prædicant. Sed & Davidis lyra triplici modulo ſuos dimetitur pſalmos; majoribus ſiquidem plectris tuæ, Domine, occinit Divinitati, mediis tuam celebrat humanitatem, poſtremis morientem mœſto comitatur cantu. Tua, precor, Cithara tuarum deinceps laudum referat ſonos. Fides, quibus furor concentum abſtulit, ad ſymphoniam reducito; ut deinceps pacem, veritatem & concordiam canamus.

SERMO XXII.

[illegible]

Quiſque rerum Dominum admirari debet, geminas quando lyras temperavit, geminos videlicet ordines, Prophetarum, atque Apoſtolorum; manus una lyram tractat utramque, diverſas referens voces ab utroque Teſtamento acceptas; ſed uti diverſos licet fundat cithara ſonos, eædem tamen ſunt chordæ & citharedus idem. Sic, fili, veritatis plectra voces dedere diverſas, una tamen eſt veritas. Præterea uti eadem tibia diverſa ſonabit carmina, doctis quidem docta, rudia rudibus, & ægris mollia & ſuavia; ſic Divinæ veritatis tuba voces reddidit varias, magna propoſuit magnæ virtutis viris præmia, promiſit parvulis lactis & mellis bellaria.

Cæterum quis unquam, certe nemo, in cauſa publica procurator & præco deſignatus, tuba vocem dumtaxat unam otioſe jejuneque fudit & abiit, quando certe per varios diverſoſque tractatus omnibuſque modis ea expedienda fuiſſet? Sic ergo neque decebat, ut Divina auctoritas fidei dogmata una exponeret voce, aut ſigno firmaret uno. Pater & Filius vera ſunt nomina, o fili, ac ſi Jeſus ſtultorum hominum fabula fiat, talis perinde fiet & illius Pater: ſequetur autem, neutri ſuum convenire nomen.

Atenimvero ſi Jeſus hactenus per hominum externorum ora traductus eſt quaſi inane figmentum, nunc a ſuis etiam cultoribus ſimile probrum ſuſtinet, quod utique in omnes, qui Divinam Trinitatem confitentur, redundat, ut per invocationem fictorum nominum baptizari dicantur. Uſque adeo audax turba inſanit, dum perſuadere nobis ſe putat, ut convicia pro laudibus habeamus, & quæ nobis illa moliuntur, damna, quæſtum putemus, atque ingentium bonorum ſemina, quas ſerit diſcordias.

Filius novit, a quo genitus eſt, Patrem, ut ſuam arborem fructus; perinde nec ignotus eſt Patri Filius, ut nec ſuum ſtirpi germen.

germen. Viden', ut amborum cognitio in ipsis occulta & abstrusa manet. Cognitio Geniti eadem est ipsa Genitoris, & hæc in thesauro conditur, cujus ostium obsignat altum silentium, horrenda nox limen obsidet, excubat in vestibulo Cherubim custos fortissimus.

Quis autem, fili, vel submissa voce audeat loqui, nedum contendere in illius ædis vestibulo, in qua divini conduntur thesauri? estque oculis juxta auribusque inaccessa. Sed & illæ supernæ mentes si quando eo forte appulerint, continent se ac tacent: ille tacere nescit, qui quam opido augusta sit ejus loci majestas ignorat. Hujus notæ homo illuc delatus, sensum amittit, & ebriorum more fanda & infanda effutit, insanus est, quales esse oportet eos, qui aures commodant talia deliranti. Tum si tali temulentus mero, discussa ebrietate, ad mentem redierit, mutato sensu, tacet, & divina miratur.

SERMO XXIII.

Fare age cithara, taciturnitatem tibi posthac inimicam puta: fare autem, quæ fanda sunt, nefanda quippe probi modestique viri execrationes deputant. Quisquis divina sibi vestiganda sumit, prope abest ab eo, qui fidem negavit: in suum exitium incumbit audax istuc hominum genus, qui fidem disceptandi studio deseruerunt, & divinorum arcanorum pelagus per vada cæca ingrediuntur.

Talia dum audis, ne mirere, puer, sed sectam confer utramque, confestim intelliges, ab altera Divinitatem peti, ut insitam de ea opinionem evellat; ab altera vestigari divina, ut ista infra hominis captum esse ostendat: quasi vero supra res omnes non sit omnium rerum Dominus, quando ipsiusmet nomen satis demonstrat, nil illo esse aut præstantius, aut melius, ut proinde nemo tantæ majestati parem intelligentiam afferre possit, aut ea polleat mentis perspicacitate, ut valeat immensi hujus maris altitudinem metiri.

Animæ ergo tuæ primum eluito citharam, & si quod hæserit ei ex contentione, lutum abstergito, deinde cave, ne illa, quod tuum est, in te canat, pestis est sua cuique cupido. Cave rursus, ne quo fortasse flagras inanis gloriæ studio, eo tua suos lyra moduletur versus. Quæstum putas, damnum id omne est. Citharæ chordas tempera discordes, illas si forte libido disceptandi confudit: ad suas revocato leges cantum per inutilium quæstionum salebras

[illegible]

lebras oberrantem. Divinitati prius ipse te sistito, deinde aggredere divinas cantare laudes; quandoquidem lyra es, vita & mente prædita ac fidibus modisque tuis inest liberi potestas arbitrii. Oh felix es, qui potis es de tuo, tua voluntate Deo tuo gratum modulari melos. Fac, ut animum primo componas tuum, tum canito nobis, non tamen quæ disceptantur quæstiones, cantus expolito tuos, & modulare nobis vera, non arcana tamen, quæ ignorasse juvat, nec te pudeat, discipulum fieri docentium, quæ divinitus revelata nobis manifesta sunt, eademque audacter loqui. Sermone utere irreprehenso, verba, quæ loqueris, expende, examina ad stateram, quæ cogitas, eaque canere assuescito, quæ nemo jure redarguat. Stude, fili, ut cantus tuus tui Domini famulis gratus & utilis sit, tibique laboris præmium ille plene cumulateque rependet.

Vide ergo, ne quæ perniciem afferre solent in vulgus, tuæ cantiones dissipent, neve tuis quæstionibus fratrum concordiam perturbes. Cave, ne gladium, idest disceptandi studium in conventus inducas simplicis plebis assuetæ fidem, quam didicit, candide profiteri. Iterum cave, ne Deo pro laudibus injurias rependas, neve aliquo errore deceptus silentio premenda recantes: Filio Davidis Davidicum carmen occinito. Prolem mutuatus a Parente nuncupationes Dominum dicito atque Filium. Attende, ne Patrem cum Filio contumeliose collidas: neve Patri Filii injurias reponas, aut Filio vicissim occinas jactata in Patrem convitia, ab impiis negantibus, eum esse Genitorem. Patrem esse ordine primum extra controversiam est, nec est dubitabile Filium esse secundum, uti tertium Spiritum sanctum. Cave, ne istam nominum distributionem pervertas.

Vos itaque, fratres, docete & baptizate in tribus nominibus, in nomine videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti; Filii namque nomen nomini Patris anteponendum non fuit, ne personarum ordo & series confunderetur. Hujus autem arcani modus & ratio intra silentii adytum retrusa latent, longe procul ab hoc loco psalmos modulare tuos: Cave, ne tua lingua fiat ponticulus quibusvis vulgi fabellis transitum petentibus expedire parata. Deo tuo decimas carminum tuorum persolvito, lectum de tuæ mentis conceptibus manipulum ipsi offerto: primitias piorum hymnorum ei separato, & reddito de tua vindemia psalmos, cogita, esse botros de tuis vitibus tua lingua desectos.

SERMO XXIV.

DOminus rerum damnatum illum bellatorem ſuiſmet armis devicit. Corpus ex Adæ, Davidiſque ſtirpe induit, ut ille eo, quod profligarat, corpore profligaretur, victuſque majore cum dedecore ex acie diſcederet. Tua, Domine, facta omnem dicendi facultatem exſuperant: cui enim ſuppetat tanta orationis copia, ut enarrare ſufficiat, qui factum, ut ille, qui rerum omne creat genus alitque, in paupere menſa Joſephi & Mariæ accubuerit? Siccine de ſinu inopis Mariæ alimenta petis, Filius de magno genitus utero, eoque opulentiſſimo, ſuaſque opes toti naturæ liberaliter diſpenſante? Mortalem inſuper patrem tibi in terris adoptas, quum ſis ipſe vita præditus ſempiterna, quem penes ſunt ſpes vitæque omnium viventium.

In vili jumento ſedens, ignobili ſpecie nativam claritatem & nobilem triumphum occultas; contra equis ovantibus & curribus invecti dejecti ſunt, quum triumpharent. David fortiſſimas acies profligabat, quum ſtrenuum bellatorem femina, imbellis coſta perculit & proſtravit. Fandi facultate divinitus accepta loquitur aſina, ſeque mutum animal agnovit; ſenſitque, dominum talem eſſe, qualis vere erat. Atqui ſi iſthæc diſcrevit ſtolidum animal, quem eſſe dicam hominem ingenua naturæ ſuæ virtute ſapientem, qui neque ſervum ab hero, nec opus a ſuo Opifice diſcernit? Jam ſi Nabal punitur, quia linguam minime coërcuit, quo minus Regem magnum deſpicatum haberet, communique appellatione cum ſervis confunderet, quis veſtrum adeo deſipuit, ut Nabalem imitari velit? Fugite, fratres, ejus garrulitatem, interitum pertimeſcite; nec enim filium Iſai contumelia iſta petit, ſed Filii Dei violat majeſtatem.

Mundi Dominus ſe demiſit & in terras deſcendit, ſervum ſe fecit omnium, incœptor & perfector rerum, ſocii famulique perſonam aſſumſit, ut miniſterium impleret, pedes Diſcipulorum lavit. Iſta, cariſſimi, mente recolamus & examinemus, utrum parem de nobis tantopere benemerenti gratiam habeamus. Cælorum Dominator venit in terras, advena factus & peregrinus, alienigenæ & hoſpitis imaginem induit, quo nos exaltaret, Regnique ſui conſortibus aſſociatos, in ſempiternæ gloriæ ſedibus collocaret.

Omnium ora atque linguæ rerum omnium Dominum collaudare debent; quouſque ergo palantes errabimus? & utinam demum

[illegible]

[illegible]

A demum beneficium agnoſcemus ſummi viventis Filii, in quem interim crucifixores audacter invehuntur, & impii ſcrutatores inſaniunt, quod pro ſua ſumma in nos caritate Corpus aſſumſerit ?

[illegible]

SERMO XXV.

[illegible]

QUis mihi vel minimum tribuat ſpiritus ardorem, non ut Propheta fiam; B iſtud namque optare, lethale puto, ſed ut ſufficiam pro mea tenuitate prædicare gloriam ejus, qui eſt ſuper omnia magnus: nec enim niſi ſummæ illius majeſtatis munere fit, ut divinas opes humana ora diſpenſent; nec, niſi acceptis ab illa clavibus, theſaurorum ejus aperiuntur fores. Hymnum ergo dicamus divinæ gratiæ, quæ per ora lo- C quitur loquentium, nec ideo liberum ipſis adimit arbitrium: os noſtrum ab illa habet utrumque ſimul, ipſam videlicet de ſuo meditatur, & ipſam de ſuo loquitur. Niſi aſpiret gratia Verbi nec ori vires ad diſſerendum de ipſo Verbo ſuppetunt, nec niſi, ipſo largiente Verbo, quale & quantum idem ſit, dicere homini licet. Verbum homini adjutorem ſe præbet & advocatum. Sic D oculo lux ipſa ſuum expedit aſpectum, ejus ille adjutus ſplendore, ipſius contemplatur pulchritudinem, cæleſtes etiam coruſcationes proprio lumine ſe produnt: niſi lucem a ſideribus acceperit oculus, neſcit ducentem ad illa viam: fulgor objecti ignis, obluctantibus etiam tenebris, oculos ad ſe rapit.

Mundi Creator Filium ex ſe genitum E in creaturis depinxit: lux, ignis, aqua, reſque cæteræ his adjectæ, viam commonſtrant, & aditum ad cernendum in figura numen illud ſupremum patefaciunt. Pelagi ope nixus audet natator intimos ejus ſubire ſinus, ejus vectus humeris penetrat ubi æſtuant & colliduntur aquæ, freta tument & fluctuant. Sed enimvero quum ſumma maris ſuperficies nantes portare parata ſit, urinatores nihilominus etiam in pro- F fundum ſe mergunt: talem eſſe puta plurimorum divina ſciendi ambitum.

Cæterum ſi ex nobis ſemen exiſtit, fructus ex ejus voluntate provenit: non noſtram ejus gratia ſegnitiem fovet, ſed ejus ſtudium & ſolertia diligentiam nobis inſinuat, & excitat ad rapiendas opes, quas nobis benigna ejus liberalitas offert. Pluvia ſimiliter dum ſuper arva promiſcue ejus diffundit opes, non nos ad inertiam & otium invitat, ſed admonet uberioris proventus

Intellige in ſenſu Apoſtoli 1. Cor. 3. 6.

ventus beatæque vitæ ſpem in labore & ſedulitate conſiſtere .

Utinam tua me gratia ad tuam celſitudinem tandem perducat, hoc tua, confido, mihi bonitas præſtabit, ut per te ad te veniam . Etenim ſi ad creaturas datur venire per ipſas, cur per te, Domine, ad te mihi venire negetur? Zachæi exemplum hanc mihi injecit ſpem , qui per te ad te deductus fuit : ſtatura puſillus magnus per te effectus ad tuum ſuſpiravit amplexum; ad tuum conſpectum promoverunt tuæ ad illum abſentem voces. Infructuoſa ficus fructum attulit , ſaporis expers ſaporem reddidit jucundiſſimum , ſal ille fuit, inſipida condivit. Mirare ficum nativo fructu carentem , & poma ferentem non ſua ; & quoniam ſub alia ſpecie manducari non potuit , ab egentibus comeſtus eſt , in ea quam erogavit , ſtipe. Utinam ſic tua me, Domine , gratia uti tunc Zachæum excitet, non ut ſimili opulentia auctus , nummos diſpenſem, ſed ut dudum fœneratam a te mihi pecuniam cum ſuo lucro repræſentem .

Hic obſerva; ſervis negotiaturis pecuniam a Domino datam fuiſſe , quo plane declarat, ſi non ipſe nobis ſe jungat, negotiationem nobis minime proceſſuram , nec perinde ſine ejus gratia veritatem inventum iri. Trepidi modo accurrite, fratres, cæteraſque colligite comparationes , plurimæ namque nobis conglobatæ ſuggeruntur , ut omnes dicendo perſequi non liceat. Inventis vos noſtris proficere, nobis quidem jucundum : æquum tamen eſt e veſtra collatione aliquam nos voluptatem fructumque recipere. Sed nec ſine fermento maſſa conveniente ſapore imbuitur , illius nempe vi fit , ut ſubactæ farinæ partes coaleſcant & ſpiſſentur: ſed nec ſi abſit coagulum condenſatur lac , ejus quippe acrimonia fit , ut lactis mollities in duritiem coëat .

Tu, Domine, præſta, ut ignaviæ meæ recti aditus pateſiant, per quos ad gloriæ tuæ limina mihi abjecto & humili quantulumcumque elevari contingat: nec enim, niſi tua deducente gratia, me illuc perventurum confido, atque in ampliſſima illa ſede te adoraturum .

SERMO XXVI.

EST quidem Deus ex omni parte retruſus & abditus ; per ſuum autem Unigenitum ſe manifeſtavit , tum quando per illum ſine labore mirandum hoc ædifi-

[illegible]

A ædificium molitus eſt; ad hanc porro molitionem nec doctore quaſi imperitus, nec quaſi imbecillus adjutore indiguit; ſimplici namque voluntatis ſuæ ſignificatione ſine tumultu & perturbatione crevere e nihilo omnia, atque ordinatiſſima diſtributione ſibi invicem coaluerunt. Uti autem ſine labore hoc univerſum tunc exædificavit, ſic ſine ſolicitudine modo gubernat. Porro quum primo Deus cuncta B moliretur, erat cum illo ejus Verbum, ante omne tempus ab ipſo progenitum; nec enim Deus humano more operatur aut cogitat, ut pro modulo noſtro, improviſo feratur motu, aut novam cogitationem ſuſcipiat: rerum facta a Deo molitio tempore definitur, ejuſque notantur primordia & caput: Conditoris autem ſcientia tempus antecedit, & initio caret. Angelorum C natura nobis arcana & abſtruſa latet, cui enim conſtat, quomodo Angelo ſenæ junguntur alæ, quæve harum ratio & forma, undeve procreantur, aut quem ob defectum ſimplex ſpiritus pennis indigeat, ut per aëra feratur? Quid ergo id eſt? num iſta parabolice & per quandam aſſimilationem inducuntur, an ſecus qualia vere ſunt, narrantur. Sane ſi vera, admodum abſtruſa ſunt, & ab intelligentia D noſtra opido remota: ſi autem ſymbola ſunt & figuræ, difficultatis plurimum habent. Jam quum iſta minima neſcias, ſcito ſummum illud Bonum reconditum eſſe, ignotum & incompræhenſum, ejuſque perveſtigationem infirmarum mentium aciem penitus obtundere, omnemque creatæ mentis conatum curſumque prævertere. Etenimvero cuinam dabitur ad celſitudinem tantam evadere, aut altiſſimi maris E fundum explorare? Quiſquis auſus eſt ejus ſumma petere, fallente veſtigio, turpiſſime prolapſus eſt: merſus eſt & periit, qui ejus fundum ſcrutari tentavit: ſuperbum inveſtigatorem triſte lethum ſuſtulit, curioſum urinatorem pelagus hauſit.

Sol, quem cernimus, fratres, aperte nos docet, incaſſum conari eos, qui F oculos in ſummam illam majeſtatem intendunt; ejus quippe natura omnem ſenſum intellectumque tranſcendit, ut neuter illam adumbrare ſufficiat, adeo nemo hactenus extitit, cui etſi audacia ad id conandum non defuit, ad aſſequendum facultas adfuerit. Dei naturam Prophetæ exponere conati, ejuſdem imaginem, aſcitis aliunde vocabulis, velut rudiore manu deſcriptam, nobis reliquerunt: plurimæ videlicet occurrebant cauſæ,

ſæ, cur divinus Spiritus ad Prophetas humili ſermone uteretur; ſi enim ſublime dicendi genus cum admirabili, & qualis Deum loquentem decebat, ſententiarum gravitate, & majeſtate verborum adſectatus fuiſſet, obſtupefeciſſet ſapientes, & rudibus non unam offenſionis cauſam præbuiſſet; perdidiſſet videlicet indoctos, & doctis minime profuiſſet. Symbolis idcirco unde libuit aſcitis uſus eſt, ut tardo hominis ingenio & imbecillitati conſuleret.

Quiſquis ergo ſempiternam illam ſubſtantiam rebus ab ipſa conditis comparabilem opinatur, is vehementer errat. Etenim, ut illam eſſe compoſitam imaginemur, & quale eſt iſtud imbecillum corpus, ore, auribus & oculis præditum, horribile eſt id audire, ne dum ineptum eſt dicere: vel ut illam aliqua concretam materia credamus, ipſamque proinde quibuſdam circumſcriptam terminis, certoque limite definitam, id porro cogitare ſcelus eſt. Quamquam quum illa rebus quibuſcumque infinito exceſſu ſublimior eſſet, ob eam tamen, qua ſumma præcellit benignitate, infra illas ſe demiſit. Tum vero maxime figuras & ſymbola tenuiſſimo humanæ mentis captui accommodata, de theſauro ſupremi rerum Domini nobis prodierunt: convenientem videlicet temporibus & rebus perſonam induit, ut prodeſſet, modo triſtem modo lætam, quandoque terribilem, & aliquando blandam & facilem. Atqui, quum ſemper ipſa ſimilis ſibi ſit, æquabilis, & conſtans, in ſuis tamen diſpoſitionibus variavit.

Vides, ut Moſes illam majeſtatem talem repræſentat, qualem & nos cogitamus omnino a materia ſejunctam; figura quippe præditam eſſe negavit: *Num vidiſtis*, ait, *aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis in Oreb de medio ignis*? omnem autem imaginem in monte Sinai idcirco excluſit, ne forte populus illam pingeret in tabula, aut fingeret in ære. Quandam nihilominus ſpeciem Moſen allocuturus aſſumſit, ut velut archetypum ipſi deſignaret, unde illum in corde deſcriberet. Sed enimvero uti profuit, quo nec perſonam nec imaginem in Sinai exhibuit, ne videlicet idololatriæ cauſam præberet, unde ex priſco gentium errore ſibi inanem Deum componerent; ſic etiam in eo maxime rationibus noſtris conſuluit, quo figuram & ſpeciem ſibi induxit, in qua pulchritudinem ſuam aſpectabilem faceret, noſque mirabilem ejus decorem ſenſibus quoque utcumque perciperemus. Scilicet quo propriam ſpeciem oculis noſtris

Deutr. 4. 15.

[illegible]

A ſtris negavit, errorem prohibuit, eo autem quo obtulit, rebus noſtris mirifice conſuluit.

Quum vidiſſent ſenes Suſannam, nihilominus inſiſtebant, ut eam cognoſcerent. Vidit Moſes facie ad faciem gloriam majeſtatis ſibi præſentem, nec propterea deſtitit, ſummis precibus flagitare, ut illam intueri & pernoſcere ipſi liceret. Mentiti ſunt ſenes, affirmantes, ſe vidiſſe, quod B nuſquam viderant. Moſes contra quum objectam ſibi Divinitatem ſpectaſſet, agnovit tandem & confeſſus eſt, illam a ſe nunquam viſam: ſcilicet ſapientem minime fefellit, Dominum ſuum adſcriptitias & aliunde aſcitas formas induiſſe. Oculus Altiſſimi e ſublimi ad lutum ſe flexit, limum formavit, qui cuncta molitus fuit. Quemadmodum autem ſe demiſit, & per graC tiam figuravit argillam in hominem; ſic per humilitatem oculis ejuſdem ſe indulſit aſpectabilem. Atqui ſi Moſes illum, ut vidit, expavit, & exhorruit, idem ne tantus foret, ut ſine pavore immotus conſiſteret, non aſcititio oppoſitus, ſed proprio ardori ſummæ illius naturæ, cujus vis ſoli Filio tolerabilis eſt?

Sed ageſis illum intuere, næ ipſe eſt quem cernis, ipſe tamen non eſt; formâ D quippe non ſuâ ſe texit Deus verus, quæ ſuum velut typus ab archetypo, quem tegebat, ducebat complementum; divinus ſplendor humana occultabatur ſpecie, nec vero iſta ſui archetypi amplitudine vacabat, eadem tamen non erat Divinitatis forma, majeſtas rudi & inexpertæ naturæ indulgens, velum obtendit. Bonus idem & ſapientiſſimus eſt, ſimplex & ſingulare dicendi genus delegit, ut ſtultorum aures E percelleret: ſpeciem oris ſui admirabili venuſtate auxit, ut parvulorum oculos ſua pulchritudine raperet, quum conſtet ſibi ſemper idem, neque ſtatum ſuum mutet: ad noſtram tenuitatem deſcendit, qui decrementum non patitur: Rurſus ſe oſtendit majorem, ut nos magnos efficeret. Indulſit ſe hominibus cum ipſis promiſcue & communiter converſans, contraxit ſe viF ſuſque minor, ut ad privata cum ſingulis colloquia veniret. Stulti Deum in ſe talem eſſe putarunt, qualem ipſe ſe ſpectabilem præbuit, vehementer tamen errabant; ipſe quippe ſibi ſufficiens, ipſis egenus apparuit, nec animadverterunt, illum rationes excogitare, quibus improbum populum ex communi Gentium ſuperſtitione ſacrificia adſectantem caperet; ex quo itaque victimarum eſca illorum amorem venabatur, credidere fatui, hoſtias ei ſingulariter placere. SER-

SERMO XXVII.

DEus substantia præditus ingenita, uti nomen, sic naturam habet eximiam, cunctisque præcellentem. Ex quo proinde substantia est ex se existens, suomet vocabulo a quovis alio extra ipsum discriminatur, ejusque notitia omnibus prorsus ignota latet; adeo ut etiamsi maximo conatu creatæ mentes illum assequi contendant, nihil tamen obtineant, eo quod nil habeat ille cum rebus conditis commune. Quotquot ergo extraneas ab ipso naturas respectarunt, istas, non illum viderunt, quamlibet illum sibi expositum esse jactarent, quem cernere nemini licebit unquam. Ipsæ se contemplantes, illum sibi præsentem imaginabantur, deceptæ sunt, putantes, Deum ipsis esse similem; quod si ipsum in ipso vidissent, utique rectius sensissent, pro illo ipsæ se respectabant, quando sibi videbantur illum intueri. Oh stolidus es, qui te ipse palpans, putabas, te tetigisse, quem nemo vidit unquam, Deum. Natura quippe ex se existens, quæ mentem & rationem prætervolat, cuinam rerum eam similem cogitabimus; nisi velimus errare, nobisque pro vero obtrudere, quod vero simile est? Si autem crediderunt, archetypum in typo se vidisse, vehementer hallucinati sunt, & ipsi falsi alios fefellerunt, errarunt & in errorem alios induxerunt; fructus siquidem ex illo natus, ipsum vere cognoscit, extra istum nemo.

O cæcam Scrutatorum turbam, qui intra lucem positi, lucem nihilominus pervestigare instituerunt. Aurum tractabant, solem esse crediderunt, ipsius tangebant imaginem, ejus vultum se tenere putarunt; cuncta sumebant in manus, excutiebant singula, rati, ipsam se tetigisse lucem: qualem quisque imaginabatur Deum esse, talem sibi temere depinxit. Nec stulti reputant, unum modo oculum lumini esse affinem, utque plures sint sensus, his certe nullam inesse ad illum habitudinem; lucis namque splendor nec sapore titillat gustum, nec odorem ad nares adspirat, nec verberat aures, neque cutem vellicat, oculus dumtaxat luci quadam cognatione jungitur, & ipsi compar est, velut parenti filius.

Infusam lucem palatum profecto non sentit, auris orientem sibique objectam non discernit; cur illam non tetigere manus? cur non olfecere nares? Rex animus, ejusque archistrategus cor, castra aciesque cogitationum, lucem, quid sit, non

[illegible]

[illegible]

A non assequuntur; ecce autem argilla cret homines, ambiunt lucis Dominum comprehendere. Vides crimine in hoc uno notam horum hominum improbitatem, turpitudinem, ignominiam & dedecus, ut qui omnes nequeant, collato studio, intelligere sibi præsentem lucem, rem utique non magnam, quamquam & sibi circumfusam habent, ejusque claritate exhilarantur, & illuminantur fulgore; imo quamvis eâdem amiB ciantur velut vestimento, ab ea tamen mirum quanto intervallo distant, ut ipsam miseri ex fama dumtaxat novisse videantur.

Hem cæcos vides, a quæstionibus tamen minime absistunt, similes videri volunt cæco sagittario de sua arte se inepte jactanti & glorioso, qui sagittas vibrat in flammam, nec cernit, quo ferantur, quove resiliant: nec advertit superbus, jacta in C ignem tela, ejusdem vi tandem consumta, in cineres redacta fuisse; quæ vero aërem verberarant, in terram recidisse. Jam si ipsi contigerit malum, ut in subjectum ardentem rogum corruat, profecto eodem, quo ejus jacula consumta fuere, ardore deflagrabit.

[illegible]

[illegible]

SERMO XXVIII.

D SI atræ nubes, & fulgura, coruscationes cæli, terræque succussiones, turbines & procellæ, res utique nobis in hac servitute natis cognatæ, timentur tamen, si forte vehementius nos pulsent, earum impressionem pro nostra imbecillitate minime tolerantes; si, inquam, res nostro mancipatas obsequio, adhuc metuimus, quis nostrûm non vereatur, illud pertentare E Numen, cujus divina vis omnia conservat ac tuetur? quid? quod & inventa ad tuendam valetudinem remedia, nisi ex arte temperentur, venena fiunt. Vinum etsi jucundum & suave, meracum si tamen sit, innocens non est, species odoratæ sua suaveolentia offendunt, somnus item, & cibus & sine quibus vivere non possumus, si absit modus, mortifera sunt. Porro si res per se tenues, nisi conveniente temF peramento corrigantur, nobis exitiosæ sunt, qualem, putas, perniciem parat libido fodicandi ignem consumentem?

Propterea ille Bonus pondera, mensuras, & modos statuit, ad quorum normam rerum quarumcumque appetentiam exigeremus, si modo velimus ex illis utilitatem capere & homine dignam voluptatem. Quid enim? num ille rerum Princeps, hujusque auctor ordinis, nostros ad ipsum motus ordinare neglexerit, permi-

G

 ferit-

seritque, nos sine lege vagari? quique pulcherrimo ordine cuncta digessit, majestatis Scrutatoribus nullam imposuerit legem, modumve præscripserit? Jam cernis, ut ejus nutu cuncta distincte & ordinate disponuntur, ut nihil sit, quod extra designatum ab eo locum exerret: naturas mente carentes vis & necessitas gubernat, liberas consilium & voluntas, naturæ ligatæ aguntur, solutæ custodiuntur, septum & custos libertatis lex est: quæ autem naturæ non liberæ fixa sunt claustra, quænam refigat vis, tum quando concessa nobis arbitrii potestas soluta errat?

Hem naturæ Auctor Soli periodum descripsit, suosque Lunæ meatus disposuit, Terræ item Cæloque terminos fixit, & Firmamentum, superfusis aquis, terminavit. Non turbatur naturæ ordo, nos ipsi fluctuamus: jam si arenâ marini cohibentur fluctus, improbum despicito majestatis Scrutatorem, qui supra rerum Dominum se effert. Hujus audaciæ homo modestiam discet ab eo, quo res ejus aguntur ordine, quando ejus quidem conceptus materni uteri angustiis clauditur, ejusque mira reformatio, & ab obitu ad lucem reditus intra terræ sinum transigitur; sic conceptus, ortus, & interitus, sepultura, & inde ad vitam reversio, omnes mortalium rationes continent ac definiunt; hisce proinde finibus etiam tenetur improbus Scrutator, cujus quæstiones nullum habuere finem.

Perge porro, & iterum Scrutatoris in perturbando rerum ordine petulantiam exagitemus, dum ejus voluntas pro arbitrii sui potestate a propria ratione deflectit. Distinguendum namque est arbitrium a natura; hæc enim divino munere immutabili ordine constituta, prodiit, ut ab illo discriminaretur. Etenim quisquis cum virtute amat sua membra perdere, idem rei suæ eversores odit: quicumque vero carnem suam præpostere diligit, is quidem partium corpus istuc coagmentantium dispositionem conservat; morum contra suorum compositionem & integritatem solvit atque depravat.

Cherubim Paradisi fines tuebatur, visque formidanda ad montis Sinai clivum excubabat, ab ascensu prohibens, jubensque, hujus interdicti contemtores, velut inexpiabilis noxæ reos, lapidibus obrui. In re manifesta mysterium Legislator insinuavit: quod etsi illius præcepti obligationem ad diei unius contraxisset spatium, nulla tamen dies futura esset, in qua arcanorum suorum invadere terminos cuipiam per-

A permitteret. Illic pœna capitis transgressoribus constituta fuit; hìc majestatis Scrutatoribus gehennæ supplicium decernitur.

Lepra retundit Scrutatorum audaciam, quæ olim loquacium garrulitatem castigavit: quando Mariæ suamet labia vestimentum consuerunt, deformibus intextam crustis. Pia mulier fratrem infantem in profluentem mox projiciendum, secuta fuerat, filiæ Pharaonis viscera ad misericordiam B flexerat, induxeratque, ut puerum ex aquis, in quibus fluitantem invenerat, educeret, eique insuper censum assignaret, ex quo non ipse modo, imo etiam mater aleretur. Est hìc quod mireris, obstupescas ac timeas; nam si Maria plectitur, quia verbis detriverat existimationem hominis morituri, adeo ut, licet idem ex aquis ipsius ope erutus, ei vitam acceptam referC ret, ipsoque eadem natu major esset, nihilominus ille Justus, qui majores observandos esse edixerat, in Prophetiden jam ætate provectam citra veniam ignominiosa scabie animadvertit; hujus Judicis Unigenito obtrectantem quis absolvat?

Factum est hoc, hem quid ais? si Altissimus pœnam illatæ famulo injuriæ a sorore Prophetide repoposcit, eo quod miD nus æque de ipso sensisset, quis iniquam de Filio Majestatis cogitationem cum impunitatis spe suscipiat? quisve non vereatur illum, a quo genitus est, ignem consumentem, unde emicant fulgura, & linguæ flammantes, cui si protervi isti Scrutatores componantur, festuca minima res & levissima sunt; cuique in promtu est disceptatores & contentiosos quasi stipulas & vepres concremare. Pœnam tulit similem GieE zius, qui Prophetam illudere conatus, ipse egregie illusus fuit, quum magistrum vellet capere, captus est. Subdoli Scrutatores vulgo imponere volunt, quo & ipsi trinis nominibus baptizare volunt: trium testium consona testificatione judicia constant, tres hìc audis testes, quorum testimonio omnis dirimitur quæstio. Jam eritne aliF quis, qui sanctissimos sui baptismi testes habeat suspectos?

Rerum Domini quis temere scrutando violet majestatem, sciens, ab ipso sui templi injuriam fuisse vindicatam? cave proinde, ne Oziæ crimen ipse gemines, ni perire mavis. Thus adolevit ille, & miserrime vapulavit, eo quod veritus non est dexteram ad thronum Sancti protendere, puduit eum per omnem vitam aliquando fuisse impudentem, verecundiam doctus, dum satagit contractam inde sca-

biem occulere; & quo templum violavit, ob immunditiem inde susceptam, intra domus suæ septa se continere compulsus est. A sacris adytis, unde omnis fluxit sanctitas, omnia commaculans lepra manavit: ex doctrina, quæ cuncta componit & ordinat, erupit nobis disceptandi studium omnis perturbator ordinis. Pluvia rebus omnibus utilis, eadem cunctis copiâ officit: Sol omnia collustrans, nimia luce omnium oculos occæcat, & cibus vitæ alimentum, si absit modus, necat.

Divina ratio, quæ res omnes distincte ordinateque disponit, aberrantem Scrutatorem ad ordinem adducere voluit, quando suum templum igne sepsit: ducentos viros, qui in tabernaculo Sacerdotum obire ministerium ausi sunt, flamma sacræ ædis amica, corripuit & adussit; aliàs etiam Aaronis filios simili incendio absumserat, quia alienum ignem, scortum videlicet in Dei domum intulerant, scilicet sacer tunc ignis in profanum exarsit, uti modo impuram disquisitionem scientia veritatis exagitat. Utrosque velut in speculo sibi descripsit eruditorum sapientia. Duas utrique visi sunt sibi aptasse personas, singuli suam; alteram vetitum cupientium, negatam potestatem ægre ferentium alteram, ambas ab arbitrii libertate expressas. Utrique sibi Sacerdotum functiones perverse ambierunt, in sacrificio, quod offerebant, prodidere voluntatem, quam celabant. Occulta amborum consilia manifestâ hostiarum immolatione patuerunt.

[illegible]

SERMO XXIX.

DEus homines pro sua caritate Deos nuncupavit: sic illi placuit nobiscum communicare proprii nominis honorem. Isti autem Deum hominem fingunt, dum disceptando circumscribunt. Audite obsecro: Qui carnem vestram induit, ipsum Cherubim vehunt, ejus conspectum verentur Seraphim, Angeli, ipso comparente, silent; vos autem impurissimi homines augustissimam illius genesim habuistis pessimis despicatam modis. Imbecille Corpus assumsit, Cælo demissus ab alto, suaque huic nomina & actus attribuit. Quemadmodum ergo esurire debuit; sic orare præter rationem non fuit; & sicut illa esuritio corpus solummodo affecit; sic omnis ea necessitas ultra corporis fines non excessit. Videte modo, ne mortem ex vocabulis hauriatis, quæ ille suo spiritu vivens, vitam nobis daturus, adoptavit.

Magnus ignobiles nomenclationes a Corpore assumto sibi accersivit, pro ea, qua

[illegible]

[illegible]

A qua vos dilexit, caritate. Quodnam ex his nominibus arbitramini proprium, veneratione & laude dignissimum? Fixum est nomen Patris, Filii vocabulum nemo refigere debet, nomen delicta ignoscentis recreat, terret vocabulum Judicis, noxas vindicantis: terminos ipse sibi fixit, quo se B hominem fecit, idem interminabilis est, quo naturâ Deus est. Audet vile lutum inire pelagum, ejus proprietates explorare cupiens. Fontium scatebras indagat, scitaturque originem & exitum; quando nec ipse, quàm abjectus sit, nosse potest, nec unde decerptum fuerit ab illa manu, quæ & ipsum in hominem figuravit, eique jura dedit, quæ tamen insanus contemsit. Cuinam usquam contigit, pulve- C rem spectare, cum ventis de ipsorum impressione & vi disputantem? Impii Scrutatores quæstionibus immoriuntur, de illo inter se altercantes, cujus Spiritus mortuos suscitavit.

Annosæ extirpantur Cedri, alti saltus exscinduntur, nec ideo paleæ verentur Spiritus sancti naturam discutere; nil ergo mirum si divini ignis vapore repul- D sæ, secus ostium fornacis disperguntur. Jure itaque merito Dominus & Pater, quem *nemo vidit unquam*, Majestatis Scrutatores condemnaturus redarguet: sic vos, dicet, non puduit, Unigeniti naturam discutere, per quem incœpti & perfecti fuistis. Quid enim? num lutum de figulo disceptet? inanima vasa finxit fictor, qui & ipse fictus est, ejusque usibus designata parent. Vos autem, quos mente & ratione præditos, E ad suam Creator imaginem formavit, hunc, beneficii immemores, abjecistis.

Jo. 1. 18.

SERMO XXX.

[illegible]

DEus Mundi Dominus sub censum suorum servorum non cadit, nec horum finibus continetur: non ille subest mensuræ, nec stateræ momento: non per- F cipitur sensu, nec speciem modumve suscipit: non clauditur spatiis, nec propagatur, uti lux & flatus: ipsius essentia Ratio est, hanc extra siquid aliud cogitas, ab ejus notione longissime abis. Scilicet necdum didicere Rebelles, operi nunquam licuisse, suum assequi Opificem. Ex igne & spiritu crevit Angelorum natura, corporum ex aqua terraque: cui autem omnia parent, cuinam ipse se aspectabilem indulsit? Porro circa præcellentem ejus naturam tria exponenda forent, si afforet arcani cuilibet extra ipsam impenetrabilis idoneus interpres, qualitas videlicet, locus & quantitas. Quæ

Quem ignem intelligat, exponit Ser. 55.

Quæ etſi Deus ſupereffluat & ſupervolet, perge tamen & primum ediſſere nobis diſceptantium more ſcitantibus: Quantum reris eſſe Deum? quove modio metiendum putas? ecquâ ſtaterâ ponderandum? qua decempeda ejus celſitudinem ac latitudinem examines? Deinde explica ſpeciem: quamnam dicis eſſe ejus qualitatem, aſperum ne credis, an mollem? calidum ne, an frigidum? Rurſus indica locum, an intra aliquod ſpatium ille ſe contineat, quamve Mundi plagam habitandam, ſibi ſepoſuerit? Quodlibet nimirum factum, creatum, productum hæc & hujuſcemodi patitur, pondere, menſura & numero definitur, tangitur, videtur, extenſionem & ſitum habet: tria itaque ſunt, quibus velut trium nominum Myſterio continentur & conſtant omnia extra Trinum; rebus quippe creatis accidunt qualitas, quantitas, & locus.

Cæterum ille Summus, in quo conſidet tanquam in ſede majeſtas, amplitudinem ſuam ad omnes formas deduxit, atque demiſſionem, antequam ſe demitteret, appetiit; & arbor quidem ſe ſubmiſit, quantum rerum agendarum rationes ferebant; ipſius autem fructus ad omnem ſubmiſſionem deſcendit. Arbor ſubmiſſionem, quæ reapſe nulla erat, aſcitis imaginibus, aſſimilavit, veram reipſa præſtitit ejus fructus ad cruciatuum mortiſque perpeſſionem uſque ſponte delapſus. Quæ docuit, eadem etiam peregit: Auditoribus ſuis ſpeculum ſe fecit, unde ſibi exempla tranſcriberent: ſuam ipſe in ſe doctrinam repræſentavit, ſuo retexuit opere, quod ore docuerat, quodve etiam nunquam docuerat, ignominiam extimuit. Ire coëgerunt, ivit etiam, quò non vocabant; ſic ſuam occultavit ſapientiam, ut ſuperbos, & de ſua ſcientia ſe jactantes caſtigaret, ſuis exemplis eorum arrogantiam increpitavit, ut aliquando inſanire deſinerent.

Qualis namque radix, talis eſt etiam fructus ejus, ambo videlicet laudabiles: tentationibus exercitus humilitatem induit, ſapientiæ ſuæ flumina occultavit ac texit, interrogatus tacuit. Divinas ſcripturas, quæ nobis heu viluerunt, Draconi citanti regeſſit, plura locuturo linguam impedivit, diſceptandique ac ſcitandi cupidum compeſcuit. Et Dominus quidem teſtem produxit Moſen, quum inepti Scrutatores ab errore teſtimonia petant. Coluber ille callidus & acerrimus diſceptator proprias exuvias diſciplinæ ſuæ alumnis adaptavit. Exue, ſodes, ſi quas induiſti Serpentis ſquamas, & projice, ne luem inde contrahas, & pe-

[illegible]

A & pereas illi sociatus, qui nihil novum non deterit. Si qui proinde albis vestiendi cum novo amictu propriæ voluntatis tineam sumserunt, hæc velut ex insidiis pannos adorta, rosit, corruptosque abjicere coëgit. Folia itaque induite, fratres, tineis non violabile vestimentum.

Disceptator malitiosus & acer simplicium argumenta facile refellet. Cave proinde, ne hunc disputantem admittas, B servus ille est; liber ipse natus, noli te mancipio socium adjungere. Veterator & fallax est, quotquot nactus est socios contrivit, ut suam ipsis appingeret effigiem, notamque imprimeret. Quisquis ejus formam induit, summam ejusdem deformitatem cernere non potuit. Si ergo videas omnia scientem ad tuam tenuitatem descendere, tibique omni scientia carenti assi- C milari, falleris, si illum quidpiam ignorare credas: ipsius in nos amor ad hujusmodi ignorantiam, quæ reapse nulla est, demisit. Suæ ille majestati derogavit, ut suam tibi excellentiam hoc modio commetiretur, indeque tuæ certior factus dignitatis, in posterum caveres, ei aliquid detrahere. Id tamen facis, dum ad ima tendis, eo, quo conaris investigare investigantem omnia. Porro si tantus non es, ut meri quod bibisti, violen- D tiæ immotus resistas, res est tamen minima & levissima, in quales, putas, anfractus salebrasque te conjiciet magnus ille Unigenitus?

[illegible]

SERMO XXXI.

[illegible]

Adeste, fratres, Deum laudemus, qui membrorum nostrorum vocabu- E la sibi accommodavit, aures se habere dixit, quo disceremus nostras ab ipso exaudiri preces, oculorum vocabulum admisit, ut doceret, nostros actus ipsi esse patentes & conspicuos; nomina solummodo rerum sibi adaptavit. Quumque ejus natura nec ira nec pœnitudine moveatur, talium perturbationum vocabula nostræ infirmitati indulgens, assumsit; & sane nisi rerum corporearum vocabula sibi accommodasset, cum ho- F minibus agere minime potuisset. Per nostra ad nos accessit, nomina induit nostra, ut sua nobis adjungeret. Quum nec figuram nec speciem haberet, corporis nostri lineamenta habitumque quæsivit, & induit, nec secus ac pater cum filiis suis, nobiscum parvulis consuevit. Quamquam & ipsam formam reconditam conspicuis figuris induit, & non induit, exuit & non exuit, indutus nudus erat, induit, ut prodesset, exuit, postquam opus quod moliebatur, peregit. Quo

Quo autem omnes formas induit & exuit, docuit, nullam inesse summæ naturæ figuram, sed quum eadem abdita & abstrusa in obscuro delitescat, in rebus conspicuis & patentibus se ipsam adumbrasse.

Senis antiqui dierum speciem prætulit, Gigantis & strenui Bellatoris personam repræsentavit: judicaturus, senis habitum assumsit, pugnaturus, fortissimi militis vultum sibi aptavit: visus est modo otiosus, modo a longo cursu defatigatus, tum dormiens & somno sopitus, aliquando egenus & inops; sic omni modo saluti nostræ allaboravit, ut nos lucraretur. Scilicet quum idem optimus posset parvo negotio, levique opera nos sibi gratos efficere, omni arte efficere contendit, ut ex libera nostri arbitrii electione ei placeremus, & quæsitis a nostra libera potestate pigmentis, nobis decorem & venustatem conciliaremus; etenim si nos ille per se formaret, imagini similes videremur, cui pictor ascitis sciteque dispositis coloribus, decorem & lucem accersit.

Auceps, qui avem nostras docet imitari voces, huic ei speculum offert: ipse post speculum voces format, & avem ad imitationem provocat. Illa verò sono excita conversis in eam partem oculis, propriam imaginem in speculo expressam videt, doctorem non videt, loquentem credit imaginem; sic imago personam magistri induit, & avem nostrum sermonem docet: & hæc quidem propriæ imagini extraria non est, accidit tamen, ut per hanc quasi per alienam decipiatur, indeque vocibus assuescat nostris, doctore per ipsam ad ipsam loquente. Quorsum istuc? audite: Divina quidem natura in omnibus superexcellit omnes, illam amor a propria amplitudine descendere coëgit, morem nostrum a nobis sibi quæsivit, omnes suscepit labores, ut nos omnes ad se pertraheret.

Quare, quæ dixi, non res, sed rerum species fuere, ut puta, ea forma gigantis & senis: item illud, quod scriptura tradit, Deum aliquando dormiisse, aut eundem insomnem vigilare, tum illud, quod etiam divinæ literæ referunt, Deum peracto opificio Mundi, quasi fessum requievisse, aut contra, assiduo labore minime defatigatum, quo strinxit, solvit, profuit, & docuit. Rursus ad visionem smaragdinam se contraxit, suumque in ea thronum collocavit, explicuit se, & Cælum implevit; qui pugillo continet universum, certam sibi se designasse sedem præsetulit; qui ubique præsentem se obtulit, creditus est, hoc aut illo contineri loco,

[illegible]

A loco, qui omnia loca implebat. Amplitudini suæ detrahere visus est, ut eam captui nostro commetiretur. Magnum & magnificum se præbuit, ut nos locupletaret, modò parvus, modò magnus apparuit, ut undique nos magnos efficeret. Quod si parvus semper videri voluisset, ipse profectò parvus fuisset, sed & nos minores fecisset eo ipso, quo induxisset, ut B reapse vilem & contemtibilem illum crederemus: idcirco cum humilitate & inopia magificentiam & amplitudinem conjunxit.

Nostram profectò admirationem exhausit, quando ornamenta majestati suæ ademit, quæ ad nostram dignitatem transferret. Sed nisi versa vice iterum se nobis magnum probasset, nocuisset utique nostro sensui inde autumanti, despicabilem eum esse, qualem videbat; quo qui- C dem errore nihil cogitari poterat, nostris rationibus magis contrarium. Infirmæ naturæ nostræ vires faciunt, ut ejus seu majestatem, seu humilitatem non feramus indemnes: magnus apparuit, inde nata nobis errandi occasio; ad nostram paupertatem descendit, inde egentiores evasimus: sic collata nobiscum opera, omnia ubique negotia nostra peregit. Duo interea nos docere satagebat: quis ipse sit, & quis idem non D sit; ea, qua servos amabat, caritas illum impulit, ut speciem, quæ ipsum illis redderet aspectabilem, indueret: sed ne eo, quo prodesse volebat, nobis officeret arbitrantibus, eum nihil ab apparente figura differre, formam sæpe mutavit, unde illum nullam habere sciremus, & quamquam ab humana figura nunquam discessit, discessisse tamen videri potuit, quo ipsam va- E riavit.

SERMO XXXII.

Meas, quæso, cogitationes ad tuam evoca disciplinam, ratum quum sit mihi meæ vacare animæ: deprehendi autem, aliis curis distentum me meas deseruisse vires, simul intellexi, nullum aliunde emolumentum me relaturum, nisi assuescam F nunquam de te non cogitare. Undecumque mihi in mentem venisti, inde mihi sensi magnas affluxisse opes. Ubicumque incidit mihi, cogitationem meam ad te convertere, sensi, fontem a te prosilire mihi; quod autem profluentem exhaurire nequiverim, semper emicantis scatebræ laus fuit. Attamen nec ista minime sitientibus suas ministrat aquas, nec ærarium tuum te non amantibus suas fœneratur opes. Cælestis thesauri præfectus amor est. Pul-

Pulchritudo tua me ſolicitat, monens, ne tuum deſeram conſortium, iſtuc autem ambire vetat tua incomprehenſa Majeſtas: utrumque, ſive illud petam, ſive fugiam, æque moleſtum & grave eſt. Ut ſenſi te mihi præſentem, expavi, ut te magnum prædicavi, ipſe magnus videri cœpi; Quamquam ſi de te minùs bene opinarer, nihil tibi decederet, plurimum contra mihi accedet, ſi te maximum teſtabor; hæc nimirum amplitudinis tuæ prærogativa eſt. Cogitatione & voce te adſectabar, non quod te aſſequi me poſſe ſperarem, longa indagine fatigatus me continui & tacui, non quod te mihi præſentem non crederem, ſed a me ipſe extaſim paſſus, in te peregre eram, & inde conticui, ſimul auguſtiſſimæ naturæ tuæ arcanum adoravi. Dolui imbecillitatem meam, ſilui, poſtquam didici, me cœptis meis imparem eſſe, neminique licuiſſe, te, qui omnia contines, comprehenſum tenere: atqui etiam atque etiam dolerem, ſi nullum finem non haberes, & incomprehenſus non eſſes.

Ecce autem, ut nobis conſuleres, amplificaſti gloriam tuam, ut te magnum eſſe intelligeremus. Magnus utique es, quantumlibet propter nos homines de tua magnitudine multum detraxiſſe viſus ſis. Nondum Adamum condideras, tu tamen de tuo, tibique magnus eras; parvum te fecerunt homines, quum tuam ad illorum perfectionem deduceres Majeſtatem, eorumque rationibus ſic accomodares, ut unde tu ad ima deſcenderas, ipſi ad ſumma conſcenderent. Jam ſi humanæ naturæ externa facies amplitudini tuæ detraxiſſe viſa eſt, quanto magis id ipſum præſtitit corpus, quod ob nimiam caritatem tuam non aſſimilatum, ſed verum aſſumſiſti. Quidquod minorem etiam te feciſſe videri potuit hoc ipſum, quod ad Mundi procreationem veniſti; a ſummo quippe magnitudinis tuæ faſtigio ad hæc infima deduci te neceſſe erat; quum creatura potis non eſſet a propria humilitate aſſurgere; ipſe proinde te demiſiſti, ut illa exiſtendi initium acciperet. Minuit ſe Maximus, alioquin quomodo Mundum e nihilo extrahere potuiſſet? Næ ille ſi minor fieri non poſſet, nec magna facere potuiſſet. Hæc tuæ, Domine, benignitatis laus eſt.

De tuo minor, de tuo etiam major, minor factus es, quo a ſumma tua magnitudine deſcendiſti, evaſiſti major, quum pro ea, qua excellis, bonitate Mundum condidiſti. Viſus es modò minor

minor

A minor, modò major te ab externa facie æstimantibus, quum Majestati tuæ nihil reapse accederet, decederet nihil; natura quippe una tibi eademque perseverat, semper æquabilis & constans, nec ullam patitur vicissitudinem; ego vero minimus quum sim, de te loquor, id mihi tua Majestas indulsit, ex quo annuit nostris vocibus ac verbis subesse, cupiens dicentibus & audientibus prodesse. Unum sunt B Pater, & Filius; amborum quippe natura una est, alter ab altero non exerrat, alter alteri immiscetur, alter ab altero distinguitur. Tuarum Deus Personarum mutuæ insessionis hæc laus est.

SERMO XXXIII.

AD veritatem loquebatur Joannes, C quum te diligenter contemplatus, tuam nobis imaginem depinxit, affirmans, te esse Deum Verbum, a nostris proinde sensibus longe remotum; satagebat nimirum ut quam ipse ex archetypo expresserat, effigiem tuam, suæ quisque menti imprimeret velut tabulam ex tabula. Porro ne quis auderet pro tua imagine speciem aliquam peregrinam nobis obtrudere, divinus Spiritus, eodem, quem per Joan- D nem ediderat, typo animum, mentem & cor nostrum obsignavit. Et Verbi quidem natura nobis obscura latet, eademque patet satis conspicua, absolute tamen recondita & arcana est: scimus quippe illam existere; cujusmodi autem, & qualis sit penitus ignoramus; sed nec nobis fas est contingere, quod divinus Spiritus intactum reliquit, aut non tenere, quod idem E nobis tenendum tradidit.

Cæterum si Pictori operosum est levis auræ flatum coloribus imitari, næ ille insanit, qui jactat, se penicillo posse describere Unigenitum, quem nec verbis explicare potuit. Pictores quidem corporum conformationes delineare norunt, qualis autem sit ipse animus in corpore nec adumbrare potuerunt. Oris quidem figuram effingere levis negotii opus est, vo- F cem autem figurare artis non est; res hujusmodi, quorum nullum subest quasi corpus, sub penicillum omnino non cadunt. Divinæ Scripturæ, quæ Filium genitum docent, conceptionis tempus non produnt; & ubi Patrem generantem indicarunt, generationis reticuere modum, quoniam ejusmodi arcana labore prorsus inutili quæruntur. Præterea si Spiritus perduelles coloribus describere nemo potuit, Spiritum sanctum investigare & ob

 oculos

oculos ponere ſe poſſe quis credat ? Si quis autem hanc ſibi arroget facultatem, ejus arrogantiam facile retundet immundus, quem dixi, ſpiritus : uti enim animus omnes pictorum conatus ſua ſubtilitate prævertit ; ſic omnem intelligendi facultatem ſupervolat cum infinito etiam exceſſu Divinitas, quamobrem nullus intellectus hactenus deprehendit, qualis ipſa ſit.

Vocem pigmenta non exprimunt, nec noſtræ aſſequuntur Filium Dei ratiocinationes : ad ſcopum iſtum jacula non collineant, quia omnem intelligentiam ſupervolat. Si pictores fulgurantem ex Moſis ore lucem nec intueri potuerunt, cætera aſſueti hominum vultus & veſtium colores penicillo deſcribere ; plane fieri non poteſt, ut oculus aut animus Filii Dei jubar, aut faciem concipiant, quum ab utroque remotiſſima ſint ; & ſane ſi vultus effœti ſenis levi cæleſtis vultus irradiatione illuminatus, pictorum artem eluſit, naturæ ingenitæ omnium plane oculorum aſpectum fugientis imaginem quis dabit ? ſi quos autem ſacræ literæ commemorant, Dei faciem vidiſſe, hanc profecto neutiquam viderunt, ſpeciem, quam illa induerat, ſpectarunt ; conſtat enim omnium intellectuum cogitationes a Filio Dei infinito ſpatio diſtare, nec ſuis proinde coloribus pictam ejus effigiem exhibere poſſe talem, ut inde quis ille, quidve ſit, pernoſcamus. Et verò ſi flatum, quem cogimus, & ſenſu percipimus, coloribus repræſentare non poſſumus, inepte petitur, qui penicillo formam imitetur Filii, uni modo Genitori aſpectabilis.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

SERMO XXXIV.

Ante Adæ peccatum nihil non mundum erat : quumque homini cæteriſque animantibus ſuſcepta in ſua creatione puritas uſque maneret, ſingulas ille propriis nominibus diſtinxit & ornavit. Poſtquam verò homo ſuo abuſus arbitrio, innocens eſſe deſiit, creaturas Creator abjecit, hanc pœnam exigente hominis culpa, ob quam idem rebus in ejus gratiam uſumque productis, longe turpior evaſerat, ita tamen ut ſimul ſtatueret, hominem ad priſtinum candorem per illas reducere. Næ ille omni laude dignus eſt, qui per muta animantia homines ratione præditos corrigere ſtuduit, admonens, ut ſibi ab eorum imitatione inpoſterum caverent. Etenim quum, uti ſcriptum eſt, hominem non puderet, beſtiis & jumentis comparem fieri, in iſtis ſuam ipſi deformitatem plane diſpiciendam obtulit, ut inde intelligeret, quo-

[illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A quomodo extincta illa prioris formæ elegantia, in tantam turpitudinem deveniſſet, ipſum ſui pudere inciperet, criminiſque ſui gravitate increpitus agnoſceret, cui tandem ſimilis evaſiſſet; tum verò ſua damna fleret, & amiſſam quæreret venuſtatem.

Eſto autem pluribus ſimul commorantibus unum ſpeculum ſufficiat, Adæ plura dedit, ut qui non unam contraxerat ma- B culam, neque omnes liceret ad unum ſpeculum examinare & extergere. Homines itaque ad beſtiarum contemplationem deduxit, juſſitque in iſtis, quales ipſi eſſent explorare. O admirandam Opificis noſtri ſapientiam, qui in mutis animantibus noſtram nobis imaginem contemplandam objecit! Animo quidem propriam formam videre licet, corpori ſine ſpeculo non li- C cet. Ergo poſtquam propriam corporum conditionem animus induit, ut jam in ſe ipſe ſe cernere non poſſet, Deus magno conſilio beſtias eidem in ſpeculum transformavit, ut in eis ſuam fœditatem identidem reſpectaret; providitque homini, ut beſtiarum, quas ipſe caſtigare ſoleret, nunquam non obvio conſpectu moneretur, ne illarum vitia in ſe traduceret. Diſceret proinde cavere Luporum rapacitatem, fe- D rarum ſævitiem, neve ſerpentum ſibilos, aut ſcorpionum ſilentium imitaretur, ut ſocios in ſecreto mordere aſſueſceret, aut hebetata proprio vitio mentis acie aſſimilaret Equum & Mulum, quibus non eſt intellectus, aut canum rabidorum more furibundus ſuum invaderet Conditorem. Talis Herodes fuit, quem Dominus vulpem appellavit: ſuum ille cubile perpetuo E inceſto polluebat, legem proculcabat, & Nazaræum homo turpiſſimus occiderat, inſtigante femina, quam ſui ſimilem uxorem duxerat, necnon puella, amborum ſignata typo. Harum conſpiratione in æſtu intemperantiſſimæ perpotationis venerandus Propheta cæſus occubuit.

[illegible]

SERMO XXXV.

F

DIvinam Scripturam perinde atq; naturam Diſceptatores perverterunt: imitantur externos domeſtici, qui ſuis ſibi diſceptationibus perniciem captant, damnaque ſua ſuis argumentis exaggerant. Externi dum varios ñaturæ curſus & exitus obſervant, offenduntur, domeſtici legentes ſcripturas anxii hærent & perturbantur. Quæſo, mihi, Domine, tribue utrorumque vitium declinare, dum hanc, te annuente, peroro cauſam.

cauſam. Conſonat illud : *In principio creavit Deus &c.* huic *In principio erat Verbum &c.* Moſes Joanni : ambo literatos malitioſe tractantes Divina ſugillant. Joannes Deum ad humanæ vitæ ærumnas & perpeſſiones ſe ſuamet ſponte demittentem proponit: Moſes naturam doloribus miſeriiſque ſubjectam deſcribit, & audientes admonet ſimilem cavere pœnam. Uterque in ipſo narrationis exordio proprii argumenti dignitatem exponit. Lauda Purum, qui ore puro puros fontes nobis aperuit.

Ex iis ergo, quæ improbi homines de Creatoris Filio, deque ejus in terras deſcenſu, & humili ærumnoſiſſimæ vitæ tenore ſcripta legebant, concluſerunt, eum eſſe Creaturam. Sic fontem miſcuerunt, mox, quæſtione reſumta, aquam, quam ipſimet pedibus turbaverant, hauſerunt. Et quamquam doctrina, de qua diſceptabant, illimis & limpida foret, limum ex nitidiſſimo fonte biberunt. Oro, Domine, miſerare voluntatis noſtræ conditionem, quæ, aquam niſi prius turbaverit, potare recuſat. O fontem opido admirandum, qui ad dexteram lævamque ſuas diſpenſat aquas, clarus idem ac turbidus, puris quidem, & ab ejus potu puritatem haurire ſtudentibus nitidus & illimis: impuris autem limoſus ac lutulentus. Qualis eſſe ſolet cibus, jucundiſſimus quidem ſanis corporibus, ægrotantibus idem ingratiſſimus: talis eſt veritas, turbulentis & ſeditioſis propoſita minime ſapit, nec ſecus, quam ſuavis eſca palato corrupto ſaporem mutat. Tu, Domine, quæſo, noſtros curato languores, ut confirmata valetudine, præclara, quæ de te narrantur, æquis auribus excipiamus.

Conſiderabant Ethnici rerum naturam ubique confuſam & perturbatam (Adamus mali tanti cauſa fuit) videbant ob conceſſam homini poteſtatem eligendi, quod vellet, aucta ſine fine delicta, & hinc natas horribiles calamitates, commeritas a delinquentibus pœnas, juſta Dei ſeveritate exigente. Credidere fatui, naturam a ſuamet conditione malam & inordinatam, nec porrò admodùm diſſimili opinione imbuti Noſtrates, Domini exiſtimationem deterere auſi ſunt; humanam ipſius naturam contemplantes, in humili ejus habitu aſpectuque graviter offenderunt: natam inde confuſionem Diabolus auxit, & utramque ſectam mirifice illuſit. Callidum veteratorem tu, Domine, increpito, ne nos, ut olim ſui Samſonem hoſtes, traducat. Quum ipſimet fluenta turbaſſent, inde ſcatebram lutulentam eſſe colle-

A collegerunt. Nos verò primam profluentis originem petendam eſſe ſtatuamus: ex ipſorum palato fluenta traxere ſaporem. Si quem cepit natura reatum, hunc certe totum Adamus dedit. Aſſumtum Corpus Chriſtum egentem fecit. Naturæ bona detrivit Adamus, Chriſti gloriam caro obſcuravit. Merito jure laudandus eſt Dominus naturæ, quæ ſi ignominiam ſuſcepit & gloriam, utrinque ſui Conditoris
B laudes celebrandi argumenta captavit.

Joannes, qui aquam in ſuo fonte potavit, quum iterum compotoribus ipſam prælibaret, ardore divino inflammatus, in illas erupit voces. *Deus erat Verbum, & hoc erat apud Deum.* Moſes, qui primus naturæ origines prodidit, hoc etiam adnotavit: Deum, quum univerſum a ſe factum circumſpiceret, omnes & ſingulas ejus partes collaudaſſe. Natura im-
C pura non eſt, & divina Scriptura etiam puriſſima. Ohe rerum Perturbatores huc-uſque litigaſſe ſat eſt, abſiſtite. Oro, Domine, diſcordias limpidiſſimum fontem permiſcentes, componito. Diſcite, naturam ab ordinatiſſima ſua conſtitutione noſtro deflexiſſe vitio, divinæque Scripturæ ſplendori offeciſſe nobis inditam diſceptandi libidinem: atque inde perturbatum ſim-
D plicem gregem, dum ovibus potum poſcentibus pro aquis confuſas voces haurire compellimus, de natura ſcitantibus, hanc a ſuamet conditione malam eſſe renunciamus, Divinam Scripturam poſtulantibus, interpolatam obtrudimus. Ad priſtinam, quæſo, puritatem, Domine, fluenta reducito, quæ pertubatores corruperunt.

Prævidit Ezechiel hunc diſceptandi
E pruritum, publicæ tranquillitatis peſtem, hanc ſententiarum ac opinionum diſſenſionem omnis Ordinis perturbatricem, & ambas propriis coloribus expreſſit, autores indicavit malos Paſtores. *Oves*, inquit, *paſcuis paſcebantur, quæ conculcaverant plantæ veſtræ, & revertentes biberunt aquas, quas turbaverant pedes veſtri.* Audis voces, opera vides hominum ſuperborum, qui Orbem ſuſquedeque miſcuerunt, plurimæ agen-
F dæ Deo ſunt gratiæ, quod ante natos diſceptatores fontes Apoſtolis puriſſimi fluxerunt. Et nunc oro, Domine, aquaria, quæ turbulenta fecerunt Paſtores, ab omni impura admiſtione libera, ut deinceps gregi tuo purus ad hauſtum decurrat liquor; ſed & meam, quæſo, inſcitiam vindica a ſapientibus, qui vehementer intra ſuas opiniones deſipuere. Hi ſane ſi tuam noſcerent majeſtatem, perſcrutari neutiquam auderent, & ſi naturam & ſcripturam conſule-

34. 18.

sulerent, ab utraque utriusque Dominum ediscerent: hunc rebus sensui obviis, natura docet, apertisque & explicatis verbis scriptura renunciat. Te, Domine, laudamus, qui ex altera corporibus victum ministras; ex altera animis vitam impertis. Præsta, quæso, nobis, Pastorum spectatæ puritatis operâ potare aquam ex rivulis ab ipso tuarum scripturarum capite accersitis & ductis.

[illegible]

SERMO XXXVI.

[illegible]

SErvos laborantes curaturus descendit Dei Filius, dolens morbos per longas invaluisse moras, atque medicos non paucos ad faciendam ægris medicinam missos, affectiones quidem curasse leviores, graviores autem, velut desperata curatione, deseruisse. Gratias, quas possumus maximas, agimus ei, qui dedit, ut talem Medicum haberemus. Quoniam verò hunc ægri cernere non poterant, mutuatum ab ovibus amictum sibi accomodavit. Continuò grex omnis ad eum confluxit, nec enim quasi extraneum fastidire poterat, cujus vestes ovem olebant. At lupi sagaciores etiam latentem extimuerunt, & quia vestem mutaverat, ipsam, quam induerat, sciderunt, simul ejus gloriam publicarunt: Quamquam, ipsis etiam invitis, occultæ Majestatis fulgor inter involucra & integumenta emicabat.

Hujus temporis Pastores dum reputant, quot contumelias & opprobria pro ovibus suis bonus Pastor pertulerit, velut hausto mero ebrii nihil præter primatum inter pastores in eo discernere potuerunt; quin & Agricolæ, qui illum tandem in crucem egerunt, vineæ hæredem & Dominum crediderunt, præterea nihil in eo suspexerunt, quod ipsum a vulgo distingueret. Pastorum turba unum de grege agnum putarunt, eo quod paschalem agnum ipse se fecisset: Casum vides uberrimis complorandum lacrymis: Hem summi Opificis Filius, cujus & nos opera sumus, a suis creaturis vocabulis traducitur non suis, quasi vero hoc ille præmium commeritus fuisset, quod suis eos nominibus decorare voluisset.

Siccine homo ex luto fictus figuli naturam quoniam mutare non poteras, nomen mutasti? nimirum sic lanæ colorem mutare soles. Cave, ne augustum Filii nomen cum creaturarum vocabulis componas. Ille te a mutis animantibus distinxit, vide, ne tu ipsum cum creaturis con-

[illegible]

confundas. Servilis conditio liberi arbitrii potestatem tibi non sustulit, noli rerum Dominum jugo, quod tibi natura imposuit, submittere, qui cunctis asseruit libertatem.

Narra si potes, quid ipse perpessus fueris, vel quos exhauseris labores, comparabiles cruciatibus, quos ille pro te sustinuit, tales autem sunt, ut quot, & quales fuerint, qui definiat, nemo sit. Gravissima utique ille pro te passus est, quid tu pro illo? At si tibi non libuit de eo benemereri, male certe non licuit. Monstra rogum, in quem pro illo cremandus conjectus fueris: atqui tuæ contumaciæ fumus ad ipsum usque pervenit.

Ille, qui est, insistit, ne unus in tres dividatur Deus: mitte vocabula & naturam ejus ostendito; hæc nempe oculos etiam scitantibus sufficit. Lapidis natura, & similes divisionem suscipiunt, secus ignis, individuus hic est: sensus rem nobis certam facit. Sunt plurima, quæ vocabulo conveniunt, naturâ discrepant, quare inepte producis dividuis ac individuis commune nomen. Unum est, quidquid est & unum dicitur, ut puta unum corpus, persona una; unum est, & numerum componit. Atqui si dicis unum, quia hoc individuum est, vehementer erras. Aquæ natura utique una est, individua non est & divisionem suscipit, uti mutationem natura fugum & seminum. Ad eum, qui est, cognoscendum nullus restat aditus, si nulla patet ad ejus naturam explorandam via, quam certe nobis non aperit ejusdem unitatis notitia, nec hoc solo indicio investigare possumus rem ab omni sensu intelligentiaque remotam.

Gemini proponuntur ignes ad hoc aurum examinandum, fides & ratiocinium; vel enim credere debes veritati dicenti, vel ratiocinando discere, quid Deus sit: disceptationibus certe non indiget nec utitur veritatis alumnorum fides: aliam nos inire viam suadet temerarius quidam veterator, ratiocinationum videlicet & argumentationum. Fac ut hunc capias, captumque pelago mersum piscibus prædam dato, ut quæstionibus tandem aliquando totus absistat. Sed ante insistito, ut tibi expediat rationem explorandi naturam nunquam non existentem, quid ea sit & qualis, & ubi moretur? Utrum Unigenitus explicabilis sit ab existentibus rebus, aut istæ a non existentibus, terram consulito, spinis obsitam proscindito semel & iterum, veritatem, quam ipsa non sentit, te docebit.

SERMO XXXVII.

Ef. 30. 28. FRænum erroris, quod Esajas narrat, noſtris inductum maxillis, dolum deſignat, quo a Diabolo circumventi homines, in pecudum ſtuporem degenerarunt. Plurimæ idcirco ei agendæ ſunt gratiæ, qui veritatis luce nubem errorum diſſipavit. Et verò quum ſimiles mutis animantibus evaſiſſemus, deſcendit Deus, nobiſque ſimilem ſe fecit, ut nos ad ſuam imaginem denuo reformaret. O Deum omni laude digniſſimum! animadvertin' quo ex loco ejus nos pietas extraxerit, & ad quale extulerit honoris dignitatiſque faſtigium? At homo quum in honore eſſet, non intellexit, beneficium non agnovit, auctorem offendit. Iſrael impinguatus eſt & recalcitravit, rebellavit, accepta beneficia primùm celavit, deinde etiam abjecit. O vix conſolabilem dolorem!

Pſ. 48. 13. *Deutr.* 32. 15.

Sapientes eramus & ingenui, Diabolus nos efferavit. Aratoris jugum jungit disjunctos, Dæmon jugum invenit, quo fidei unitate conjunctos divideret, diſceptationibus implicuit, & ſeparavit: per anfractus & ſalebras ad ardua & prærupta incitavit: ſemitam ſepſit, hinc criminum montibus, inde quæſtionum rupibus, viæ minaciter ſuperimpendentibus: ergo per ſalebroſas exilitates, & horrendas crepidines, ubi ſexcentis oculis opus fuiſſet, curſabant, certantes, quis primus ſequentibus veſtigium faceret, & ſocios ad exitium anteiret. Tuæ, oro, clementiæ frænо turbatam rem noſtram ad ordinem reducito; totus oculus es, nobis expedi viam, per quam, ſuperata locorum difficultate, in tuta ac plana evadamus. Homines ſumus conditione, & culpa noſtra infirmi, tuis indigemus auxiliis: noſtra item mens & ratio occultis implicita erroribus, petit ad ordinem tuo judicio revocari. Aquila quoque pennas ſuis ſubmittit pullis, miſericordiæ tuæ, Domine, precor, alas nobis accomoda, quibus ſubvecti, terram ac aërem miſerorum & egentium domicilia prætervolantes, ad repoſitos nobis theſauros adproperemus, Spiritus ſancti aſpirante gratia. Noſtram, precor, tuere fidem ab ea, quæ fides non eſt, noſtram, oro, cuſtodi ſcientiam ab ea, quæ ſcientia non eſt; & iſta quidem vocabulis congruunt, ſignificatione diſcrepant. Videte, fratres, ne congruentia nominum vos fallat incautos.

Fictos adoravere Deos Ethnici, verum

A rum nos colimus Deum: Piis invidit Diabolus, errores diſſeminavit, ut ſine Deo perinde fierent noviſſimi atque primi, qui ſaxa colebant. Inanes formavit Deos in ipſis & ex ipſis rebus factis artificum induſtria; ſimili aſtu ſimiles Deos ex ipſa, & in ipſa ſcriptura diſceptantium malitia ſanctæ fidei deſertoribus conflavit Diabolus, utriſque artem tradidit, & illi quidem digito mutum ſimulacrum finxere, & B iſti digito & calamo errorem exararunt, quando hominum digitis divini digiti tabulas ſcribentis ſimilitudinem Diabolus affectabat. Quemadmodum autem nominum unitatem quæſivit, quando ſimulacra Deos appellavit; ſic ne quis ab errore diſcerneret veritatem, hanc ille perfecte imitari ſtuduit; habebat, qui aquæ cultum prædicabat, alium induxit, ut ignem C Deum ſibi faceret, atque alium, ut Lunam adoraret, iſtis occurrit alius objecitque magni Solis, quod ipſe colebat, numen. Ethnicorum ſectis ſimiles hoc tempore eruperunt hæreſes: qualis quippe fuit illorum arrogantia, talis & noſtra eſt, & idem pugnandi ardor, & cupido vincendi. Ohe ſatis eſt, nugari abſiſtite garruli Sophiſtæ, obſtruantur ora, ſtupeant labia: eſt modò, quod animus admiretur; D quod ipſi ſenſus & cuncta corporis membra exhorreant, id eſt generatio Filii Dei.

Heus tu lingua procax, diſtrictum ferrum vaginæ redde te tuæ; quiſquis de facundia ſe jactat, nec ipſum uſque pudet, tandiu garriiſſe? nil mirum, inſana diſceptandi libido linguam acuit, aciem retundat ſacrum Filii Dei ſilentium. Arcum os tuum puta, cave, ne hunc inſtruas ve- E lut in ictum incumbens ſagittarius, pertimeſcito Spiritum ſanctum tibi minaciter ſuperimminentem, hic velut concitatus turbo librata ſpicula in librantem retorquebit. Murum ferire paras adamantinum, qualem ſe vidiſſe Propheta narrat; jacula ſi in eum contorſeris, non illa ſcopum trajicient, ſed retorta conficient jacientem. Currentem Figuli rotam conſidera, inde ad mentis tuæ diſcurſus cogi- F tationem advertito, illa lutum attollit, hæc Filium Dei deprimit, ſi modò hunc deprimere vis ulla valet. Ingratus es, ſi adverſus eum rebellas, qui de humo finxit te mente & ratione præditum. Conticuere vaſa figuli, vociferantur adverſus bonum artificem, quæ ipſe formavit & extulit, fictilia. Partem minimam quæſtionum, quæ de illo diſputantur, montem eſſe crede arduum & inacceſſum. Cave, ne te quiſpiam per ambages ac tormenta verborum

Ezech. 4.3.

borum aliò abſtrahat. Duo tibi, ſi quid de illo noſſe cupis, proponuntur teſtes, Terra, Cælum, utrobique quàm longa, quàmque lata patent oberrandi ſpatia!

Tuos, Domine, fines nemo prætergreſſus eſt, nemo immenſam altitudinem ſuperavit; Natura tua ingenita, Patriſque tui ſinus inexpugnabile ſeptum tibi componunt; nec ullus cuipiam datur ad te aditus, aut ulla facultas tractandi arcanum ignem, citraque illum continet ſe quiſque, ſibique ab acceſſu cavet, quamvis ingreſſum nec mœnia nec propugnacula prohibeant. Quis enim tam ſtupidus ſit, ut non vereatur pertentare naturam nullo unquam tempore non exiſtentem, omniumque terribilium terribiliſſimam? Curſum fluviorum ſiſtit mare, Scrutatorum temeritatem frænat Filii Dei generatio.

SERMO XXXVIII.

TUA nos, Domine, caritas allicit, & recreat, dum deſides increpat: excutit & excitat, peccantes coërcet & arguit, peccata diſſimulat, quaſi non videat, nec ſubtrahit diſciplinam, ut corrigat; ſcilicet qui omnia cernit, omnibus ubique prodeſſe cupit. At quis ille fuit, qui otium & ſilentium ſuaſit? quid? num mutis animantibus nos ſimiles facere cogitavit? Imo quis ille fuit, qui garrulitatem interdixit, ne loquendi facultate male abuteremur, malorumque ſpirituum imitaremur maledicentiam?

Quum Diſceptantium ſecta forum occupaſſet, hinc ſilentium, velut renunciata cum fœnore forte ceſſit, inde illa magis in dies florere cœpit, novęque diſciplinæ improborum hominum favore non modicas collegit opes. Tum verò violenta proſiliit, & bellum nobis ante ab Ethnicis motum & jam extinctum, reſuſcitavit. Æraria ſua novis inſtitutis implevit, inſtruxit fictis interpretationibus apothecas ſuas: quotquot novitatis eſca prolectavit ac traxit, ſuâ imbuit diſciplinâ, ſuaſitque, divinorum arcanorum clauſtra repoſcere, quod dum conantur ſtulti negotiatores, fœnus cum ſorte perdiderunt.

Diabolum dimiſit hoſtem impius Sectarius, & contra ſuos populares intendit arma, ab adverſario excæcatus, ſe ipſe confodit, ipſe ſe proſtravit. Tu, Domine, nobis fœnerato lucem, qua præeunte gentiles noſtros diſcernamus: prohibe malum, ne dextera ſecum ipſa pugnet, quæ contra ſiniſtram tela parabat: neve malos, Domine, oderimus, quandoquidem unum modò malum odiſti, errorem, occultam peſtem,

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A pestem, hunc tu veritatis ferro resectum & procul abjectum, atram velut caliginem dissipasti. Loquendi tacendique distincta momenta, justisque librata ponderibus, nobis tradidisti, monens utrumque ad exemplaria tua exigere atque dividere. Sic natura docet, justum gemina suspendere lance: ergo silentio & sermone cum ordine & judicio utendum, utrique sua dispensentur spatia. Sermonem diem, silentium noctem arbitremur: B auris siquidem & lingua congruam quietem reposcunt. Quare non inepte comparabis institutum de veritate sermonem diei, nocti silentium, & honestam a labore cessationem tranquillo ac suavi somno.

Operarii ad vineam conducti hanc, velut arvum nobis commissum, diligenter excolamus: caritatis semina jaciamus, sic C requiem metemus. Id modò satagendum, ut Domino pacis manipulos deferamus, ejus spei respondentes. Adest sanctus Spiritus paratus flatu suo ventilare frumentum, paleas dispergere, dissipare pulverem, triticum, excussis zizaniis, in horreum beatæ vitæ recondere. Tu verò discito laudare Bonum, qui nobis definiit tempus loquendi, subjecitque tempus tacendi. Benedicito Iusto, qui alia loca dedit, in D quibus disputare fas esset, designavit alia, in quibus tacere jussit; ipse nempe nos cuncta docet. Quemadmodum nec totum Orbem nostris passibus metiri nos voluit, sed certos limites vagantibus fixit, nec item omnia tranare maria, aut oculis omnem Solis haurire lucem.

Quæ, quum ita sint, jure mireris, ut humana ratio sibi subjicere contendat om- E nem illam immensam, infinitam amplitudinem; quamquam nec fortè deest, qui ejus immensitatem neget, Mundoque minorem esse nugetur. Et sane si quæ nobis concessa sunt, nec absolutè nec perfectè nostræ potestati subsunt, quænam nobis relicta videatur facultas illam Unigeniti occultissimam generationem persequendi? Lex ab ejus accessu quoslibet prohibens, in omne ævum durabit, nec talis est, qua- F lis illa fuit, quæ ad modicum tempus populum a clivo montis Sinai coërcuit.

Divinæ lucis hæres dici protoplastus ambivit, terræ colonus factus est. Ozias, dum sacerdotalem honorem quærit, valetudinem amisit, leprâ, fœdissimo morbo correptus. Mirum sane si quis claustra recludere tentat, quorum seræ sunt, taciturnitas & silentium, muri ignis & horrenda supplicia, septa ploratus & fletus ac stridor dentium. Erit ne aliquis, qui inexpu-

expugnabiles muros ſubeat, unde ſibi horribilia impendere mala præſagit? Quicumque muros ſuffodit, mœnia & propugnacula quatit, quæſtum ſperavit, noſtra nos, fratres, damna captamus. Confitebor tibi, Domine, quoniam ab arcanorum diſquiſitione & inutili otio abſtinere me juſſiſti, ſecreta ſunt, tractatores ſuos ad ſummam inopiam redegerunt. Quin ergo ea, quæ mihi manifeſta patere voluiſti, ad mea debita exſolvenda conferam, plenoque ore te laudem?

SERMO XXXIX.

ENimverò, etſi qui Dominum non norunt, vel qui egerunt in Crucem, ipſum traducunt quaſi mortali parente ſatum, ſtat tamen certa veritas, eundem Deum eſſe, cujus majeſtas omnes indagantium conatus eluſit. Quæ res etſi minime obſcura, clariſſimè patuit, poſtquam Sophiſtas ejus originem temere ſcrutantes excepère Martyres, ipſum unicè amantes, qui profuſi ſanguinis teſtimonio Filium Dei ex Deo natum publicarunt. Cenſen' eos, qui ſic delirant, animadvertiſſe, omnes priſcarum ſuperſtitionum patronos nobis contradicentibus conticuiſſe? ut jam vix occurrat, qui palam pennas explicare audeat, aut ſuas in foro garrire nugas. Profectò ſi omnes filii lucis, ſepoſitis ſimultatibus, in unum convenirent ſenſum, ut concordiæ vis ſumma eſt, omnem errorum caliginem diſſiparent.

Norunt eruditi, natas aliquando inter Ethnicos de religione diſcordias, nullos tamen in Orbe motus excitaſſe, nec quempiam ejuſmodi diſſenſionibus, quaſi publicis calamitatibus indoluiſſe. Planè contrarium nobis accidit, exortâ quippè inter nos, quæ hodie quoque agitatur de Filio Dei, quæſtione, fremuère Imperatores, populique, ac promiſcuum vulgus tumultuare cœperunt. Externi noſtra cernentes diſſidia, riſère religionem, arbitrati, eam in præſenti conflictu dignitatem ſuam tueri non poſſe, ſed in ipſo diſcrimine deprehenſuram non ſine rubore, vanum fuiſſe ſuum de victoria triumphum. Videbant nimirum illam a ſuiſmet profeſſoribus perturbari & in varias ſectas diſcerpi, contentionum ſcilicet æſtu abreptos haudquaquam attendiſſe, divinæ naturæ excellentiam noſtris eſſe ſenſibus inacceſſam: propterea que doctiſſimos viros, qui in ejus indaginem ſe merſerant, per cæca vada perpetuo errore vagari. Si quid enunciari potuit, potuit utique fuſiùs & uberiùs diſputari; perinde etiam facilè perveſtigari, diſquiri

A disquiri & explanari. Lingua rebus, quas eloqui potest, affinis est, easque perinde explicare nec ipsi difficile esse debet. At arcana, quæ nec dicere valemus, eadem nec cogitando pervestigare, invenire, & exponere possumus: restat, ut quæstionem silentio dirimamus; nec enim ea disputare concessum est, cum quibus ob illorum obscuritatem nullam mens affinitatem habet. Cæterum si nulla tibi ratio occurrit, B unde credas, Deum esse Patrem, habet ipse, unde te convincat impudentem. Et si quidem illum adhuc investigare pergas, non modò tibi difficile & arduum erit, eum credere Genitorem, sed nec utrùm existat certum erit. Atqui si saperes, neque disputares, quâ ille ratione Pater sit, cui omnes subsunt rationes. Nec enim uno in loco Divinitas admirabilis est, sed ubique & undique; quare si humanæ ratio- C nis vim superant seminum grana, & liquidorum guttæ, generisve cujuslibet olera (in minimis quippe maxima est, ut omnem vincat admirationem) ac si ejus in humani fœtus formatione motus ignotus latet, cuinam patere putes prolem ex ejus utero genitam?

ܡܐܡܪܐ ܕܐܪܒܥܝܢ.

SERMO XL.

D

Lucerna mundi Sol est, notissimum astrum, nobis tamen ignotum, quanto minus notus sit homo, nedum Deus. Suam Sol lucem non antecessit, nec enim unquam Sol sine luce fuit, a Sole secunda lux est, uti tertius calor: ambo Solem sequuntur, neutrum æquat. Solis Orbem intuere, prima statim occurrit forma; respecta iterum & contemplare Solem E orientem, hìc alteram deprehendes, nempe lucem, ac tertiam, calorem. Tria hæc simul examina & diligenter expende, quomodo se invicem assimilent, nec tamen similia sunt, in unum coalescunt corpus, distincta tamen sunt, primæ duæ formæ sibi mutuò cohærent, distinctæ tamen sunt, tertia utrique immixta ab utraque discrepat. Sol itaque, lux, & calor forma triplex F triforme corpus componunt; omnes citra contentionem sibi invicem consentiunt, & sociantur: concorporantur, nec tamen confunduntur, permiscentur, nec se mutuò impediunt, mutuò se premunt, nec tamen comprimunt, solutæ sunt, nec vagantur. Quod de Sole dixi, idem de igne dictum accipe. Facessant hinc ergo litigiosi & pertinaces; res est perspicua & evidens: res habes tres, una est; unam vides, tres sunt; commissas quidem nec tamen

men inſeparabiles; diſcretas, nec tamen diſtractas; unum corpus coagmentant; quod mireris & ſtupeas: hominem contemplare perindè ut Solem tribus compactum formis, mortalem quidem & moriturum, rediturum tamen aliquando ad vitam, tum verò plenè cumulatèque perficiendum. Quamquam natura Solis una eſt, & ſingularis, in ea tamen, ut dixi, tres coëunt formæ ſibi naturali nexu cohærentes, abſque confuſione permiſtæ, & ſine diſtractione diſtinctæ, altera alteri inſidet integra, & ſuis abſoluta numeris, citra tamen propriæ rationis detrimentum: una & communis eſt omnium claritas, conſtant tamen ſuæ ſingulis proprietates. Naturam vides opidò mirabilem, quæ ſine conjuge ſuum produxit fœtum, ſe cogit in unum, ſe explicat in tria.

Similem ſi quis ineptè neget in igne formarum numerum, quis ejus errorem probet, aut laudet ſtultitiam, aut non vituperet pertinaciam, qui rem oculis ſubjectam ſe minime aſpicere affirmet? res quippe in propatulo eſt, tres in igne formas reperiri minime quidem ſejunctas, diſcretas tamen, & alteram quidem ſplendere ac terrere, alteram latere, vi tamen præditam maxima, tertiam lætam atque tranquillam. Videmus primam ſe totam in ſe retruſam, alteram ſponte corpora permeantem, tertiam neceſſario fluxu diffuſam; inditæ igni facultates nec imperant nec ſerviunt, altera alteri obſequitur, hunc ſcilicet conſenſum & ordinem natura dedit.

Terna audiuntur in igne nomina, ſuum unumquodque tuetur locum, ſuos ſingula exercent actus. Vocabulis res reſpondent tres unum componentes principium, ignis ſubſtantia mirabilis, calor ab iſta diſcretus, & lux ſuo utrumque nitore colluſtrans; omnes uni inſident principio, & in eadem ſede concordiſſimè morantur. Ignis ſubſtantiam miramur, quod ſibi ſimilem progenerat, nec tamen minuitur; conſtat ubique ſibi; communicato calore non alget, calor ab eo diſtinctus ab eodem nunquam avulſus, ab ipſo profluens nunquam ſeparabilis, omnia largè liberaliterque penetrat: involat in panem & cum aqua permiſcetur, quidquid invaſerit, totum totus occupat. Divini Spiritus in igne figuram agnoſcito, permiſcetur aquis, ut eas ad expiationem elevet, pani ſe infundit, ut in hoſtiam ſacrificii transferat. Quumque videatur in cunctis adeſſe totus, mirum quàm longè ab iis remotus abeſt. Nec enim unquam fieri poteſt, ut divinæ Trinitatis abſolutam imaginem in rebus

[illegible]

[illegible]

A rebus factis habeamus. Cæterùm si quis modò propositam de Trinitate quæstionem huc referat, quomodo qui unus est, idem sit trinus; & qua ratione divinæ Personæ tres mutuâ secum invicem insessione communicent; vel rursus, quomodo calor ignis ab igne distinctus, ab ipso dividuus non sit? ineptè ista disquiruntur; tu id unum modò interim habeto, naturam, quam tribus communem Personis amando didicimus indivi-B duam, disceptando dividere non debemus. Opidò quantum nos addecet tres, quas dixi personas, unum Deum simpliciter credere amando, unum modò divinum testimonium attendentes, & nihil extra istud disquirentes. Quid enim? exigendum ne sit ab illa Trinitate, ut nos fugientes sequatur, atque per se ipsa nos doceat, divinas Personas nulla in re esse dissimiles: C reliquas quidem naturas aliquam dissimilitudinem & discrimen admittere, divinam substantiam nullum? Quis verò dicat, quantum illa cæteris dissimilis sit, ac præstet, quam omnium optimam & præstantissimam esse nullus negat?

SERMO XLI.

D Vidistin' unquam Corvos non cælibes, aut coëuntes Vespas? Apes certe sine conjuge pariunt, vermibus ulcera neglecta scatent, erumpunt è nubibus micantia fulgura, & de silice mirabilis lux; stagna gravidata vapore Solis progignunt reptilia, ad retundendam, credo, objecto cælibum partu, fidei hostium protervia, qui adhuc disputant, quomodo in prima rerum origine aquæ bestias natan-E tes procrearint: sed & quis illa miranda non miretur, talpas sub terra spirare, neque superaggerata humo suffocari, pisces agere sub aquis, atque intra materni uteri angustias fœtus? Qua, cedo, vi agitur ferrum, quum nullo ab extra movente, Magnetem petit? Reperiri præterea compertum est quasdam naturas, quæ vim ignis impunè ferant, sunt rursus sexcentæ aliæ rerum species, lapidum, plantarum & stirpium, nec verò paucio-F res diversorum mistorum virtutes, quarum qualitates nemo hactenus deprehendit, aut deprehensas exposuit.

Jam ut cætera prætercam, cælibum sola fœcunditas, quæ Philosophorum ingenia fatigat, luditque operam arcana naturæ scrutantium, nos satis superque convincit, nihil attentandum circa divinam generationem summi Opificis, qui ista resque omnes reperit, & administrat. Nec proinde illius perquirendam esse ratio-

rationem, aut locum, neque petendas causas, aut pervestigandum tempus. Compertissimum quidem est, odorem existere, colorem, saporem, ac tametsi cadant sub sensum, ob suam tamen subtilitatem tactui minime subjiciuntur; singuli nimirum cum proprio sensu aliquam habent affinitatem, odor namque olfactu percipitur, & palato sapor; at qualis sensus altissimæ Majestatis affinis esse potest, ut ex specie rerum cognatarum huic impressa ad cognoscendam illius excellentiam manuducamur. Qui nec affinitate nec genere nobis conjunctus est, hunc pervestigare cuinam liceat, cuive fas sit discutere? nihilominus, quia hoc illi placuit, suam nobis naturam manifestavit, ut qualis ipsa sit pernosceremus. Rursus quia voluit, minorem se fecit, ad nos se demisit suique notitiam nobis indulsit, Filium suum nobis cognatum fecit, & Spiritum suum nobis infudit. Sic nos amavit, sic nobis amorem suum testari voluit.

Quum suam Balaamus Asinam repentè præter exemplum loquentem audisset, prodigium utique præsens vidit, oculis tamen objectam suis rem opidò admirandam tacitus præteriit, atque jumento perinde ac si huic mentem natura dedisset, facti sui rationem reddere instituit. Talis vecordia Scribarum fuit, qui restitutum cæco homini visum quum negare non possent, de sabbato & luto quæstionem moverunt. Hæc si disciplinam amas, ad profectum tuum dicta cape; sin contendere & disceptare magis placet, ad tuam correctionem dicenda fuerunt; vel ad confusionem, si frontem exuisti. Interim tamen carnem tuam repete, explora, ejusque erubesce sinus, sordium conceptacula: si arcana scrutari libet, ejusmodi cloacas tibi relictas puta, velut insanæ libidinis fræna.

Quoniam verò phantasiæ sua sæpe Diabolus objicit spectra, disceptari posset, quomodo, si nobis ille affinis non est, ipsi tamen extraneum non sit habere motus, & irreptiones nostris imaginationibus cognatas, imo & menti atque rationi, quæ utique pars nostri sublimis & nobilissima est. Quod si Dæmon noster inimicus ratione præditus non est, quomodo ratiocinationibus & argumentis mentem nostram implicat & fallit? Oro te, Domine, cujuslibet naturæ repertor & rector, cujus substantia cuilibet menti recondita latet, prohibe malum, ne naturam tuam rebus à te

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A te factis ſimilem mihi fingam. Si quis autem alius quiſpiam ipſum hoc molitur ad illaqueandas mentes, temerè in hæc retia incurrentes, Evangelium, ſpeculum videlicet admirabile proponitur, in iſto divinæ Perſonæ tres in una conſiſtentes natura ſine ambiguitate diſcernuntur, uti ſine diſceptatione illarum nomine Baptiſmus ab Apoſtolis celebrari conſuevit. B Iterum obſecro, Domine, ne committas, ut veſtigatio tua Baptiſmum meum inutilem mihi reddat: non enim deſunt, qui captioſis quæſtionibus ſuſcepti Baptiſmi vim effectumque ſibi abſtulerunt. Cæterum ſi qui nova imbuti diſciplina, innovatos ſe eſſe credunt, novo perinde Baptiſmo ſe indigere intelligant: quòd ſi Baptiſmum iterare recuſant, ſatis declarant, nihil novi ſibi compertum eſſe, indeque ſtatuiſſe ſibi C in priſtina ſententia perſiſtendum.

SERMO XLII.

QUis ille qui arcana divina cogitatione concluſit, clauſo velut ſtagno tumentes pelagi fluctus? Atqui ſi menti laboranti diſceptare moleſtum eſt, an non grave magis ſit, aciem intendere in ſcopum luce præditum vehementiſſima? D Nemo profectò ægris incumbentem ſenſibus ferre poteſt vim illius Numinis, cujus generationis ordo indagantium ſagacitatem prætervolat, Spiritum videre noſtris non congruit pupillis, nec ejus ſpeciem intueri datur. Quid ergo? cenſen', illum a quopiam diſceptando apprehendendum, qui a tota rerum univerſitate omninò ſecretus, a nobis remotiſſimus eſt. Audiſtin' homi- E nem, admoto prunis ardentibus ore, ignis exploraſſe ſaporem, aut ejus fulgorem primoribus labiis guſtaſſe? Diſce, fili, ignis quidem calorem guſtu minime diſcerni, vim tamen ſentiri in præparatione ciborum, & hinc atque ex aliis ejus effectis conſtare, quam opidò commodus ſit nobis ignis, & utilis. Qualem vides ignem, talem quadamtenus Divinitatem imaginare; quare ſi hanc pernoſcere cupis, eam F in ſuis benefactis doniſque conſidera: ſecus durum tibi, multique laboris opus moliris, ſi quidem ipſam in ſeipſa perſcrutari obſtinas.

Sol poſitam in ſpeculari vaſe aquam verberans, fervidum, quod mireris, generat in frigido elemento ignem, ſobolem ſibi ſimilem, fœtus, ut vides, ſine ſciſſione excluditur, Solis radius non opacatur aquis, & iſtæ minime finduntur, partus purus eſt & ſine labe editus. Aurum plane unum eſt, flos trinus,

trinus, unus lapis, trinus eſt ignis in ſe uno continens calorem & lucem, & fluens a luce jubar, tres ſunt & una res, in unam coëuntes naturam. Plura noſtris parallela myſteriis creaturæ repræſentant; quare, ſepoſitis contentionibus, qualem obſervavimus in pleriſque rebus adumbratum, hunc Deum diſce trinum. Nec enim in divinis Perſonis hunc nos ordinem, numerumve noſtro arbitratu inſtituimus; earum natura, qualem deſcripſimus trinam, talis eſt, nec rationem aſſequimur, cur talis ſit, qualis verè eſt: iſtuc autem inquirere ineptum eſt. Quis neget, trinum eſſe ignem, quando id affirmantibus nemo diſſentit, aut litem movet, ſed bene & verè dictum omnes approbant? Rurſus miraris ignem per aquas meantem, conceptum in Sole, intraque ſolares radios reconditum, iterum ſtupes uterum unde funditur, inſcrutabilem; nec verò ſine cauſa ſtupes, miraculum certè eſt mirabilis elementi generatio, quod tibi diſputare volenti ſilentium imperat, fugitque cogitantem: omnem nimirum mentis perſpicacitatem præterfluit.

Si pomum nunquam guſtaſti, etſi tactu, & odoratu, viſuque explores, de ejus natura adhuc dubius hæres, & quandiu tibi tuo palato ſaporem experiri negatur, experto credis narranti. Quandoquidem ergo Numen illud arcanum tuam ſuperat intelligentiam, utique adhibere fidem oportet illi fructui, in quo nobis ejus virtus & vis plurimis patuit experimentis. Habes item frumenti granum, ſectum diligenter examina, ſique potis es cognoſcere, deſigna ſinus, in quibus occulitur radix, ſeges, & ſpica; hæc namque tria in ſemine, ſuis abſoluta numeris, conduntur: rurſus ediſſere, utrum utro origine & prima ſua conditione aut poſterius, aut prius, & antiquius fuerit. Quumque aliquando exiſtere cœperint, hoc tempus definire tibi quàm difficile! intra ipſa nimirum & ab ipſis res iſta tranſigitur.

Et quia parallelum deficit, nec perfectè rem explicat, adjice demeſſum triticum tritumque purgari, ut ad noſtrum veniat uſum. Si quis adhuc reponat, comparationem nec integrè nec uſquequaque argumento reſpondere; tu, qui ſapis, imaginare vaginam eſſe corpus, frugem mentem, & ſpicam eſſe animam, ſic parallela congruere intelliges. Cogita hanc eſſe parallelorum naturam, ut extrema aliquatenus diſcrepent, alioquin non ſimilia dicerentur, ſed eadem, nec typus ab archetypo cerneretur. Lucem permeantem retia

[illegible]

A retia umbrę aliquę ſequantur oportet. Certè Salvator ad noſtrum profectum grano frumenti regnum Cælorum comparavit.

Exempla & parabolæ nec integre, nec planè rem explicant, comparationes & ſimilitudines laborant, nec propoſitum aſſequuntur. Ideo autem in humili ſpecie paſſim ſubſiſtunt, quò elata & ſuperba ingenia caſtigent; nam ſi divinarum rerum imagines non apprehendunt, quorſum inſaniunt, & ſummam majeſtatis arcem B invadere pertentant? Altiores nebulis ſunt nubes, & utriſque Cælum, & his ſupereminent ſuperiores Orbes. Quæ ſuſpectas editiſſima montium juga, excelſa non ſunt, nobis talia videntur infimo in Orbe morantibus: hujuſmodi imaginare parabolas eſſe, in quantamlibet altitudinem ſurgere videantur, & quam proximè ad cæ- C leſtes ideas accedere, tandem comperies, eas ab iſtis in multis declinatas.

[illegible]

SERMO XLIII.

[illegible]

AGedum, propoſitaque puſilli ovi comparatione Scrutatorum proterviam refellito. Hujus in albumine reconditur forma triplex: hìc porrò urge, ut deſignet in tantillo liquore pulli caput, pedes D alas, ac ſi iſthæc minima ſcrutantem ovi candidum mergit & obruit, inſta ſcitando, quid illud, quòd ima pelagi vada ſubire cogitat ipſe, nec timeat inde naufragium? Quin ergo Magnum illum prædicamus, qui circa iſthæc minima ab ipſo facta attonitas hominum mentes hærere cogit? Nudatum vides frumenti granum, ſuum tamen intra ſe geſtat amiculum. Jam E iſtud ſuo deglubitum folliculo ſepelivimus, negata funeris pompa, mox ſplendidè ac magnificè ornatum reviſimus. Animadvertin' mutum cadaver intra ſuam humum reptaſſe, inde, mutata vice, hanc ab ipſo contectam, ut apparatus præſens præteritæ nuditatis ignominiam obliteraſſe videatur; hujus ſcilicet honoris coronâ frumenti granum quaſi ſponſam natura decorat. Dum autem in ſegete granum conditum latet, F ipſius naturam indagantes fatigat, aſpicientibus admirationem movet, neutris ſeu diſquirentibus, ſeu tractare volentibus obvium eſt; proſtat tamen oculis præſens, nec ideo apparet: argumentum utriſque miniſtrat, quo rerum divinarum Scrutatores revincant, doceantque petulantiam dediſcere. Audin' mutum granum, erubeſcite, clamat, clariſſimam lucem, qui in tenebris licentiæ fræna laxare ſoletis.

Alterum adhuc tibi planta quævis explicat

plicat ſymbolum, tria ſtirps omnis intra ſe condit, quæ Scrutantis aciem fugiant; tria ibi unum ſunt, unumque tria: quis autem intimos ejus ſinus penetravit, diſtinxitque primum, radices, dein ex his erupturum germen, atque demum frondes & folia? iſtæc enim omnia hìc permiſta confunduntur. Sic verus Deus ne, quam ſibi condidit, Eccleſia diſcordiæ fieret ædes, & in ſectam diſſidentium degeneraret, idem ipſe ſe delineavit, quiſve & qualis ipſe ſit illam edocuit; ille namque ſolus ſua nobis arcana enarrare poteſt, quum nemini præter ipſum nota ſit quæſtio, quomodo, quiſve ipſe ſit; hujuſque myſterii notiones in Prophetarum atque Apoſtolorum oraculis literiſque declaravit. Quiſquis ergo illius ſecreta ſcrutatur, ipſe ſuam mentem diſceptando implicat; diſputat, ne illum cognoſcat, quærit, ne ipſum inveniat, quæ tenet, amittit, quæve non habet, reperit. Sic autem illum intelliget, modò non ſcrutetur, ut intelligat. Tu verò, qui illum credidiſti, ipſum tu etiam cognoviſti.

Alterutrum tibi declinandum delibera, & quidem, ſi ille verax eſt, dictis ejus adhibeto fidem, & ſcrutari abſiſtito; ſive te ipſe ſeduxit; errorem quis corrigat? errantem quis revocet? cogeris utrinque, eum vera locutum credere. Quid? quod turpe eſt & infandum appellare Deum deceptorem: alioquin quo pacto tibi perſuaſum ſit, ab illo veram diſciplinam literis conſignatam, tibique traditam fuiſſe? Rurſum ſi nos ille decepit, quia invidus, quis dolum advertit? aut revelare potuit, quæ ille velata manere volebat? Plana ubique via ejus, ſemita recta data parvulis, diſceptantibus in anfractum a ſe ipſa deflexit. Veritas congregat, diſgregat error: in trivium incidentes parvuli, hæſerunt animo varii; occurrebat via ſuperior plena laboris, inferior altera, ardua & crebris aſperata offendiculis. Tu tibi mediam eligito, hàc ſimpliciter incedito, hìc Patrem & Filium citra contentiones prædicato. Si devios tramites quæſtionibus perſonare audias, viæ, quam cepiſti, remotis diſceptationibus, candidè purèque inſiſtito. Vide, ne Patrem & Filium & adorandum Spiritum diſquiras. Siccine etiam deſipis, ut audeas modò ad inepta parallela naturam prorſus incomprehenſam deducere? Ab his ergo nugis ad pium ſilentium te ipſe recipito; enimverò quiſquis illam ſcrutari cogitat, ſuis ipſe ſe quæſtionibus peſſundat.

SER-

A B C D E F [illegible]

A

[illegible]

SERMO XLIV.

QUid & cujuſmodi ſit Deus, te docebunt, quæ ipſe ſibi aſcivit nomina, inde diſces, Deum eſſe mentem ſolutam, per ſe exiſtentem, rerum Parentem mundique Opificem, ingenua ſuæ naturæ virtute bonum & beneficum, juſtumque ſcelerum vindicem; tum etiam intel- B liges eſſe Patrem, ſimilemque ſibi Prolem progenerandi facultate præditum. Aurum iſtud ſacrarum literarum ignis examinat & probat. Quid habet ſtultus, quod garriat contra? Heus tu, qui tantum audes, vide, ut Dei nomina & rationes intra ejus caminos explores. Interim te, Domine, laudare pergant quicumque diſceptantium ſtrophas peroſi, ſimplici mente te confi- C tentur Deum.

Nomina Deus habet abſoluta & propria, habet etiam accommodata ac minime fixa, quæ ipſe ex incidente cauſa aſſumit, eaque ceſſante, continuò deponit; ut puta, quòd inducitur, modò facta damnaſſe propria, modò aliena ab ejus memoria defluxiſſe, tum denuò fuiſſe reſumta & recognita; quamobrem uti Deum juſtum & bonum eſſe diffiteri non D potes; ſic fateri debes, ipſum eſſe Genitorem, omniumque rerum Repertorem & Conſtitutorem. Vide, ut religioſè obſerves ejus nomina propria & rata, nam ſi vel unum abjicias, reliqua omnia tibi delabentur, & excident; nectitur nempe aliud ex alio, atque in unum collecta, portant Univerſum. Orbis noſtri columnas rectè dicis ignem, aërem & aquam, unum E iſtorum ſi ſubtraxeris, terra ad nihilum unde prodiit, recidet & occidet.

Divina nomina retexunt Judæi, nec tamen in longa nomenclationum vocabulorumque ſerie ſalutem invenire potuerunt, nimirum unum ex eo numero nomen repudiavêre, ideo etiamſi plurima retinuerunt, meritò repudiati ſunt. Porrò nomina, quæ ille populus rejecit, eadem ipſa ſunt, quæ gentes, effuſo ſinu, exce- F pêrunt, ipſiſque ſuum Baptiſmum conſecrarunt. Faceſſat itaque quiſquis ea abrogare molitur, quæ, velut foſſa & vallo ſeptos nos ab illo populo dividunt. Una modò cauſa illum populum diſperſit, quam ſi quis auferat, Jeroſolymam reſtituet: nec enim excidêre Judæi, quòd rerum divinarum arcana ſcrutari voluerunt, ſed quòd in Filium non crediderunt: examina culpam, ob quam Jeroſolyma ſubverſa eſt, & intelliges, Judæis eouſque hæſu-

hæſuram, donec a nobis diffidere abſiſtant.

At vos protervi Scrutatores iſtorum ruinâ moniti increpitique, reſipiſcite aliquando; diſcite rerum naturas penitùs cognoſcere nemini fuiſſe conceſſum: videtis utique in uno aquæ elemento quaternas recondi rationes, alias rurſus naturas ſimplices, atque alias duplices ac triplices, ſubſtantias ſcilicet duabus vel tribus præditas formis: quod ſi hujus ordinis rebus perſpiciendis apto ingenii acumine præſtare vos creditis, omnino ſanè deſipitis, ſi ſimilem perſpicacitatem vobis arrogatis ad introſpiciendum Domini totius naturæ arcanum: alioquin proferte ſi quem habetis, qui ejus æternam exiſtentiam aſſecutus fuerit, aut Filii ejus generationem inveſtigaverit, aut utriuſque excellentiam perſpexerit; aut prodiderit, qui & cujuſmodi ambo ſint. Animadvertitis tandem Deum quibuſlibet mentibus, & ubique occultum & inſcrutabilem eſſe: & ſi non ipſe ſe manifeſtare velit, perfectam ejus notitiam a creaturis incaſſum depoſtulari.

Quoniam verò ille ſuam ad te deduxit majeſtatem, tibique Filii ſui arcanum propalavit, ohe ſtultus es, ſi hunc tibi manifeſtum non adoras, & ingratus es, ſi communicatæ notitiæ beneficium non agnoſcis tanto dignatus honore. Crede dicenti, neve audeas ipſi litem circa dicta intendere, & ad hanc dirimendam judices appellare: minor es, quàm ut deſignare queas originem rationeſque naturę nunquam non exiſtentis & infinitæ, cujus proinde oſtium ſilentium obſignat, atque diſertiſſimum quemque infantem facit. Sic olim populus de illo diſceptabat ſcitando: *Quis eſt hic, & cujuſnam filius?* & qualis fuit aut futurus eſt ejus adventus. Virginis partus ſenioribus & ſcribis incredibilis viſus eſt, repudiarunt Chriſtum præſentem, ut Chriſtum, qui nec extabat, nec unquam extiterat, ipſi ſibi parerent, monſtrum ſcilicet proprii capitis fœtum. Quin ergo tuam cohibes mentem, & deinceps mœchari prohibes, ſpurium tibi parituram Chriſtum, legitimum ablaturam. Cave, ne temerè inveſtigando tibi ſimulacra conflare aſſueſcas, indeque futiles capitis tui conjecturas animo tuo perſuadeas, vel informes tuarum ratiocinationum imagines cordi tuo tranſmittas: datoque operam, ut verum Dei Filium tua tibi memoria repræſentet. Scortum eſt vanum diſceptandi ſtudium, omniaque promiſcuè diſquirendi cupido meretrix eſt, mœchatur, diſceptando concipit, & parit nobis Chriſtum, imo fictam Chriſti obtrudit imaginem, meramque pro Filio Dei fabulam, ut a vera religione

Matth. 21. v. 10.

[illegible]

A gione abstractos Ethnicis per omnia similes effingat. Capitis sui commentum expectant Judæi, Gentes vana superstitione imbutæ, Sapientum suorum ariolationes observant & venerantur.

Diabolus caveas deseruit suas; atque suos jussit per deserta loca vagari; postquam animadvertit, ad suum votum foveas & laqueos minus succedere, magis autem campos ad concertationes prurientibus placituros: sic a B vera disciplina deductus quisque, post superatas viarum salebras, mox superinductis quæstionibus, velut objectis in transitu vorticibus haustus, periit; quòd si inde illum extrahere contendis, cogita, ipsum in animo id versare unum, ut te accedentem complexus, secum præcipitem trahat; ipse quippè fortunæ melioris spe abjecta, ibi manere deliberavit.

[illegible]

C

SERMO XLV.

Mens & oculus se mutuò respectant, alter alteri fœneratur lucem. Si quod corpus vel exiguum invadat oculum, commovet & perturbat, idem ipsum menti accidit. Lucernam & codicem habes, illius lux oculum delectat, veritas hujus mentem. Lucernam igitur oculis quærito, codices menti. Mirum quantum abhorret D oculus impressionem incidentis cujusvis corporis: cura indaga veri nostram sic sæpe mentem discruciat. Et sane si oculo permolestum est, sua decuti sede, quantò infestior animo ea cura videatur, quæ si semel invaserit, necesse est, cuncta perire bona. At si oculum non juvat digitus scabens, nec enimverò animum inflammans disceptandi cupido.

E Deum esse Genitorem credibile est magis, quam ingenitum esse, & principio carere. Si a se existentem, ab alio existere dicas, ipse tecum pugnas, at existentem progenerasse sibi similem prolem, nec inverisimile nec absonum est; quandoquidem nec difficile est cogitare, rem ex re fluxisse; at difficillimum est credere, substantiam aliquam ab omni æternitate fuisse, suique auctorem nullum habere F extra se, quæ autem extra illam, ab ipsa sustineri, ejusque numine plena esse; quumque nihil non impleat, cuncta tamen præterfluere. Nam si loco circumscriptam dicis, ejus amplitudini derogas, naturam fingens ipsâ ampliorem: quidquid enim loco continetur, finitum est, substantia autem ex se existens infinita est, & in amplitudinem porrigitur incomprehensam. Atqui si tota non capitur loco, nec ejus partem capit mens.

Rursus si illa locum, quem suâ perspicacitate penetrat, suâ præsentiâ non occupet, ejus substantiam nihil non præcellentem minorem fingis ipsius scientiâ perspiciente omnia, ejusque proinde naturam duabus componis partibus, quarum altera alteri minime respondet; nec enim parvum & magnum sibi mutuò congruere possunt. Præterquamquod inde consequitur ab eo, quem credis scientem omnia, ignorari illas, quas fingis per immensa ea spatia vagari, substantias ingenitas, infinitas ac totidem mundos, & quæ hos constituunt, creaturas. Animadvertant in quales errorum anfractus trahantur insani Scrutatores, ut tandem aliquando statuant nobiscum sentire, faterique, unum esse per sese summum bonum, ac similem sibi generare Prolem, idemque semper integrum, semper totum, semper aptum sibique sufficiens.

Enimverò si talis non esset Deus, sed qualem fingis locorum regione circumscriptum, ipse naturæ suæ magnitudinem minime æquaret; & si sibi similem Prolem generandi facultate careret, ejus fœcunditas nec plena, nec cumulata foret; & si nihil posset creare, imbecillus diceretur. Atqui ille totus usquequaque summus est, ut eo nihil perfectius excogitari possit; generat ergo nec mutatur, creat nec laborat, sine sede sedet, & sine divitiis dives est. Ineptè fingis locum, qui illum ambiat & claudat, & falleris, si putas, mentem non infinitam potin esse ipsum inspiciendo explorare, aut assequi cogitando: magnam credis ejus essentiam, talem esse puta ejus fœcunditatem: quemadmodum ergo nec locus nec animus ejus exæquat essentiam; sic neque cogitatio eò assurgere potest, unde liceat ejus fœcunditatem cognoscere.

Vero quidem verius est, res omnes a Deo conditas fuisse, at idem etiam explicatu difficillimum, quomodo Mundus, quum non esset, è nihilo creverit, nec tu id fieri potuisse ante factum demonstrare potuisses: quum igitur ratio locum designare non possit, in quo mens conquiescat, sibique planè persuadeat, hoc non illo modo rem fuisse transactam, acquiescito fidei, eâ deducente, quæ petis summa, tenebis. Enimverò quum ejus arcani difficultatem eluctari non possis, aliam utique debes inire viam, in qua, petitis aliunde argumentis, animo tuo quietem adstruas. Idque facile assequêris, si cogites, omnium rerum Domino nihil esse difficile; ipsam, quæ te ab investigando ordine rerum creatarum cohibuit, rationem præ oculis sic habeto, ut excitatam de divina generatione quæstionem, silentio dirimendam statuas. SER-

A

SERMO XLVI.

INcrepiti discite protervi, vestras cohibere curas: pisces sui fluminis ripas radunt, nunquam præterlabuntur; nos contra pervestigandi studio abrepti, fixos salutis terminos prætererbitavimus. Evangelii Spiritus nos vehit, vehunt aquæ pisces, divinæ scripturæ sapientes: B intra istas salus conditur, extra imminet certum exitium. Quisquis, fili, locum aëre vacuum quærit, vitam odit; vivere non potest, cui spiritus, quo cuncta vivunt, præcluditur. Admonemur à simili: non licere aditus pertentare a nostra intelligentia remotos: Spiritus, qui te animat, trinus & unus est, ac si te ab illo disceptandi libido in devios anfractus C abstraxerit, verendum est, ne inde exspirans halitus inopinum rapiat, & frustra clamitantem interimat.

Fatuus quidam nostram stomachatus disciplinam, undenam, aiebat, Deo accidit habere Filium? nam si Deus verus idem & Pater est, talem fecit vel voluntas vel necessitas: si voluntas, quem generavit, Deus non est; si necessitas, vim passus est liber suique arbiter De- D us. Ohe malignus es, cui livent oculi, quòd videant fœcunditate gaudere Bonum: scilicet Deo invides, quia invidus non est. Quin ista facessis, & curas, quod idem à te jure reposcit? petit Pater, ut Filium ab ipso promanare credas, quo istuc approbat, ipse suum tuetur nomen, ut res vocabulo respondeat, secus improbando, idem cum suo nomine E pugnaret, Filiique proinde nomen nec proprium nec ratum foret. Apage talia, Patris nomen divina fide tenemus, & Filii vocabulum non fictum, non ascititium est, sed verum & proprium, testatur hoc Pater. Age nunc vera esse fatere quæ audis, quid etiam hæres, illo clamante, teque ad ista credenda ciente? Cogita divinam fidem hìc pro dictorum veritate oppositam pignori.

F Thamar cogitans, quam difficile foret objectum sibi crimen diluere, quo se innocentem probaret, testes assumsit res dudum à Juda pignori ob incestum oppositas, hisque instructa documentis, ad causam dicendam accessit. Muti testes ei causam egregiè perorarunt. Jam quid agas ipse in tua causa, ex præsenti facto disce. Delatus apud Patrem, hujus testimonium in codice scriptum penes te habes, non enim alius quispiam, ipsemet nimirum clamavit

quæ audis. Porrò ne qua tibi ambigendi ratio maneret, Mosi & Eliæ silentium indictum fuit, quin & ille, qui eum in flumine lavit perinde ac si illum ignoraret, cessit locum Patri, ut quod verum erat, de illo testaretur. Cæterum si fidem huic testimonio præstitam tibi verterit in crimen, idem qui dedit, sua ipsi verba repone, eo clamore divisit Cælum, & litem diremit.

Porrò si quis hujusmodi testimonium refellere tentet, contraque objiciat: homines pariter filios a Deo fuisse appellatos, refellentem refellet idem, qui docuit ex humo hominem fuisse decerptum, indicavitque servilem esse Angelorum conditionem: Filium autem ex se genitum disertè proclamavit Filium suum, suumque pariter Spiritum, Spiritum sanctum nuncupavit; sic ille omnia discrevit, detersâque omni ambiguitate in nostro corde reposuit. Prudens autem mortales homines filios appellavit suos, quando ipsorum corpora planè arguebant, unde eorum natura prodiisset. Filios, inquam, appellavit, quò sciremus, nos Angelis fuisse sociatos. Quum autem istorum natura nostram præcelleret, nusquam disertè filii Dei dicuntur; impropriam quippè appellationem propriæ naturæ excellentia ambiguam fecisset.

Terrenum dicito Adamum, dictum nemo damnat; Gabrielem perinde cælitem appella, modò trium naturam tacitus prætereas: si quis scitetur, perscriptum tibi memento: ad cognoscendas naturas summas infimas esse duces, nusquam tamen tibi commissum trium perscrutari substantiam. Quum ipse mente minime valeas, arbitrii, qua polles potestate, tibi ipse vim acito, conversoque ab inutili disquisitione studio, sequere Deum: quæ ille te docet, cave examines, utrùm probanda sint, quamquam ex tua approbatione nihil illi accedit, ut amplè & magnificè illius dicta laudaveris. Quum autem dicenti plenam te fidem habere protestatus fueris, simul ejus benignitatem adora, quòd dictorum suorum auctoritatem ad terrenas aures deduxerit: obstupesce Deum eò usque luto indulsisse, ut illud suo animaret flatu, concessâque arbitrii potestate cælitibus æquaret: & insuper dilectum Filium suum pro illo tradiderit, statueritque sui in ipsum amoris testem. At verò luto fictus eodem homo, quando eum sui Conditoris suspicere bonitatem oportebat, quòd ipsum ad tantam gloriam provexisset (quamquam & hoc ipsum admirari, & silere, quota pars officii fuisset) quæstionum suarum ineptiis, Opificem suum summo honore dignum, vilem reddidit. Pluri-

[illegible]

Plurimi dicti ſunt Dii, unus eſt omnium Deus: ſunt multi patres, unus eſt verus Pater, & multi ſpiritus, unus eſt vitæ auctor Spiritus: Filii Patriſque nomina ſunt aſcititia, quæ nobis ſingulari Dei benignitate communicata ſimul nos docent, unum eſſe verum Patrem, Filiumque ab ipſo genitum perinde verum & unum.

SERMO XLVII.

[illegible]

ARtificum opificia, Doctorum ſyntagmata, Aratorum Textorumque juga, & Seplaſiariorum compoſitiones, Aurificum torques & monilia, Arithmeticorum calculi, & ſupputationes ſunt humani ingenii inventa, Geometrarum item gnomones, & libellæ, agrorum dimenſiones & librationes aquarum: atque horum quidem examen peritis difficile non eſt, difficillimum indoctis & idiotis. Quid nunc? ſi indocti doctorum judices idonei non ſunt, quamvis anguſto ab iſtis dirimantur freto ob doctrinæ prærogativam, quem, cenſes, tenebunt locum ſapientes quique, ſapientiſſimo rerum Architecto compoſiti? ſed & o quantum deſipere eos oportet, qui ſua ſe credunt perſpicacitate aſſecuturos ſummi Conditoris naturam & fœcunditatem!

Nemo ſanè non miretur talium homuncionum ſtultitiam: ſi cogitet qualem nacti ſunt mentem, bardam videlicet & infirmam, adeo ut nec ſuis potuerint ſymbolis adumbrare pulchritudinem ejus, qui verè pulcher eſt, aut ejus explicare fœcunditatem, qui certè ſterilis non eſt, ambæ profectò Scrutatores attonitos reliquerunt. Et verò ſi longa indagine ad rerum conditarum cubilia pervenire non licuit, quam procul ab adytis ſupremi Numinis rejectos putas ejuſdem Scrutatores? Noſtra intra rerum nobis præſentium breviſſimum orbem mora ſatis oſtendit, humanæ mentis aciem incaſſum conari, dum ſe porrigere contendit ad Unigeniti originem, cujus Genitor ubique & ſupra omnia reconditus latet. Nemo itaque illam attinget, nec enim poteſt, quantumlibet mentem intelligentiamque ſuam explicet, nec ejus locum inveniet, nec amplitudinem comprehendet; ergo, mutata velificatione, contemplare Mundi ordinem & pulchritudinem, & obſtupeſce: Conditoris autem naturam omnium præſtantiſſimam excellentiſſimamque inveſtigare abſiſtito.

Ah video, inanis gloriæ cupido iſtiuſmodi pruritum accendit tibi, homo materiâ cretus viliſſimá, & opido quàm miſerâ,

ſerâ, quin intueris tuam in acie ignominiam; hanc ſcilicet tuus tibi adverſarius improperat, tuque tibi objicere debuiſti. Facile deprehendes, contentionis cauſam eſſe ſuperbiam, modò tibi Prophetarum, ac Juſtorum, & Apoſtolorum modeſtiam proponas: Hi certe arcanorum vitioſam diſquiſitionem fugerunt. Quid autem? Num illos deterruit inſcitia. Si id cogitas, impudentem pudefaciet Moſes; is nempe in literis eruditus totam Ægyptiorum ſapientiam exhauſit: quamquam Divina ſcribere orſus, profanam abjecit literaturam, & ſimplici ſtylo, & vulgari ſermone vera, quæ didicerat, literis mandavit.

Simili Daniel inſtitutus diſciplina, eam Babylone ſapientiam adeptus eſt, cui pares non habuit urbs regia, quos opponeret adverſarios. Convenere Sapientes Chaldæi bene multi, conticuere victi, conſtititque palam, iſtos in nullo literarum genere ei eſſe comparabiles. Cæterum doctus ipſe ad Myſteriorum theſaurum nullum alijs patere aditum, niſi ſuppliciter petentibus, petiit, & clavem interpretationum accepit. Nemo inter Juſtos majori ſciendi cupiditate flagravit, poſtquam verò intellexit, divina, quæ quærebat reſponſa, abdita eſſe & obſignata, ſilentio os ipſe ſuum obſignavit, ne quid ultra requireret: quamquam poſtea popularium ſuorum precibus victus, curam, quam depoſuerat, reſumſit, diſcretè tamen & modeſtè, quocircà propriæ conditionis memor, homo humana exquiſivit, divina maluit revereri, quàm diſcutere.

At verò homo lutum propriæ concretionis immemor, ima reliquit, ſumma ſibi indaganda arripuit; ſed ſi originis ſuæ ignarus eſt, qua ſpe quove exitu alienam perſequitur? Næ ille ſuæ conditionis limites præterlapſus eſt, indeque vanæ curioſitati fræna laxavit. Attendat igitur merumque digerat, ac ſe mortalem eſſe demum agnoſcat, tum verò intelliget, quàm opidò utile ſibi ſit ſilentium, intraque ſuæ conditionis limites ſubſiſtere.

Danielem iterum contemplare: Vir divino Spiritu plenus, Angelos de rebus fere obviis ſimpliciter interrogat: homines autem nec mentis compotes ſuæ Myſteria inprimis arcana & abſtruſa diſquirunt, atque de his inter ſe diſceptantes, ſe mutuo ſciſcitantur, & docent. Sed & Moſes pectus habens mente divina confertum, rerum geſtarum inſuper fama clarus timide percontatur Deum de ſuo nomine tetragrammato יהוה: Nos vero ſtipites Moſi utique nullatenus comparabiles, nec dubitamus adhuc ſecretiora ejus adyta ſcru-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A ſcrutando pervadere. Altiore profectò quàm Scrutatores mente præditus Apoſtolus, Urbem Græcorum matrem aliquando ingreſſus, Græcis Græcanicæ ſapientiæ ſcita produxit, ſe iſta minime ignorare docens, poſtquam autem victi victori arma ceſſerunt, veritatem coram expoſuit; at illi porrectam medicinam, nauſeante velut ſtomacho, repulerunt, faſtidium peperit morbus diſceptandi inveteratus, quo tùm etiam laborabant.

B Hic modò tantiſper ſiſtito Contentioſorum pugnam ſpectaturus, accidit rem neſcio quam, ipſis in Gymnaſio garrientibus offerri, cujus qualitates oculis alioquin expoſitas, quum diſcernere adhuc nequiverint, modò, uti vides, inter ſe contendunt, pugnant & vociferantur; ſic inepti diſceptatores rei patentis & conſpicuæ indagine fatigati ſuccubuerunt. Homines jamverò tales C qua rate putas, divinorum arcanorum pelagus trajecturos? At perge porrò, & ſicubi offendas hominum conventum ſummam pacem, ſummam concordiam habere, illuc quæſtionem quampiam introducito, aſſidenſque coram, quaſi ſpectator otioſus opperire exitum. Eccum repente, mutatâ rerum facie, cernes modeſtos efferveſcere ſtomacho, efferari, & furere; pacis modò amantes tumultuare, nec modò perturbari ani- D mo, ſed & ſocios ad contentiones & pugnas concitare. Quod ſi contingat illic quempiam diſceptantium in conflictu victum ſuccumbere, audies ſtatim occlamitare ſimul omnes, & vociferari. Diſceptandi libido ſuo plurimos fumo occæcavit.

[illegible]

SERMO XLVIII.

E TUum, Domine, peto auxilium: Dilecto tuo ſenſus pande meos; ipſe namque ſolus potis eſt, digna te de te narrare. Quiſquis (niſi ab illo doctus fuerit, quis ipſe ſis) te ſibi inventum perſuaſit, vehementer fallitur. Cunctis recte credentibus tria nomina impreſſa ſunt, quæ tamen nemo inveſtigare, nemo aliquando aſſequi potuit. Noſtris, oro, Domine, mentibus præpandito lumen, quo præeun- F te populus noſter, amotis diffidiis, tibi laudem tribuat & gratiam. Ut omnia noſtra nobis detur diſcutere & comprehendere, certè Numen, cui cuncta parent, ignotum nobis uſque manebit. Profectò ſi ſacrum ignem haberemus, quo identidem naſcentes controverſias uti metalla nobis explorare liceret, verſuta iſthæc ingenia ſuis nos nunquam ludificarent ſtrophis. Mens & ratio noſtra imperitam manum aſſimilat, ad exarandas literas ineptiſſima eſt, niſi

niſi priùs artem a Magiſtro didicerit. Nunc verò plurimi rationis ductum deſerentes, paſſim errant, nec tamen ſe errare animadvertunt, quia, ut modo ajebam, illo igne caremus, quo omnia examinare deberemus. Hujuſmodi certe habito examine, ex noſtris & in noſtris intelligeremus, unum eſſe Deum, noſque ipſos pernoſceremus. Interea dum res noſtra in hiſce verſatur anguſtiis, noſtram conditionem a Dei nunciis addiſcamus; hanc illi nobis propoſitâ oculi comparatione declarant, qui quum nequeat actus ſuos explicare, ut puta colores diſcernere, inditæ facultati ſupplementum a lumine mutuatur; hoc itaque præſidio quum indigeremus, Deus lucem nobis providit, Codicem adhuc deſiderabamus, hunc etiam nobis conſcripſit, lucem miniſtravit, ut conſpicua cerneremus, Codicem, ut abdita diſceremus; idque ordinatiſſime præſtitit, ut primùm per objectas rerum cæleſtium ſpecies nos erudiret, deinde per legem; ejus itaque lux & lex lucernam nobis inſtruxit, quæ vocali lumine doceret, legis deducente lumine, certum ad veritatem ſperare aditum: Naturam præterea habemus ducem ac magiſtram. Quiſquis hanc diſciplinam non deſerit, juxta captum ac ſtudium eruditur; rejicitur inter ineruditos & indoctos quiſquis illam neglexit. Compara rationes amborum, & aſſentire dicenti, hujuſmodi notæ homines, ex quo animum ad diſcendum appellere recuſant, meritò cenſeri ſua voluntate ſeductos errare.

Ruſticum hominem ac rudem accuſare iniquum eſt, ſi tabulam pingere, aut fingere ſtatuam rogatus, recuſet. Atqui jure ac merito argues recuſantem, ſi artem diſcere juſſus, contemſit. Hoc ex capite reus quiſque juſtè plectitur, non item ex illo, nam qui culpæ argui non potuit, abſolvi debet; quamquam nec ex eo capite, ex quo ſuam innocentiam probabat, abſolvendus fuit, qui in ipſo eodem capite ſe culpâ plenè purgare non potuit. Ades, piſcem tenes, ſuis reddito aquis, ſinito, ut quò tulit impetus, feratur; nempe pro te ille dimicat, dumque proprio labore ſua damna petit, ignarus te coronat. In hoc parallelo inſpice ineptum Scrutatorem, & quemvis a recta diſciplina errantem, ſuis utrumque confoſſum telis: diſce ridendam amborum ſtultitiam, piſci ſimiles ſunt, qui hamo, quem traxit, trahitur & capitur. Piſcis, cui per freta vagari modò conceſſiſti, Mare proprium ſui generis domicilium faſtidiens, quòd ejus fundum non cerneret, cogitavit

A * [Syriac text illegible]

B [Syriac text illegible]

C [Syriac text illegible]

D [Syriac text illegible]

E [Syriac text illegible]

F [Syriac text illegible]

[illegible]

vit in vicinum aërem involare, inde Cælum exploraturus; scilicet in regione non suâ se vitâ etiam molliore potiturum sperabat, hujusmodi spe inflatus, hàc illàc discursare cœpit, seseque identidem toto corpore in altum vibrare, insultare aëri vicino. Ecce autem emissus turbo, inopinum corripit, frustràque reluctantem repellit, rejicit in suas aquas, ac mergit: stolidum animal utpotè in aquis procreatum credidit, simile ubique se nacturum domicilium, etsi a natali flumine moneretur, ne peregrina cubilia quæreret, neve piscis addictus aquis, thalamos ac gynæcea appeteret. Similem hìc relege locorum distantiam, nos a superis dividere, nec minus nostras disceptationes ab illis diffidere, proinde nec altiora petenda, si forte detur inde naturas illorum ac proprietates cognoscere.

Evangelium Gehon fluvio adumbratum est, exundavit, irrigavit universum Orbem; rursus ejus disciplinæ fluenta descripsit copiâ aquarum Euphrates. Phison vocabuli etymologia monebat absistendum nobis ab ejusdem arcanorum investigatione. Declat (Tigris) proprii nominis notatione præsagire visus est, Evangelii institutis vitiorum nostrorum sordes elutum iri. Nunc itaque unum modo restat, ut sacris aquis expiati, per Christi præcepta nobis certum ad Paradisum ascensum instruamus; nec enim decet, pisces sibi constitutos transilire fines.

SERMO XLIX.

QUantâ putas morum innocentiâ floruisse Noëmum, qui cunctis ætatis suæ mortalibus compositus, neminem invenit parem? Universum Genus humanum divina æquitas appendit in statera, unus Noë justi ponderis mensuram implevit, pudicitiâ ornatus. Cataclysmus hausit omnes, in quibus statera defectum notavit; Arca virum pudicum ac venerabilem in sublime extulit. Quanta laude dignum dices Deum, qui talem hominem amavit? suo Noë magistratu duo distinxit tempora, totidemque signavit figuras, præteritum conclusit, inchoavit præsens; inter duas medius ætates duo mysteria adumbravit, prioris ætatis gentem dimisit, novissimam ejus sobolem vocavit; vetulam progeniem mortuam funeravit, novellam pubescentem aluit & instituit. Laus hæc fuit summi Rectoris, qui ad hanc gloriam Noëmum evexit.

[illegible]

Orbe sub aquis proprium interitum ingemiscente, Domini navis oberrabat mare; solvit ab ortu Solis, ad occasum applicuit, super austrum explicuit pennas, & Aquilonem emensa est, super pelagum volitavit, continenti præsagivit suam, antequam nasceretur, nativitatem, sobolisque suæ numerum, & ad omnes Mundi plagas propagationem. Qui talia audis mirare & lauda Mundi Reparatorem. Suo illa cursu vexillum sui Tutoris descripsit; sui videlicet gubernatoris Crucem, sui gubernaculum naucleri; hunc scilicet prænunciabat venturum, & Ecclesiam ab ipso in aquis ædificandam, ac triplicis nominis virtute habitatores ejus ab interitu vindicandos, sed & a Spiritu sancto per Noëmicam columbam adumbrato, sacrum ejus Chrisma, nostræque salutis Sacramentum administranda fore. Gratiam Servatoris agnosce. Nostræ itaque Ecclesiæ Mysteria in veteris Instrumenti libris habes: vides ejusdem in Noëmica Arca figuram: omnia mirificè congruunt, mutuòque sibi astruunt fidem: quemadmodum itaque Arcæ thalami, serenato Cælo, vacuati fuerunt; ita figuræ in Scripturis expressæ, rerum adumbratarum præsentiâ inutiles evaserunt. Christus namque suo adventu finem attulit legis ceremoniis; & Arcæ symbola adimplevit erectum ab ipso Ecclesiæ ædificium. Tui, Domine, adventûs hæc laus magna fuit.

En sentio mihi cogitanti Salvatoris Mare labare mentem, quare beatum te, Noëme, dicam, quoniam etsi tua Navis inter undas fluctuaret, tibi nihilominus animus constitit immotus, sibique præsens. Obsecro, Domine, Fides, quam profiteor puram, mihi sit ipsa ratis; quandoquidem video, plurimos arcanorum tuorum pelagum temerè ingressos, ejus vorticibus repente haustos, periisse. Patrem tuum, quàm justum est, laudare!

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

SERMO L.

F [illegible]

Genitus, qui cum Genitore fuit ante omne ævum, cuncta præterlabitur tempora: numeri, horæ, momenta, nomina sunt ejus ævo posteriora, nec enim nisi per ipsum constituta, & ordinata fuerunt. Inutili labore se fatigat, quisquis disquirit, qualis ille sit, & inani spe luditur, quisquis ejus ætatem invenire conatur, aut audet disceptare, quorsum in lucem prodie-

A prodierit ? aut quam a sua origine nactus fuerit figuram , & quem modo locum obtineat ? At tu hujus *Filii* Patrem contemplare & collauda . De Unigenito dicere sapiens quisque rogatus negabit, quum tacere malit , quando nec externam ejus gloriam vel ipse , vel alius quispiam narrare sufficiat. Stultus est, qui circa subjectum hujusmodi sibi silentium non imperat, nec cogitat , quòd si Filium com- B prehensum dicit , Genitoris amplitudini detrahit, quodve si fructum inscrutabilem esse negat , Arbori aream definit , quum ambo sibi invicem mutuòque insideant . Sic a te per te in Patrem tuum omnis honor reciprocatur, & recipitur.

Petulans & insanus est, qui petit intra suæ mentis exiguos sinus concipere disputationem infinitam : omnem su- C pervolat rationem assumtus de Genito ac Genitore sermo ; quum Mundus ab utroque conditus, magnitudine sua nostram intelligentiam præterbitat. Restat, ut credas, fieri non posse, ut propositas de Creatore quæstiones creatura solvat, adeo infra illum cuncta jacent ; hunc dicimus summum & supremum rerum Dominum humano generi admirandum , & sanctè pièque colendum .

D Quid ergo de Filio exquirere non absistimus ? quid Parentem ejus non admiramur & obstupescimus ? ut operosum non sit, credere Filium ex omni æternitate genitum ; generationis tamen modum intelligere & exponere difficultatem nobis objicit insuperabilem . Rursus idem Mysterium utcumque apprehendere non magni laboris est, at idem investigando invenire , ne- E gotium est enimvero, quod omnium mortalium operam lusit, adeo nullum hucùsque reperire licuit interpretem , ad hoc arcanum detegendum satis idoneum, etsi Filium & Patrem omnes suspicere & admirari debeamus, pioque silentio venerari ; Patrem quidem quia Filium misit , & Filium quia ipsi venire placuit .

Interea dum Increduli de Filii Dei generatione altercantur , singularem in nos F Dei benevolentiam nemo non admiretur ; suo ille spiritu, limum ex quo crevimus, animavit, & pulverem nostrum mente ac ratione instruxit : Filium suum misit in terras, hominis naturam induit, cæloque invexit, quòd quum Diabolus ægrè ferret, doleretque, lutum ad eam pervenisse altitudinem dignitatis & gloriæ, homines quæstionibus & disceptationibus implicuit, & inde in sectas divisit. Quisquis hos laqueos evasit , gratiam Mediatoris agnoscat . Et nunc

nunc obſecro, Domine, Diaboli furorem infringito, quoniam ſine cauſa felicitatem olim Adamo invidit, & nunc ejus ſobolis ſplendore torquetur, utrique impoſuit, perſuaſitque, bonum eſſe perire. Omnes ſimili arte decepit ætates, noſtram etiam, ut vix aliam magis, ſimplices ſuperbiâ inflavit, & riſit arrogantes; inebriavit, & traduxit temulentos; tumultum commovit, & tumultuantes irriſit. Tantorum malorum auctorem qui nobis ſuſtulit, a nobis quantopere colendus erit, quibus ornandus laudibus?

Mirum ſane quî fiat, ut Anima ſuam non erubeſcat ſtultitiam, quòd quum Diabolum hoſpitem aliquando habeat, non ſentiat præſentem: non illum certe vident oculi, non tangunt manus, quantum ille guſtui ingratus ſit, palatum nunquam expertum eſt, odoratum non afficit, ſi fortè nares ejus etiam nidorem olfacerent, cruori nimirum libenter incumbit. Tu vero laudem & gloriam ei tribuere memento, qui hoſtem his pejora molientem cohibet. Et quoniam Anima nec ſibi intimum Dæmonem ſentit, aut aliquando in ejus ſinum reptavit, imo nec ab illo oppugnata, oppugnantem advertit, aut ſibi aſſidentem, vel etiam inſidentem, ſenſibus diſcernit: reliquum eſt, fratres, ut mentis noſtræ ſtuporem reputantes, doleamus, nos nihilominus in eam aliquando veniſſe audaciam, ut in Creatoris noſtri Filium incurſare non dubitaremus. Averte, Domine, a nobis hoc malum, & præſta, ut cum rebus omnibus in tuas laudes perpetuo conſpiremus.

SERMO LI.

QUis hominem dabit, qui ſe tibi ſat memorem gratumque probet, poſtquam ad iſthæc infima deduxiſti Majeſtatem tuam, tuamque magnificentiam ad extremam demiſiſti humilitatem? ad conditionem mortalium vitâ ipſe præditus immortali deſcendiſti, & nullius indigens, omniumque dives opum, egentibus infimæ ſortis te ſociaſti, ſubmiſiſti ſervili jugo cervicem ſummus ac ſupremus rerum Dominus. Quem te eſſe dicam, quiſquis hanc non laudas bonitatem? Attamen nec in hoc ſtatu auſit quiſquam oculos intendere in tuam Divinitatem, quæ nec tunc occulta eſſe deſiit, poſtquam aſpectabilem ſe fecit, & reducto aliquatenus velo, ſe oſtendit, atque in omnium oculis verſata eſt: quin & manibus lictorum apprehendi non abnuit majeſtas, cujus nutum tremiſcit Orbis; hoc

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

[illegible]

E [illegible]

F [illegible]

A hoc ſcilicet pretio tibi ſtetit hominem eſſe factum. Quiſquis illum, qui te miſit, non magnificat, iniquus eſt.

Nemo profectò non horreat horribile ſpectaculum; ut poſtquam tuus in carne adventus atque nativitas innotuerunt, adhuc tuus iſte proceſſus ignotus lateat, ut quiſquis petulans Scrutator hunc indagare aggreſſus eſt, confeſtim velut ad ſcopulos, impacta navi, nudus B cœperit hùc illùc vagari. Hem audio dicentem, carnem dumtaxat a te fuiſſe ſuſceptam, animam non item; alium docentem, unà cum corpore animam etiam fuiſſe aſſumtam, animam, ait, non animum vel mentem; quoſdam effutientes, cælum te aſcendiſſe, concretumq; cæleſti materiâ corpus tibi accomodaſſe. Nos verò tuam in carne nativitatem veram, & verè laudabilem prædicamus. C Quare tuum, precor, ori meo apprimito ſignum, ut ſileat, quæ fari non licet. Hem arcana, quorum claram notitiam nobis indulſiſti, ſapientiſſimos quoſque fatigarunt, adeo ut nec tuam ex Maria originem comprehendere potuerint, qui autem id ſibi ineptiſſime arrogarunt in varias diverſaſque ſciſſi ſententias, etiam nodum, quem ſolvere non poterant, ſciderunt. Atqui ſi homines humana, & quæ D ſibi tecum communia habent, aſſequi non potuerunt, quis ille homo, qui divinam tuam originem ſibi comprehenſam jactet? iniquus eſt, æquos nos eſſe decet, ut Genitori tuo laudem & gloriam tribuamus.

Materiam noſtris fidibus tua præſcribat lex, nefanda fari impium eſt, tua id pietas a nobis avertat. Tuam generationem revolvere nequeunt carmina, gracili E modulata plectro: quando nec Angelis ſupremi ordinis datur ejuſmodi arcanum tibiis perſequi grandibus & incorporeis. Incomprehenſæ naturæ hæc laus eſt. Linguam, oro, meam in calamum verte, futuram in poſterum gloriæ tuæ inſtrumentum: tuus, obſecro, digitus, quæ tua benignitas eſt, meum tractet calamum, ſcribat ſermones fructum allaturos, quantum nulla res prætereà: ductu ſcribentis deſtitutus calamus, literas nunquam formavit. F Cohibe os meum, ne ad inutiles ſtrophas delabatur, moderare linguam, ne quid loquatur extra te profanum; ea ſcilicet eſt diſciplinæ tuæ dignitas. Neve audeat compellare te nomine alio ab eo, quo te tuus appellavit Pater. Te ſuum dixit Filium ad Jordanis ripas, extra te neminem. Et ubi tu quoque baptiſmum ſuſcepiſti, hunc tuæ humanæ naturæ divina Trinitas miniſtravit, Pater voce propria, Filius poteſtate, ſuo Spiritus illapſu

pſu; obumbrationis tuæ gratiam nos quoque tibi gratamur. Audeat quiſpiam modò negare tria nomina, quorum illapſu ſacrum olim miniſterium in Jordane peractum eſt? Sed nec dubitabile eſt, nominibus, quibus tui Corporis baptiſmus perfectus eſt, reliqua hodie corpora baptizari: & quamvis plurima ſint ſummi & ſupremi rerum Moderatoris nomina, nos tamen per diſtinctam Patris & Filii & Spiritus invocationem baptizati ſumus. Idcirco nos decet tuam laudare & amplificare majeſtatem.

Pictorem miraris, & rogitas, cur Equum pingere rogatus, beſtiæ caput & præcipua membra, quæ cæteroquin exprimere in promtu erat, panico terrore conſternatus, prætermiſerit? bene ſane miraris. At vos literis ceterà eruditos quis inſanire non credat? qui quum nihil Unigenito de ingenita magnitudine detrahere poſſetis, veſtris tricis illum facere minimum cogitaſtis, quumque idem uni dumtaxat comparabilis ſit, vulgo ſimilem finxiſtis. Filium regis noſtri revereamur, oro, noſtriſque celebremus hymnis.

Quis ſubtili in æthere ſemitam vidit, qualem avis in aëre deſcribit, & hominem levi aura in ſublime vectum illàc diſcurrere? flatus nimirum panditur, ſimul vectori ſuo pandit viam, ſimul admonet, ne ab illa latum, ut ajunt, unguem diſcedat, ne illico è vita diſcedere cogatur. Monitus monitori habeto gratiam. Sic, oro, mihi, Domine, ferto opem, & præſta, ut cum pavore ac timore incedam, caveamque ſanctæ diſciplinæ tranſilire fines. Veritas, quam a te didici, clara eſt, plana ingenuè credentibus; ingeniis ſalebroſa tortuoſis: ſimplices & expediti feliciter viam decurrunt; docti ac eruditi rectam peroſi, in ſalebras quæſtionum impingunt. Dominum orate, ut relevet lapſos, ſimul laudate reducentem errantes.

Ex ipſis vocabulis rerum naturas diſcimus, nomenclationes ſervi & Filii utriuſque conditionem ſecernunt; ſervi quippe vocabulum Filio non convenit, Filiique nomen, ſervis hunc accenſendum non eſſe clamat; ſic vocabula citra lites & contentiones veritatem declarant. Quiſquis hanc didicit, tuam, Domine, laudet ſapientiam. Quamobrem ſeverè nobis redarguendi ſunt Novatores: fides mea, dicito, perfecta eſt, mea gemma fucum abhorret, nec ab arte tua nitorem ſperat, luce ſua nitet; quin & ſi aurificis ferro violetur, a cæleſtis regis diademate rejici-

A rejicitur. Tui, Domine, regni ſpes nos ſuſtentat, & ad dicendas laudes tuas invitat.

SERMO LII.

A Deo diſcimus quid ſit Deus; ſuis ille nimirum nominibus ſe manifeſtat, ex his intelligimus, illum eſſe ſanctè juſtum, verè bonum, atque ingenuæ naturæ ſuæ virtute ſummum. Quin ergo credimus, illum ſibi ſimilem generaſſe ſobolem, quum ipſe ſe dixerit Patrem? Parentis nomen ſatis declarat ipſum eſſe genitorem; fœcunditatis quippe vocabulum prolem indicat genitam; ſcilicet quem unius Filii Genitorem natura facit, multorum fecit Patrem caritas, ut laudaretur C bonitas. Deum jure dicimus Dominum, adſtantes cernimus ſervos; regem teſtantur opes & potentia, & Creatorem prædicat è nihilo cretus Mundus. Et quia verè Pater eſt, dicimus, verum generaſſe Filium; ſi autem Patris nomen proprium eſſe negas, ipſique affictum & accomodatum fingis, quod tamen vel cogitare nefas eſt, & crimen ultimo plectendum ſupplicio, ſi hoc, inquam, fingis, D cæteras huic ſynonymas voces ad tuendum poſitum ſolvis. Sed abſit: verax Deus eſt & verus, cui omne convenit nomen & vera laus. Equidem non putabam, homini cuipiam ſano perſuaſum iri, ut Deum diceret Patrem, quem crederet, nullam generaſſe prolem; vocabulum proinde Genitoris ſibi non ſuo jure uſurpaſſe. Suum porrò veritas retinet ſaporem, ejus licet ſale abutentes, deſipere videamus. Rur- E ſus nec venit in mentem, quempiam ad eam inſaniam redactum iri, ut nomen refigeret, quo noſter conſtat baptiſmus & noſtra expiantur peccata. Nos autem inſtitutam a te, Domine, purgationem peccatorum fatemur, & inde tibi magnopere gratamur.

Hæc tene, hæc loquere, hominis opus extra hominem fieri, intra hominem vo- F cem, Dei opus homo eſt, nec enim a ſe ipſe fieri potuit, Dei Verbum Filius ejus eſt, nec tamen vocale verbum id eſt, ut liceat de rebus quibuſcumque dici: Verbum eſt, quod noſtris verbis inexplicabile eſt. Idcirco tuam, Domine, occultam majeſtatem nos capere non poſſe fatemur, nec ideo laudare abſiſtimus. Quid etiam deliras garrule ſophiſta? ſi Patrem non piget, hunc ſuum fateri Filium, nec ſuum Filius veretur appellare Patrem, quem tu teſta-

testaris Deum, quin facessis hinc imperite puer? quin secessum petis, communem calamitatem deploraturus, quòd quum Divinæ Personæ sociæ sint & concordes, nos adhuc tumultuamus: dumque cælum pax alta tenet, Ecclesias hucusque civile fatigat bellum? Cui pace frui datum est, te, Domine, pacis auctorem laudet.

Quisquis circa Divina deliras, quid tua garrulitate Deo decedere putas? Si clamat ipse se esse Patrem, nec piget esse, nec pudet, quis tu contra audes mussitare lutum? tun' omnium rationum exactorem ad reddendam actorum suorum rationem appellas? Tuam adversarius tuâ linguâ perdidit animam, quid hìc cunctaris? nec illam quantocyùs a latrone vindicare satagis? Nos verò quas ei referemus gratias, qui talem sustulit tyrannum? Sophista dejectus mente, se præcipitavit in aquas: duo maria Patrem & Filium tranare cogitat; & quamquam aquæ tranquillæ puræque sunt, nec quales vehunt amnes, qui frequenter vel ventis exagitati fluctuant, vel ob externarum aquarum alluvionem turbidi lutosique fluunt, ac proprium tandem repetunt colorem, & cursum: attamen si quis in altum provectus, alterutrius pelagi fundum explorare tentet, confestim rapida vertigine contortus disiectusque, dejicitur ad littus, nimirum cadaver est. Hanc petulanti Scrutatori pœnam tua, Domine, rependit Justitia, quam proinde satis laudare non possumus.

Divinorum arcanorum investigatio cuinam placere potest, quam Apostolus carcinomati comparandam censuit? (2. Tim. 2. 17.) Hæreticas disceptationes pestilentissimos esse fontes intelliget tandem, quisquis imprudens iis se implicuit; paulatim quippe coaluit malum, quod repente totum erupit: hujusmodi quæstionum etsi exordia quandoque jucunda, exitus tamen vix unquam non tristes & funesti fuerunt. Quamobrem illius providentiam nemo non laudare debet, qui hujusmodi scatebras, ne longiùs manarent, cohibuit & obstruxit. At tibi, sodes, quis aliquando persuasit, ut lippientes oculos in astra defigeres, quorum non ignorabas vehementissimam esse lucem, nec ullatenus penetrabilem, eorumque aspectu cælitum etiam hebetari acies. Quum aliquando Moses illos aditus rumpere, & intrò oculos inferre deliberasset, quamquam alia plane mente, quam ut illic reconditam lucem inspiceret, eòque versùs gradum aliquatenus promovisset, confestim emicans ex interiori adyto fulgor ille Scrutatorum occæcator repulit adventantem. Unius immensæ pulchritudinis

A tudinis tuæ, Domine, non una hæc laus est.

Indocilis opidòque pervicacis ingenii eum esse oportet, qui non acquiescit iis, quæ ambo Testamenta de Patre & Filio & Spiritu docent: nullum horum trium factum usquam affirmant, aut creatum, aut formatum; scilicet rerum creatarum vocabula cum illius Trinitatis arcano nullam habent habitudinem, aut affinitatem; istud declaravit & scripsit Deus, & quandoquidem ipse dixit, ejus dictis omninò fides B habenda est. Dominus est, ejus dicta laudare, & revereri debemus. Cogita nunc hominem, qui suis præceptoribus se subjicere detrectat, temerè docens, quæ illi nunquam docuere, & jactat, se illis sapientiorem: ut superbus hic sit, illum certe insanire dices, qui Dei dicto reclamat. O hominem plane stupidum! quis tu, quove di- C cis te doctiorem? illo nempe sine cujus munere nemo sapit: aut jactas, te eo potentiorem, qui omne redemit humanum genus? aut quempiam dicis in divinorum arcanorum interpretatione Spiritui sancto comparabilem? Nos verò, quæ a te, Domine, didicimus, credimus & laudamus.

Quid habent contrariæ partis defensores quod adhuc reponant? quidquid D enim vel levi suspicione falsi veram disciplinam perstringere potuit, veritas prævertit sic, ut alterutrum dicendum sit: hominem quidpiam contra effutientem, vel divina dogmata parvi pendere, & sanctam ejurasse fidem; aut callidum esse veteratorem, cujus quæstus sit mentiendi impudentia: atque ut neutrum de illo suspicari sit, repellendus tamen uti imperi- E tus & idiota. Quare delirare desinant Scrutatores, & piorum cœtui sua restituatur auctoritas. Hanc tibi, Domine, victoriam acceptam cum gratiarum actione referimus. Et quoniam nil modò occurrit, quod nobis opponant garruli Sophistæ, sua eis nos regeramus, nam proprios ipsis errores objecisse, convicisse erit. Ain ergo Deum ex se infœcundum propriam imbecillitatem occultare voluisse, eamque ob F rem mentitum se esse genitorem? vel si id negas, iisque consentis, qui Deo generandi virtutem asserunt, imò & ipsum progenuisse Prolem affirmant, sibique proinde generasse, non supposuisse Filium, & idcirco neque istud asserendo fuisse mentitum; te teste & parte utrâque judice vicimus: Deum videlicet dixisse se esse Patrem. Quid ergo nova procudimus, & alia comminiscimur diversa ab iis, quæ divina auctoritas suis literis firmavit. Ho-

 minum

minum audacissimorum ingenium nomina adjecit, ex quibus absurdissimarum conclusionum farraginem colligeret. Sic res est: quandiu garrire non cessas, tandiu contendere non desines. Si lites componere cupis, quæ sacris consignata literis, tibi tradita sunt, relege & his stato. Te, Domine, pacis auctorem habemus; hanc nobis tuere, precor. Da pacem, Domine, Ecclesiis tuis in diebus meis, turbas, ac tumultus compescito, pacatos reddito diffidentes, ut omnes credentium cœtus in unam coëant veram Ecclesiam, inque Matris sinu pii ejus filii conquiescant, pacemque sibi tuo favore concessam testentur. Etiam, Domine, te Ecclesiarum pacificatorem confitemur.

SERMO LIII.

Jure mirantur omnes accuratam Dei in scribendo diligentiam, qui non modò Angelorum & hominum clarissimorum acta literis mandari jusserit, & a sacris Scriptoribus res ab ipso conditas, non modo universas, sed singulas describi, sed quod multò magis mirabile est, ea quæ circa virgas atque mandragoras a pastoribus, & simplicibus feminis dicta & acta sunt, a divino Spiritu fuisse Prophetis dictata, & ejusdem jussu etiam in sacrum codicem digesta, in Tabernaculum illata fuisse. Tuam, Domine, disciplinam, & consilia laudamus & miramur omnes; in rebus quippe novis nobis ignoratio causarum mirationem facit: sed uti hæc recte miramur, sic contra quis illud non horreat, quod suis subjectum oculis cernit, depravatos usque adeo hominum mores; vastata ubique ac polluta omnia, perversis disceptationibus & litibus fervere fora, civitates contrariis factionibus scindi, & rempublicam dilacerari, armorum strepitu templorum personare adyta, feminas cum feminis confligere, & cum viris viros, quin & Imperatores cum Sacerdotibus contendere, omnem denique tumultuari Orbem.

[Gen. 30, 37.]

Deflendum sane est, quod quum interim sæpe nobis spectare contigerit terram motibus succussam, ad statum mox rediisse, Ecclesiarum tamen diffidia ac tumultus necdum conquievisse videamus: Maris item tempestates paulatim mitigari & desidere, disceptantium tamen animos a contentionibus necdum resedisse. Quin proinde dicam beatos, quibus per freta vagantibus inter frementis pelagi fluctus pacem invenire licuit, infelices contra, qui inter literarum otia illam amiserunt? Quid? num Principi pacis servorum jurgia placent? atqui nihil est, quod

A quod oderit ille magis, vel Diabolus nos ludificat & decipit, ſuadens, Verbum eſſe creaturam? ſi res ſic habet, quid eſt, quòd ille Bonus nobis ad hujus arcani adytum tendentibus viam munire neglexit? quamobrem iſtud non ſcripſit? quare id ipſum iterum iterumque inculcare omiſit, quo ratum ac indubitatum nobis relinqueret, quid ipſe ſentiret? Audi, quod dicam. Verus B Deus nec errare, nec mentiri poteſt: quumque ſit ſummè bonus, & omnis noxæ oſor & ultor, ad omnem honeſtatem ſuis nos præceptis excolere frequenter inſtitit; viam proinde rectis corde rectiſſimam aperuit, diras comminavit iis, qui cæcum, objecto offendiculo, illinc avertiſſent.

Decreta ſcripſit, vocabulis involuta C arcanis a perito explicanda Interprete, ſua oracula medicamentis aſſimilavit; ſpecie diſcrepant iſta quidem, conveniunt tamen in eo, quòd ad eundem ſcopum reſtituendæ tuendæve ſanitatis omnia collineant. Multum autem intereſt; utrùm a perita manu id adminiſtretur an non; nam ſi pharmacum, naturam ejus vimque ignorans, ægro porrigas, morbum, quem tollere volebas, lethalem feciſti; ſanabitur autem, D ſi artis peritus tractabit ex arte medicinam. Qualis medicamentorum natura eſt, talem eſſe puta etiam Scripturarum; pauci quidem illa norunt, nec multi ſunt, qui in iſtis hoſpites non ſint, quamobrem non mirum ſi Dei oracula ab imperito Interprete expoſita, ſecum pugnare videantur. Scripturæ pacem ubique ſpirant, Scripturarum tractatores E turbas undequaque ciere ſtudent. Quid reſtat, niſi ut ad teſtes appellemus, nec tamen unius dicto ſtandum, nec enim id divina æquitas admittit, quæ ex teſtificatione duorum, vel trium teſtium ſententiam ferendam eſſe præſcripſit; ad ejus ergo auguſtiſſimum tribunal cauſam referamus: teſtes proinde ſuos producant ambæ partes.

Cæterum ne claro die tenebras quæ- F rere videamini, vocabula ambigua interim omittite, quæ videlicet, utrùm ad Domini humilitatem, vel contra ad ejus majeſtatem referenda ſint, diſceptant Interpretes: alius enim in iis humanam ejus naturam agnoſcit; alius contra eadem ad Divinitatem pertinere credit. Remotis itaque Interpretum expoſitionibus, nuda vocabula in Scripturis expreſſa Filii, & Creaturæ ſeorſim expendamus. Hìc porrò ſtatim Adverſarii utpotè in ſacris li-

teris eruditi, in lege docti, & in prophetarum lectione apprimè versati, Salomonis opponunt testimonium, veluti hujus controversiæ fundamentum. Ille, ajunt, sensit & dixit, Verbum esse Dei creaturam, & rem ab eodem ordinatam, (Hunc Salomonis locum velut portum & perfugium jactatæ fortunæ suæ Novatores omnes se habere putant). Hæc illi: quos tamen breve responsum a mea tenuitate audire pigere non debet. Omnes textus, qui in divinis scripturis Domini indicant abjectionem, ad ejusdem humanam naturam pertinere tenendum est. Idque ipse clarissimè perspicies, modo detur ejus humanitatem transcendere, ubi enim ad ejus Divinitatem perveneris, statim comperies, hanc partibus infinitis, & immensis intervallis rerum universarum nobilitatem excellentiamque prævertere.

Prov. 8. 22.

Age itaque, expedi ratiocinationum alas, cogitationumque tuarum pennas explicato, atque intermedia quæque objecta prætervolans, ad Filii Dei solium enitere: sic tamen, ut oculos mentis prius purgare memineris: quumque eò veneris, Filium prius intuere ipsum, deinde Patrem; tum clare perspicies, illum ab isto nullum omnino discrepare; Patremque penitus esse reconditum, Filiumque perinde non esse cuipiam aspectabilem. Perge porrò & supputa quoties illud idem Verbum Filius & genitus appellatur, deinde observa, quoties dicitur creatura: quumque summam tenueris inde veram & propriam Verbi appellationem colligito, attentâ more sapientum numeri majoris prærogativâ; proprium namque nomen passim & fere ubique usurpari deprehendes, cognomentum autem, seu nomen pro certo proprioque nomine positum, bis terve ad summum incidere.

Jam computatione factâ, constat in uno dumtaxat proverbiorum libro ac semel Filium Dei a Salomone creaturam appellari. Quod restabat, cætera hujusmet generis documenta diligenter collegimus, expendimus accuratè; comperimus tandem: Deum Patrem omnibus signis, Prophetas ore uno, & una voce Apostolos: Dæmones uno sensu per omnes, quos vexare solent energumenos, per omnes, quibus & ipsi vexantur, pœnas, Verbum non Dei creaturam, sed Filium prædicare. Mirum si quis hujus fidei testes falsos credat, vel cohibeat iram, ne in hujus dissidii autores totam se profundat.

SER-

SERMO LIV.

QUum Cælorum regis Filius advenisset in terras, populus, cui neuter de facie notus erat, ex voce agnovit utrumque : a Patre quippe Filium appellari audiebat, suoque nomine Patrem vicissim a Filio vocari. Quamquam vel inter abjectæ & humilis vitæ labores idem patuit Deus, talem certe universa rerum natura sensit atque testata est, seu quando trajectum petenti, dorsum submisit mare, seù terras deserentem subvexit æther, præbuitque aura currum ovanti. Ex legati dignitate legantis majestatem discito, admirare & lauda. Rursus ex famulorum numero & ornatu ejusdem legati stirpem arguito. Etenim quũ humilem sibi delegisset locum, & inter minutæ plebis quisquilias lateret inglorius, cælo delapsa Angelorum agmina herilis Filii conditionem vocibus & obsequiis publicarunt: quamquam illorum testimonio minime indigebat, qui cæteris creaturis infima ancillarum servitia imperabat, rerumque universitatem ad nutum ubique obsequentem habebat; Genitorem scilicet referebat, cujus silentium cuncta moderatur.

Porrò suorum domesticorum cura prima fuit, quos proinde magnis opibus & honoribus auxit. At illi munerantem ignorarunt, contemsere munera, etiam seipsos, collatos honores luto & sordibus posthabuerunt. Quamobrem in terras iterum descendit, & servos ceno erutos, in locum, unde exciderant, restituit. Fefellit incautos aspersum de nostro vestibus ejus lutum; nostras nimirum sordes, ut elueret, aspersérat ipse sibi; hanc scilicet ille curam susceperat, unde regis Filius agnosceretur: Paterni sceptri hæredem decebat Patris negotia curare: servum reperit ægrotantem, sanum reliquit, occurrit ancilla febricitans, febrim increpuit, & depulit, ubi defecisse panem comperit, defectum supplevit, provisâ suis familiaribus annonâ, inde Patrem, a quo missus fuerat, laudare docuit: quis familiæ suæ amantem non amet, qui servis, ancillisque suis æqualem se præstitit? vocatus ad nuptias, vocantes non repulit, convivas conspectu suo jucundissimo exhilaravit, symbola contulit, vino optimo plenas lagenas: regios nempe thesauros secum vehebat.

Quisque Dei metum peccantium supplicio monitus discat, propriique corporis munditiem curare; templum enim Dei est; ille siquidem quum Patris sui ædem, templum

plum illud Jerosolymitanum aliquando intrasset, profanos nundinatores inde flagello abegit, quos scilicet contemptus domûs Dei testabatur, nihil ipsos a Deo sperare. Jerosolymam repudiavit, & ingratis agricolis vineam ademit. Nemo non timeat, nemo rursus non amet Dominum, qui fideles negotiatores commissa fidei suæ talenta duplicato cum fœnore resignantes laudavit, severè punivit improbum & crudelem servum sodalium, & familiæ pestem: Diabolum increpuit, quando sub verbere clamitabat suorum satellitum ore, *quid nobis, & tibi Jesu*. (Marc. 1. 24.)

Sicubi audias Dominum seu tædio affectum, seu itinere fatigatum, cogita hujusmodi affectiones ab ea naturâ manasse, quam idem ægritudinibus hisce obnoxiam induerat; nostras siquidem perturbationes sibi nobiscum communes esse voluit, qui amplissimas naturæ suæ appellationes nobiscum communicare decreverat, quod quidem quum rudes & inexperti homines discernere non possent, ascitas naturæ nostræ ægritudines ipsi ingenitas esse crediderunt, nec animadverterunt, hujusmodi opinationem manifestè refelli ex eo, quod inde sequi necesse erat, ut ex eomet capite, ex quo ei nostras affectiones allinebamus, ipsius dignitatem, amplitudinem, & majestatem nobis arrogare deberemus. Plurimi ad ejus conciones convenere homines aperti & ingenui, nemo fuit, qui ejus dicta sugillaret, illi modò ausi sunt reprehendere, qui de re qualibet disceptare assueti, negabant aliquid esse non dubitabile ac certum; sic erga illum animati auditores, sermones ejus in calumniæ argumenta traduxerunt, dum justitiæ osores & adversarii jus & justum suis strophis pervertere moliuntur.

Domini sermo simplices & ingenuos mirificè recreabat, idem vafros torquebat & veteratores; illi utpote affectionibus vacui dicenti adhibuere fidem; isti, quibus multiplex ac tortuosum ingenium, litigare & scitari institerunt. *Quo modo*, ajebant, *potest hic nobis dare Corpus suum ad manducandum*? (Jo. 6. 52.) disceptandi libido illis obstitit, ne immortalis vitæ pharmaco potirentur: quare curandum est, ne similis infidelitatis noxa nobis similem accersat pœnam. Divina oracula nostro igne exploranda non sunt; aptos ad disciplinam Christi discipulos cum Judæis incredulis compara: dociles illi & pudentissimi non audent Magistro dicenti refragari, rixantur isti & insaniunt; quinquagenario minorem credunt Unigenitum, cujus ævum nec definiri spatiis

[illegible]

A tiis poterat, nec mente comprehendi. Brevi sic habeto: omnis vitiosa disquisitio ad lævam separanda est: ille quoque latro cum Salvatore Cruci suffixus, ad ejus sinistram è patibulo pependit, indeque petulanter disquirere & indagare volebat, nimirum disceptantium impudentiæ assuescere volebat. O hominem perditum ac plane desperatum! siccine ex patibulo in Dominum tuum inquiris? B Jam verò quis contra non stupeat, latronem ad Domini dexteram suspensum; quem è Cruce pendentem cernebat, credidit esse Deum, vitamque moriendo asserturum nobis credentibus, eundem Cælo gloriosè invectum, & ad dexteram Dei Patris modò considentem. Scilicet patibulum latronem ad virtutem inflexit, nos Angeli Dominum portantes, nec dum a vitiis avocare potuerunt. C

SERMO LV.

[illegible]

NEmo profectò parallelas dicet naturas, quarum processus dissimiles videt; naturam ergo, cujus vi è nihilo crevere res omnes, ab eis immenso intervallo distare necesse est, nec ipsis ullo modo comparabilem esse. D Quare si generationem, puta ignis, patentem & conspicuam explicare difficile est, næ tu insanis, si exponere tentas partum adorandum, & admirabiles processus præcellentis naturæ, cujus nutu omnia constant, & ipsa similem non habet. Verè ille sapit, qui tuam, Domine, imperscrutabilem miratur & laudat Majestatem. Si cui porro placet de Autore naturæ disputare, E naturam ipsam oportet discutiat priùs: quare intermissâ de summæ essentiæ rationibus disputatione, ad eum, quo vehi visa est, currum descendamus, videamus, quæ fuerit ejus figura, quæ rotarum ejus vita, quæ animalium illum trahentium natura, quæ mens, quæ ratio, si quidem mente & ratione sunt prædita. Similem currum nullus vidit, non illum sustinet terra, sed ipse se suo per aëra pondere librat, eique aura sternit viam, F visque internam tribuit motum: obvia quæque & objecta undique occurrentia spectat immotus; quatuor namque facies sedem obtinent ad omnes Mundi plagas obversæ, communem tamen cum curru scopum habent ac petunt.

Quum vero Buzi filius personam filii hominis currui insidentem se conspexisse referat, quumque currus ipse conversionem non ferat, quid ais? num sedes

des ipſa ſitum mutat, aut ſcopum, quandoquidem omnes ſe verſat in partes? Arcanum miraris & ſtupes: atqui præſtat ſede ſuâ ſedens, quem ergo aptum dices ad intelligendam majeſtatem Numinis tali in ſolio ſedentis. Et ſi quis hanc ſibi arroget intelligentiam, ediſſerat nobis priùs minorum Cælitum naturam Michaëlis, ut puta, vultum, aut ſpeciem Gabrielis: & quoniam igne & ſpiritu conſtare utrumque dicis, quam, cedo, huic ſimilem uſpiam vidiſti flammam, aut cognatum huic aërem reſpiraſti? Rurſus effare, qualis tibi viſa eſt eorum ſtatura, excelſa ne ac procera, an contra brevis & modica, deinde qui color, quæ forma oris? Et ſi aliquando tetigiſti, quam ex talium corporum tactu in tuo ſenſu deprehendiſti affectionem? Tenes, viâ quàm procul erres? Nunc ad noſtrum delabere orbem, ſcitare, ſi quē ſors offerat teſtem, qui per extima huic aſpectabili mundo ſpatia vagatus, quæ ibi viſa ſibi, tibi renunciet; vel ſi quidem hoc, quod cernis Univerſum, adeo amplum videtur, ut an ullo claudatur termino, addubites; age, mentis decempeda ipſum metire, ſuis ille dimenſionibus, quæ petis, reſponſa dabit. Faceſſe nugas, unum habeto immenſum, qui rebus fixit modum, & unum incircumſcriptum & infinitum, qui omnia comprehendit finitque certo limite.

Cæterum quum ſempiternam eſſentiam audis eſſe naturam, cui nunquam liberum fuit velle non eſſe nihil, ejus iſtuc eſſe ſcito ſingulare decus; quumque ſit Omnipotens, iſtuc unum ejus poteſtati minime ſubeſſe; diſce primam hanc eſſe ejus laudem: voluntati, cui totum quod vides, & quod non vides, obtemperat, iſtuc obſiſtere; id enimvero cæteras ejus prærogativas coronat. Et quandoquidem divinæ originis arcanum evolvere non licet, ſi quid de illa diximus, id videlicet dicendum fuit, ut proterviæ ſuæ puderet improbum Scrutatorem, qui non adverterit, quod ſi ipſe non aſſequitur, quo modo natura a nullo alio principio producta, ipſa tamen ſe minime produxerit, quanto remotiorem a communi intelligentia eſſe oporteat ejuſdem eſſentiæ nunquam non exiſtentis indaginem.

Quemadmodum, cariſſime, quod non eſt, id nec manu tangi poteſt, nec pugillo concludi, ſic nec inveſtigari *Qui eſt*. Et attende, fili, quomodo quæſtionem nobis ipſe, quem quærimus, obſignet, quando quod non eſt, teſtimonium dicit ei *Qui eſt*, eo quòd ipſum, quod non eſt, ſenſibus deprehendi non poteſt. Ab eodem perque

Exod. 3. 14.

[illegible]

A que eundem diſcimus, in qualem errorem incidere nobis neceſſe ſit, ſi quidem obſtinemus adhuc indagare primum, qui nunquam non extitit, quem proinde extitiſſe invenimus, quando nihil adhuc extabat. Teſtis de arcani hujus ſtatu rogatus, nullus ſane reſpondeat, perſuadeatve quæ dixerit. Perinde nobis accidet, ac per cæcos tramites extra viam vagantibus, quoties inquirere voluerimus, quomodo Deus ex omni B æternitate progeneret, & uſque modò abditus & incomprehenſus perſeveret.

Deo docente divina diſcimus, ipſoque aſpirante loquimur. Deum eſſe ſempiternum dubitabile non eſt, certa hujus theſis notitia ex evidentia rei ducitur, non ſuadetur, nec enim cujuſpiam ſuadelæ ſubeſt. Hoc autem admiſſo, cogeris citra quæſtionem fateri, C eundem eſſe fœcundum; nec enim diſquirere licet, quod ſub diſceptationem non cadit. Si Deum eſſe Patrem dubitas, æternum eſſe non credis. Dei æternitatem & fœcunditatem pio revereamur ſilentio, ambæ arcanæ ſunt & abſtruſæ, & ab invicem inſeparabiles: uti ad utramque pertinet pugna, ſi quis alterutram impugnet; ſic etiam victoria, ſi alterutra vincat. Uti amaD bilis eſt ejus fœcunditas, ſic eſt terribilis ejus æternitas. Manuum adinſtar altera alteri ſuccurrit, certantique fert opem, & una utrique decernitur corona.

Operam perdis, ſi Oratorem quæris, qui omnibus linguis omnium linguarum Dominum loquatur; nullum ſiquidem huic argumento parem ſperare licet. Quodcumque dicendo uſquequaque E totum adæquare nos poſſe credimus, hoc nobis æquale fingimus, nec ejus naturam noſtrâ majorem putamus: atqui ratum eſt, unum eſſe, qui verè ſervus non eſt, qui Patrem habet, qui ſervus eſſe non poteſt.

SERMO LVI.

F ERitne aliquis, quem pudeat præclara majorum exempla referre? Majores noſtri ſimpliciter Deo credidere dicenti, nefas eſſe arbitrati, de rebus divinis temere diſceptare, & novas de ſuo ſerere quæſtiones, quas proinde velut objectos in via lapides è medio tollendas, & procul abjiciendas eſſe ſtatuerunt; has ſcilicet lites ſubtilis ille diſceptator invexit, qui corda noſtra ſic compegit & obduravit, ut ſuo mox gravata pondere, a divinis

nis oraculis ad inanes & abſurdas opiniones delaberentur. Quare vehementer gratulor vobis, priſcæ ſimplicitatis homines, qui, remotis quæſtionibus, Deo obtemperantes loquenti, veram & ſolidam gloram adepti eſtis.

Longum Noëmi ſilentium quis æſtimet ſatis, ſatiſve miretur? qui innatam homini ſciendi cupiditatem per annos centum frænavit, ne ad importunas quæſtiones deſcenderet; quumque per ludibrium a coætaneis, hominibus ſtultiſſimis de futuro cataclyſmo interpellaretur, fixum tempus ejuſdem deſignare recuſavit, ſed nec inſtitit ipſe inveſtigare curioſiùs, quò protervos percontatores propriæ temeritatis admoneret: nec enim liquet, Noëmo compertum fuiſſe diluvii tempus poſt centum annos ſecuturi. Vel quis Abrahami beatam taciturnitatem contemplatus, non ſtudeat imitari? gnatum ille optatiſſimum, ſibique poſt iteratas promiſſiones ſingulari Dei munere conceſſum ligavit,& altari ſtatim mactandum impoſuit, quis non ſtupeat in hoc facto viri modeſtiam, qui nec talis ſacrificii cauſam rogaverit, nec de hoſtiæ qualitate diſceptaverit, nec Deo ſuum promiſſum ac receptum objecerit? Sic præcluſit linguam, & gladium nudavit. Mirabile profecto ſenis ſilentium fuit, quando & loquendi cauſa inſtabat maxima, nec inſoliti ſacrificii rationem percontari volenti deerat locus, aut tempus. Quòd ſi Pater non audet de Filio diſquirere, quem credebat morti propinquum, ac, ſi quidem periculum evaſiſſet, tandem moriturum, meritò illum de ſalute deſperaſſe dicam, qui diſceptare non dubitat de Filio Dei, cujus Numen Iſaaco vitam conſervavit.

Falleris, ſi credis Abrahamum tacere voluiſſe, quia nec pulchrè, nec aptè loqui didiciſſet, diſertiſſimum enim fuiſſe, diſputandique prudentiâ excelluiſſe liquet ex oratione, quam pro Sodomitis habuit: quum enim illorum patronum ſe conſtituiſſet, eorum cauſam fortiter prudenterque peroravit, adeo ut Judicem quinquaginta juſtos petentem flexerit, ut de hoc numero acceptis decem, reos abſolveret. Stat ergo Abrahamum loquendi tacendique tempora pro circumſtantiarum differentia diſcreviſſe, & locutum quidem, quando nec inanem, nec inutilem ſuam orationem fore intellexit, conticuiſſe verò, quando tacere magis expedire novit, quàm inutiliter & fruſtra verba profundere. Perinde etiam erras, ſi ſancti ſenis ſilentium ex ignavia profectum fuiſſe ſuſpicaris: quaſi verò jus ſuum tueri & vindicare metu prohibitus fuerit. Cogita ſuſceptum

ptum ab eo contra fortissimos reges bellum: victi fugatique fuerant Chananæi reges quatuor, subita hostium irruptione oppressi: victores Abrahamus, coactâ statim militum manu, persecutus, commissâ pugnâ, profligavit, & exuit prædâ, captivumque fratris filium liberavit. Constantiâ & consilio victoribus victoriam extorsit.

Ex actis veteris Testamenti disces, non hoc esse novum seculi nostri vitium: illi quippe, quibus amica fuit veritas, publicatam a Mose legem, pronis auribus & secunda cum admurmuratione exceperunt; legem ferenti paruerunt, & promulganti porrexerunt manus, adeo persuasum habuere, eam disciplinam suis fore rationibus tantum utilem, quantum nulla res præterea. Contradixere rebelles, quibus magis errare placebat, averterunt aures, linguas acuerunt, cum lege Legislatorem riserunt, abjecerunt: quamobrem etiam ipsi vicissim ab illo despecti abjectique fuerunt. Ambo testamenta satis demonstrant viris modestis, sanctæque disciplinæ tenacibus hujusmodi de rebus divinis disquisitiones minime placuisse; quippe qui Deo loquenti credere magis, quam ejus verba discutere assuevissent. Seculi nostri Sophistarum vulgare vitium istuc est, cuncta tricis, disceptationibus ac strophis permiscere, & nunquam quiescere. Divinæ Scripturæ, ut aliàs dixi, pacis plenæ sunt, isti contra bellum assidue coquunt, inveteratum malum usque durabit, dum ferreos homines sua ipsos rubigo consumat.

Horret factum quisquis cogitat Mosen ab ingressu Terræ promissæ fuisse prohibitum eo, quod jussus aquas è rupe elicere, de effectu tantisper dubitasset, quod quidem gravis culpa non fuit. Filium Dei, qui talem esse negat, quomodo terram viventium intrabit? Ab Opificum exemplo pulchre disces, neutiquam imperitis licere de opere sibi ignoto judicium ferre, nec enim omnis ignis omne metallum examinat. Quantovis nisu sese intendat indoctus, doctus illo major erit. Quid jam? Si hominis de homine judicium nutat, supremi Judicis sententiarum examen sibi quis arroget? sive suis admonitionibus summum credat indigere monitorem? Qui laborat oculis, collyriorum compositionem non examinat, simpliciter sibi profutura credit, ferro se lacerandum cæca expectatione committit, nec refugit caustica, quantumvis sentiat acerbissima. Mirum sane, quod quum nemo codici non credat, ex quo Medicus medicamenta petit & applicat, quumque ipsi Medico assentiamur omnes, suadenti, ut de suis ordina-

dinationibus minime dubitemus, præſcriptaſque ſecuri ſumamus medicinas, neq; corpus depaſcente lue, ab hujus curatione animum ad vanas diſceptationes avocemus; Divinam econtra ſacrarum ſcripturarum auctoritatem nec dum potuiſſe pleriſque veram de Filio Dei ſententiam approbare.

SERMO LVII.

NUllum eſſe puto, qui ipſe ſe penitus noſcat, & quaſi manu tangens, ſua plane percipiat: alioquin exponat nobis primùm, quomodo, & ubi tanquam in theſauro longo collectas ſtudio diſciplinas ipſe recondat? deinde quomodo ex eodem ærario, quas ante legit ſcripturas reddat nuſquam prope inſiſtens, nunquam hæſitans? unde ipſi vis tanta, ut quæ ſunt diſperſa recordatione cogat, amplificet commentatione? poſtremum quid iſtuc, quod otio deſidiaque deteritur, & hebeſcit? Quidquid hìc audis, miraculum eſt. Supremæ poteſtatis tuæ, Domine, inſigne iſtuc opus eſt, tuæque ſapientiæ teſtis.

Adytum iſtud intrare ejuſque thalamos introſpicere nemini hactenus licuit; nemo hucuſque explicuit, quomodo pateat in animo capacitas tanta, quam immenſa rerum congeries non exæquat, imo vero dilatat etiam ac ampliùs fundit. Memoria hæc eſt, qua quid admirabilius excogitari poſſit non video! Infinita percipit & reddit, nec tamen acceptorum copiâ redundat, nec ubi ea regeſſerit, minùs opulenta manet. Quum in ea nihil ſit, omnia continet. Ipſam nemo comprehendit, quum incomprehenſa ſit qualis ille, cujus eſt imago, Deus ipſius auctor. Rerum verborumque multitudinem formâ ſenſuque diſcrepantem, & numero infinitam concipit, & conſervat ſine labore, & optima fide reddit. Nullus in ea vacat locus, nec enim eſt; in ipsâ tamen omnia locantur ſuis contenta vocabulis. Nec inde ejus ſpatia contrahuntur, nec deteruntur vires. Nemini huc patuit aditus, nec ullus penetravit ad illa, quæ dixi, rerum verborumque receptacula: hæc nimirum non ſenſu, ſed mente cernuntur, quare extra intellectum, & illam ſummam eſſentiam omnia complectentem, fruſtra petuntur. Haud aliter in ſinu veri Patris Filius verus concipitur, & eſt, adeo ut nec iſtum, nec illa ſenſus aſſequatur, aut locum diſcernat.

Somnus Animam a corpore non ſeparat, id omnes norunt, qui ſomnum a morte diſtinguunt. Corpore ſopito illa ſimulacrorum artifex imaginatio in omnes ſe verſat partes, vagatur & errat: diverſoria perpe-

perpetuo mutat, ut quò diverterit, aut ubi modò verſetur, deſignare non poſſis : & quamvis corpore claudatur, eam Mundus non capit,. adeo tota ubique intereſt, & ſupereſt. Aſpice dormientem, ubi ſomnus oppreſſit, conquieſcit, vagatur tamen, ac omnia ubique loca diſcurrit. At ſi Animam ſua ſomnia huc illuc volitare compellunt, quis mentem inſomnem cum illa ſimul errare cogit ? Præterea quis, diſcuſſo jam ſomno, ſua ſomnia recogitans, explicet, quomodo oculus clauſus objecta per ſomnium vidit ? vel quomodo ſuos non videt errores mens experrecta & vigilans ? Multa ſunt hìc, quæ jure mireris.

Quum rationis uſum ſomnus ademerit, quomodo Anima per ſe, & in ſe, & contra ſe ſomnia fingit, & quid eſt, quod fictis imaginibus illudi ſe minùs advertit. Sed & qua facultate ſua ſomnia retinet & reminiſcitur, dum evigilet pars ſui altera, ratio videlicet, & mens omnium ſenſuum magiſtra. Poſtremum quomodo pars parti viſa inſomnia referat, quum utramque ſimul ſomnus oppreſſerit ? Quod in Anima ſupra notavi, in Sole miraculum ſimile obſerva, conſtitutam ſuis meatibus ſemitam ſupra ſe habet; non pedes, non pennas natura dedit, nec motrices facultates. Suo libratus pondere ſe ſuſtinet, nec labaſcit, nec quadrupedum inceſſum imitatur, nec volucrum, nec natantum ludos, ſed certo & uniuſmodi motu perpetuo fertur. Nihil hìc cernis, quod non omnem vincat admirationem.

At tu ſole longè admirabilior mens corpori incluſa mortali, ageſis indica locum, ubi tuas recondis opes, quave Animæ in parte ſedes ? Quid ? num tu Animæ inextinctus fulgor, aut rivus es perpetuo emicantis ſcatebræ ? Rurſus ediſſere, quonam aditu ad intimos cordis receſſus tui propagantur motus ? Tuque Animus ex tua ratione deducito, quam admiranda, & auguſta ſit Dei ratio, ſeu Verbum Divinum. Etenim ſi tuam rationem rem utique ignobilem, & obſcuram adumbrare neſcis, quid reſtat, quam, ut ſilentio in poſterum venerari ſtatuas, Creatoris tui Verbum, planè perſuaſus, ejus Majeſtatem a tuo ſenſu, cogitatione, intelligentiaque eſſe remotiſſimam.

SERMO LVIII.

Alterum ecce tibi ſpectaculum præbent, quas arbores bibunt, aquæ : obſerva quot illæ induunt formas,

formas, quoties supremi Rectoris jussu statum & ordinem variant, seu quum ad ædificiorum firmitatem & ornatum dolantur in trabes, ac tigna; sive quum construendis pontibus, ac navibus tabulas & asseres ministrant: sic aquas, ipsismet auxilia suppeditantibus, subjugamus. Tuæ, Domine, istuc sapientiæ munus acceptum referimus ac testamur. Tactum igne lignum fundit fumum, quis hunc dissipatum & per aëra vagantem assequatur? Lignum siquidem ignis ardore solutum, etiam sensum fugit, ut nec manu teneri, aut oculo discerni possit. Initium huic surculus dedit, finem ignis, sepulturam mens nostra sola talium transformationum admiratrix. Profectò qui locum indicet, ubi tandem desederint exhalationes specierum odoratarum, nullus est, vel hostiarum crematarum nidor, aut vapor materiarum, quibus domesticus alitur foculus, quis tandem hujus negotiationis exitus? num fumus alio corpore excipitur, ut, ipso corrupto, aliud generetur corpus, aut in nihilum recidit, ut rebus in omnibus rerum omnium Dominum admiremur?

Servus si conservum diligenter quærit, vix unquam non invenit, nimirum, qui creaturam persequitur, facile assequitur; rem quippe petit sibi cognatam, rerum autem Dominum, ipse modò latere velit, quis, quibus indiciis invenire speret? Compara Dei lutique vocabula, quid luto despicatius, quid Deo augustius? Contemnendus adhuc magis est, dum scrutari conatur sui Opificis naturam homo cùm sua nomenclatione, tum verò conditione despiciendus. Insanit profectò, qui disputat, utrùm creaturæ vocabulum Creatoris nomini comparandum sit, at nec sanus ille sit, qui trutinam commentus, cum Creatore creaturam compensat, nec discernit, quantum conditis rebus præponderet adorandus Conditor rerum.

Rupto sæpe jacebit corpore, quisquis viribus majore nisu se ad altiora intendit. Altissimus quum vellet ad immensam suam altitudinem nos attollere, Zachæo se submisit. Quum statura pusillus ille in alta consedisset arbore, benignissimus illac Dominus transiturus, sua majestate indignum non credidit, ejus sub pedibus incedere. Tu vero isthæc meditare exempla, tuisque referre moribus satagito. Loquere, ut prosis, materias tracta, ut doceas, scripturas interpretare, ut juves, disputa, ut corrigas, Ethnicis insistito, ut vanos cultus abjiciant. Judæos redargue, scripturas ipsorum scrutare, & objecta diluito, sanctâ pueros imbue disci-

A disciplinâ, simplices instrue, & erudito rudes, testare Dei beneficentiam, qui te tuosque liberaliter alit, tuetur & conservat, agnosce justitiam, amplissima mercede tuos remuneraturam labores: prædica ipsius æternitatem, qui quum non existeres, e nihilo eduxit te: amplifica ejusdem fœcunditatem, qui te in filiorum suorum numerum cooptavit, ejus opperire regnum, ad quod nunc etiam te invitat, & ad mensam, quam tibi offert, aspira.

B At te, temerarie disceptator, quis interim absolvat convictum reum, dum tam bene de te merentem tuis incessere disputationibus non cessas? Prostat in libris veritas, quæ delectat, maria condunt opes, quę alliciunt, sua te suavitate prolectant esculenta & poculenta, nec ipsa ciborum abstinentia sua voluptate caret; his & hujusmodi incumbito vilis homo, quid ineptè te ipse

C crucias, studioque molestissimarum quæstionum te ipse fatigas? Interim dum Filius Regis Operariis suis regium ærarium clausum manere jubet, perniciosus componitur error, temerarii & perversi quidam homines hunc Filium regis esse negant, Regis potius servum, suumque proinde conservum appellare malunt: unde deducunt, coronam ei precariò datam fuisse, nec porro illum naturâ, sed gratiâ cæteris pręcellere. Rex noster regisque no-

D stri Filius suos nobis aperuit thesauros, regiasque profudit opes, geminos obtulit Mundos, alterum transeuntem, alterum manentem: attamen quia donum quantumlibet exaggeratum regis amorem minime æquabat, suum idem Filium quæsivit, nobisque dedit, dedit, inquam, ut ipse se morti dederet, & moriendo nobis vitam acquireret.

At quænam (malum) ista fuit amentia, quæ

E nos in hasce difficultates conjecit? quisve nobis invexit disceptationes molestissimas, damnosas curas, errorum colluviem, extremum malorum? Quis pro caritate obtrusit invidiam, pro bonæ mentis ingenuitate mali animi vitiosam æmulationem? quem reris alium præter Diabolum, qui quum videret bonum Deum bonitatem suam nobis nullo nostro merito profundere, illum de nobis gratis benemerentem sic æmulatus est, ut

F itidem gratis odio nos haberet, & perderet. Quod si posthac Diabolus nos instigare pergat, ut in Salvatorem nostrum inquiramus, repellito: apage hinc, dices, nequissime, quin illuc abis, ubi, quæ disquiras, habes non pauca: perduelles prius, cæloque ejectos Angelos reposcito, socios nempe tuos, damnatos deinceps examina spiritus, tuos videlicet affines. Gehennam revisito, metire rogum tibi succensum, tenebrarum etiam procellam inibi tibi tuisque præparatam diligenter explora. SER-

SERMO LIX.

Gen. 26. 21.

CONsecratos ad nostram expiationem fontes, nostræque reconciliationis fluenta in aquas *contentionis & inimicitiæ* convertit in duas divisa acies disceptantium turba, amplam inde nacta rixarum & contentionum materiam. Judæus in deserto litigavit, litigant in Ecclesia Gentiles. Hebræi ad aquas juxta mare rubrum contenderunt olim, nunc Ethnici ad Christum conversi intra Sanctuarii adyta simili furore rixantur, hoc habeant illi; nos verò ob provisa nobis expiationis Sacramenta tuam, Domine, caritatem prædicare nunquam desinemus. Rari jam sunt, qui sociis litem non moveant, nec insistant, ut prodant Baptismi sui ministrum, & locum; quotus quisque prudens ac modestus est, qui amicum non moneat, & obtestetur, ne a tali Sacerdote talis communionis Baptismum suscipiat? sic reconciliationis nostræ Mysteria in jurgiorum argumenta vitilitigatores isti transtulerunt.

Spiritum sanctum in Baptismo invocamus: contradixere Novatores: rixantur, & delirant, hunc reliquis Divinis Personis æqualem esse negant, aut rebus corporeis majorem. Quis isthic homo lutum, qui Spiritui sancto obtrectat, & humilem corporum conditionem affingit. Hic certe corpus nunquam assumsit; nec in ipso vitium aliquando Prophetæ notarunt, aut Apostoli defectum, nec servum hunc subjectumve prædicarunt, aut creatum ordinatumve, uti Filium, dixerunt; sanctus quippe Spiritus cuncta transcendit corpora, & infinito excessu rebus omnibus excellit. Et sanè si decebat, ut Prophetæ & Apostoli Patris & Filii & Spiritus sancti naturam nobis scripto traderent, sique Patris naturam indicarunt, hoc ipso, quod omnia ab eo condita fuisse prodiderunt, ipsumque proinde a nemine fuisse productum: rursus si, uti ipsi Novatores effutiunt, Filium ab ipso procreatum fuisse scripserunt, nec esse proinde naturâ Deum: mirum si tertiæ Personæ notitiam nobis invidere voluerunt, ut quæ, qualisve sit ejusdem natura, nobis occultam manere statuerint.

Suetus Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti nomina recitare, nulloque errore memoriter reddere & numerare potin' est ista ignorare? atqui oporteret, ut isti disceptatores, qui vocabula referunt, res vocabulis designatas exponerent. Quæcumque ergo de Divina natura scripta

A ſcripta ſunt, legant, ac teneant, quæ autem ſcripta non ſunt, non requirant, ſed ingenuè fateantur, divinarum Perſonarum naturam arcanum eſſe inexplicabile. Eo autem, quod Trinitatis arcanum Spiritus nobis obſcurum manere voluit, planè oſtendit, non oportere, naturam Patris & Filii & Spiritus ſancti perveſtigare, quum id ſcire parùm noſtrâ interſit, plurimùm verò conſiderare B divinæ bonitatis erga nos profuſam liberalitatem; quomodo videlicet omnibus argumentis, perque omnes occaſiones de nobis benemereri cupiat.

Hoc ergo tibi non ex opinione, ſed ex veritate perſuaſum habeto; quidquid vel ſcripto, vel verbo traditum eſt, divinaque proinde nomina & nuncupationes in eum collimare ſcopum, *ut vitam* C *habeamus & abundantiùs habeamus*; quare nec ad inutilem diſceptationem eſſe detorquenda, neque iis abutendum ad excitandas futiles de divinarum Perſonarum proprietatibus & naturâ quæſtiones: ſed ut perſpiciamus opidò quam eximia & ſingularis ſit illarum in nos caritas & amor. Teſtare proinde Spiritum ſanctum incorporeum corpoream ſubſtantiam nunquam aſſumſiſſe, incomprehenſum eſſe, nec D noſtris explicabilem verbis, nedum abſurdis fabulis, quæ de illo a Novatoribus diſſipatæ, in vulgus manarunt. Domini noſtri loquere divinitatem, atque humanitatem. Hæc nimirum vocabula divinæ ſcripturæ in aures hominum loquuntur, & inculcant.

Jo. 10. 10.

Verbum Dei auctor eſt pacis, omniaque pacificat, noſtro nos vitio nobis E inde conflamus bella & pericula accerſimus. Dei verbo inhærere piget, fugimus nimirum ejus conſpectum, in quem peccavimus. Dum autem ejus auctoritate abutimur, fratrum pacem turbamus, idiotas & ſimplices corrumpimus, perdimus. Sic, captâ ex Dei verbo occaſione, in mutua odia exarſimus, nobiſque ipſi exitium paramus. Limpidum rivum ab illo defluentem fonte, quem extraneus F nunquam infecit humor, turbarunt ſuis Novatores diſceptationibus. Turbatas aquas bibit grex pacificus, continuò turbavit pacem, lutulentæ profluentis ſordes rivos illimis ſcatebræ inquinarunt: inde turbulentum hauſere liquorem Paſtores primi, deinceps oves, hinc nata ſtatim diſſidia greges a rectoribus diviſerunt. Nec jam oves a Paſtoribus paſcebantur, qui potius ſeipſos paſcere volebant: idcirco quod craſſum erat occi-

debant, quod infirmum erat non conſolidabant, & quod ægrotum erat non alligabant, & quod abjectum erat non reducebant, & quod perierat non quærebant. Ezechiel malum, quod præſens vidit, ſcripſit; quod futurum præſagiebat, adumbravit: non eſt cur dubites, non dubitabilis facti plures habebis teſtes. Obſtrue, Domine, ora loquentium iniqua: *Et pone cuſtodiam ori meo, ne declinet cor meum in verbum malitiæ*.

Ezech. 34. 4.

Pſ. 140. 3.

SERMO LX.

QUid? quæ cauſa impulit illum, qui verè Pater eſt, & cuncta creavit, ut genitoris & geniti, parentis & gnati vocabula uſurparet? Quid? num nobis imponere voluit, aut ſibi decus inde quæſivit? iſtuc profectò ſuſpicari impium & nefarium eſt; nec unquam per ora feratur, oro, illorum, quibus eſt amica veritas. At tu, qui talia blateras, tua te falſum dicta redarguunt; etenim ſi ille, quum in veritate Pater non eſſet, talem ſe finxit, quis, cedo, arcanum hujuſmodi nulli intelligentiæ non occultum detexit? Quis omni ævo antiquior illud propalavit, ut vulgata per Orbem ejus notitia, jam a pueris per vicos & fora celebretur? Quiſquis Scrutatorum cauſam defendis, loquere, ſi quid habes. Quid tandem dices? Num fortè Creatorem nunquam ſeipſum negaſſe, ut Patrem ſe eſſe fateretur? Satin' tibi hoc certum eſt? effare ergo, in qua lance ſuſpenſa volvuntur ſecula, ſi in ejus appenſa non ſunt ſtaterâ? & quis iſtuc crederet, niſi ſeculorum auctor diceret, ſe ſecula feciſſe per Filium? Jam ſi Filium ab eo propriè, verèque genitum inde diſcimus, quod talem hunc ipſe Pater appellavit, aſſeruitque ipſum ab ſe progeneratum, meritò, quem tu precarium, nec verum parentem dicis, nos verum & naturalem genitorem, ipſomet docente, profitemur.

Hebr. 1. 2.

Et quoniam quod Novatores negant, Prophetæ & Apoſtoli diſertè affirmant, talem videlicet hunc eſſe, qualem dicimus Dei Filium, alterutrum tenere cogimur, vel temerarios iſtos diſceptatores vera fuiſſe locutos, proinde Prophetas & Apoſtolos erraſſe, vel ſi credimus, homines a Deo vero miſſos vera nunciaſſe, protervos hoſce Sophiſtas repellere debemus,

[Syriac text illegible]

mus, velut homines falsos & falsarum opinionum Satores. Prodant ergo Novatores disciplinæ suæ principes; nec enim ea concordat cum regula fidei, quam tradidere nobis Interpretes veritatis, per quos locutus est Spiritus; hujus afflatu concitati, nec in suis scriptis ab invicem discordant, nec secum in suis dictis pugnant. Itane vero silentium indicitur veritatis patronis, ut interim temerarii quidam nugatores insanire pergant? Sed etsi isti furere non desinunt, nos certe illum semper laudabimus, qui talium hominum impudentiam confudit.

Revereamur, obsecro, veritatis interpretum auctoritatem, ut nefas esse putemus nomina refigere, quæ Deus Filii sui propria esse sancivit: ipse quippe testatur, se illum *ex utero genuisse*, adjecitque hujus partûs rationem non esse vulgarem, non usitatam, sed insolitam, singularem & admirabilem, adeo ut quamvis nostra proles ex nostra generetur substantia, illius tamen adorandæ generationis vix umbram referat. Hoc itaque ratum ac certum de Filio Dei statuamus, hunc ex Patris utero seu substantia esse progenitum, & ex ipso manare velut ex arbore fructum.

Ps. 110. 4.

Rerum Dominus immundum spiritum nomen prodere suum jussit, nec ille talem se esse negavit, qualis in veritate erat, quemadmodum nec ipsi perduelles spiritus Domini nomen reticuerunt, ut Scribas suæ perfidiæ tandem puderet, qui Salvatorem Mundi cum creaturis confunderent, quem ipsi cacodæmones Dei Filium prædicabant. Scilicet ex vocabulo legionis quod sibi fecerant proprium intelligebant, quod etiam testati sunt, rebus convenire nomina suis: quum ergo Salvatoris nomen ipsius Patrem repræsentaret, quod inde conjectabant, proclamarunt, Dominum nostrum esse Filium Dei. Cæterum si vocabulum mortali ejus naturæ inditum afflictos recreabat, quantâ nos consolatione permulcebit Dei nostri nomen?

Quæ audis Sancto attributa nomina cum re significata compara, statim animadvertes, huic illa ad amussim congruere, ut puta, vocabulum æterni ejus æternitati optime convenire, justi justitiæ, & bonitati boni. Ubique nomen res ipsa sequitur; cedo, cur fœcunditatem a proprio vocabulo discedere dicis, & illam ex se genitam prolem habere negas? Nemo profecto non videat, quam bene conve-

conveniant nomina rebus, modò scripturas evolvat; illic nimirum occurrunt inprimis primi hominis vocabulum Adam *terrenus*, nomen videlicet ab humo, ex qua decerptus fuerat, derivatum. Heva *vivens*, ex eo sic dicta, quod mater viventium futura esset. Phaleg *divisit*, ex divisione gentium linguarum confusionem mox secuturâ. Isthæc pariter confusio Babyloniæ, ubi accidit, nomen dedit. Et quoniam huc appulimus, ubi nobis occurrit vocabulorum confusio, hanc, oro, ab animo simul & ore removeamus, nominaque tria triplici voce ex proprio ordine distinguamus. Et quidem ex iis, quæ apud Babylonem acta narrantur, liquet, ad confundendas artificum in eo ædificio tres convenisse personas, sic enim loquitur Deus: *Venite descendamus &c.* Ad unam singularem personam id nemo dicere potuit, dicendum enim fuit, veni, descendamus. Simul hìc Diaboli astum observa, qui hominum linguas olim confudit, simili post arte, non dissimili exitu turbavit Ecclesiam, susquedeque omnia permiscuit.

Gen. 11.7.

Enimvero quis non stupeat factum, ut error ex nostra mala valetudine tantopere invalescat? & nunc quidem exasperatur, glíscitque morbus in dies: verumtamen, si converso rerum statu, concordia redintegraretur, & mutua caritas refloresceret, quis sibi nos parere cogeret invitos, quandoquidem fides nostra cælum terramque ligat & solvit?

SERMO LXI.

Stupuit, qui Domini non horret minas, molarem comminantis lapidem hominis cervici, qui causam offensionis cuipiam filiorum lucis præbuisset. Enimverò quicumque obscuris involutisque disceptationibus simplicium mentes implicant, ipso, quo feruntur furore, velut molari lapide gravantur, cujus immani pondere pressi, in eos tandem quæstionum fluctus mergantur, unde nunquam emergant. Hunc scilicet commeruere exitum, qui pium odere silentium, vitiosamque curiositatem cæcam ducem secuti sunt. Quisquis proprio spiritu ducitur ad disputandum de Patre & Filio, quum ambo inter se naturali nexu cohæreant, cogitur vel Patrem ad rerum creatarum conditionem deprimere, si Filium creaturâ majorem esse negat; vel hunc sustollere, Patrique dicere æqualem, ut ambos extra creaturarum ordinem locandos esse fateatur; alioquin Filium esse similem Patri etiam negare tenetur.

Præ-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

[illegible]

E [illegible]

F [illegible]

Præterea cui vocabulorum poteſtas prorſus ignota non eſt, placetque vera loqui, ac certa rataque negare, aut contradicere nefas eſſe putat, cogitet contrariorum contraria eſſe conſequentia, adeo ut ſi ex eo, quod Divini Verbi nomen creaturis commune facimus, conſequatur, Creaturarum nomen Creatori commune fore; ita ex eo quod Creaturarum nomen Creatori commune eſſe negamus, conſequens ſit, ut fateamur naturalem Creatoris Filium Creaturam dici non poſſe; ejuſdem quippe naturæ ſunt Pater, & Filius; ergo, quod Genitoris naturæ convenit, ejuſdem proli convenire neceſſe eſt; radius, puta, lucidus eſt; corpus namque, unde propagatur, luminoſum eſt, nec radius in partes ſectilis eſt, quia ſuo principio congener eſt, neque tenetur, quia nectitur ex ſui nominis origine, eandemque perfectè aſſimilat. Ex Patre diſce Prolem, ut ſi Genitorem creaturis comparem videas, genitum ab illis minime diſcrepare credas; ſin autem aliud Patri natura eſt, aliud rebus ab illo conditis, ineptus, ſtultus eſt, qui ſibi perſuadeat, Filium aliqua affinitate, aut cognatione ipſis eſſe conjunctum: vel ergo Filium a parente diſtrahat, ejuſque neget eſſe prolem, aut ſi aſſeverat eum ab illo progenitum, lite finitâ a foro diſcedat.

Vide & mirare monſtrum duabus compactum ſtirpibus, ambæ ſuas deſtituere naturas, propriaque nomina mutarunt, ambæ proinde carent fructu congenere. Stirps altera imperat, fructus ejus ſervit: ſervit altera, & fructus ejus imperat. Vere novo quos dabunt illæ flores? Ænigmatis interpretationem ex ipſo ænigmate ſic accipe. Si Filium dicis eſſe verum, veram ejus generationem negare non debes, ſervis accenſes, quem genitum non credis: reſtat, alterutrum tibi eſſe ſtatuendum; vel enim utrumque, genitum videlicet & generantem, in ſuo perſeverare gradu dicere debes; vel utrumque ab eo excidiſſe, nomenque cum natura mutaſſe. Rurſus ſi tibi Filii vocabulum creaturam ſonat, conſequens eſt, ut Filius & creatura, voces eſto diverſæ, tibi idem ſignificent. Atqui creaturæ nomen natura Filii certe non recipit, eoque proinde rejecto, ſuæ nomenclationis notionem a generatione repetit. Secus quæ creatura dicitur, talis non eſſet,

eſſet, & eum, quem genitum credis Filium eſſe negabis. At quanta hinc vocum rerumque confuſio ſequetur! Si quidem adverſarius modò ſibi conſtare velit, cogitur, Filium dicere a Deo ſimul genitum, ſimul è nihilo eductum; & ſic eò tandem delabi, ut adorandum Filii Dei nomen ac religionem velut vocabulum fictum, & inane figmentum refigat & reſcindat, quod avertat Deus malum. Scilicet medium tenere nequit, qui ſemel ab officio deſcivit.

Quis alius Moſi animus, quis ſenſus fuit? quum ſuum licet illi Deus accommodaſſet nomen, cæleſtique lumine colluſtraſſet, Divinitatem tamen ſibi nec arrogavit, neque paſſus eſt populares ſuos falſa aliqua religione ſeduci; quumque in ſolitudine a Dei cultu declinaſſent, idololatras acerrime objurgavit, & ſeverè punivit, nec ullam poſthac occaſionem, eos a ſimili errore avocandi prætermiſit. Poſtremum è vita deceſſurus, adverſus refractarios Cælum, ac Terram citavit, ſtatuitque ſanctæ religionis teſtes. Quæ rurſus mens alia fuit, quiſve ſcopus Apoſtoli, ejuſque Collegæ, tum quando quidam admiranda ipſorum opera æſtimantes, illos credebant eſſe Deos, eiſque thura parabant, & victimas? ambo enimverò impiam religionem execrati, conceptum ex eo facto dolorem & iram, ſciſſis etiam veſtibus, declararunt, ut qui mallent obteri lapidibus, quàm divinis honoribus coli. Nec alia ſane Joannem impulit cauſa, ut Judæorum legatos Meſſiæ nomen, & honorem ultrò deferentes, repelleret. Atenim ſi Joannes conditione ſervus Dominum ſibi congenerem credebat, idem tantus vir, ſanctiſſimus & veraciſſimus, a ſuis utique moribus diſceſſiſſe dicendus foret, & pro veritate grande mendacium obtruſiſſe, quando palam & publicè proteſtatus eſt, Jeſum ſuum Dominum eſſe, Deique Filium, quod quidem magni Joannis de Domino teſtimonium hodie quoque Orbis recinit univerſus.

Quid adhuc quæris? cur Gabriel Danielem divinos ſibi honores exhibentem rejecerit; cur Eſajas nunquam audiverit quempiam ex ordine Seraphim Filii Dei titulos nominaque uſurpantem? Scilicet non fallit Angelus, non mentiuntur Seraphim, veridicus eſt Apoſtolus, nec nobis impoſuit, quando affirma-

firmavit, vulgavitque, hunc eſſe ſuper omnia Deum. Attende quod dico: ſi quod de Filio Dei credimus, fabula eſſet, deprehenſum convictumque mendacium olim ſuccubuiſſet: ſola veritas potuit quaquaversùs ſe porrigere, latiſſimèque propagare, ut Orientem pervaderet, occuparet Occaſum, Boream obtineret, & ſubigeret Meridiem; Hæc Inferos penetravit ac vicit; ad Superos aſcendit & ſedit; ubique & ſuper omnia regnavit.

SERMO LXII.

SUB ipſa Mundi primordia noſter nos ſocius ſeduxit, adegitque noſtris conſervis divinum adhibere cultum. Afflictis ſuccurrit communis omnium Dominus, exemit vincula, plenamque reſtituit libertatem. Sic ejus munere nos ſervi eſſe deſivimus, unde cœpit ille noſter eſſe ſocius; ſed & inſuper reliquas creaturas velut uſurarium fundum nobis attribuit, poſtquam inventa noſtra rejecimus. Inde cœpimus adorandum Patrem per adorabilem Filium ſanctè venerari & colere. Hanc tu, Domine, lucem nobis impartiiſti, beneficium agnoſcimus ac teſtamur. Adamus cunctis animantibus impoſuit nomina (res nota eſt) approbavit Dominus, quæ ſervus invenerat vocabula, ſcripſit, & in communem ſermonem induxit poſteritas. Nunc verò quidam Adæ nepotes contentionis cupidiores, quam veritatis, rata Filii Dei nomina in dubium & controverſiam vocare audent, nec verentur refigere titulos, quos & Deus ipſe fixit, & eorum auribus intimavit.

Viam ſe Dominus dixit, quia nos ad Patrem reduxit; & Oſtium, quia ſuum nobis inire regnum conceſſit; Agnus item appellatus eſt, quia pro nobis occiſus, peccata noſtra expiavit. Res, ut vides, nominibus reſpondent. Quemadmodum ergo ſua nece nobis ſalutem aſſeruit, ne nudum ſine re nomen aſſumſiſſe diceretur; ſic nunquam, ſe ille Filium Dei appellaſſet, ſi a Deo genitus non eſſet. Ea quippe nominum ratio eſt, ut res, quibus imponuntur, repræſentent, ſeque ipſa quodammodo interpretentur; ſic citrà controverſiam opus Opificem prædicat, Creatorem creatura, fictile figulum indicat, genitus genitorem. Qui hujus ratiocinationis vim poſſit infringere, nullus erit.

Voca-

Vocabulorum confusio ipsa se rerum perturbatricem accusat; quum omne nomen suæ origini aptissimè congruat, eamque sequatur, ut puta artificem artefactum refert, renunciant Conditorem conditæ quæque res, & parentem proles indicat. Eho an tute intellexisti nominum hanc esse naturam? Quid ergo? num vocabula cæterarum rerum certa rataque manserint, & unum Filii nomen interciderit? Certe nunc hìc te ipse fallis. Non nobis illius nomen periit, qui nos pereuntes requisivit, & inventos cò reduxit, ubi non perire possemus. Iterum ex hoc capite premendus est adversarius. Tu qui nostra distringis dicta, edicito, utrùm sicuti nemo disputat, num creatura talis sit, qualem ipsa suo se prodit nomine; sic tutè credas consentaneum esse, ut Dominus noster, quem Dei Filium nemo non prædicat, uti nomine, sic re talis sit, qualis suo præfertur nomine. Enimverò si negas, perge porrò, & mentire, nihil esse in rebus præter nomina inania & nudas voces.

Si quis dictus est genitus, quum nullum haberet genitorem, ficta dices amborum nomina; ambo quippe suis a vocabulis dissident: non sic fructus a propria arbore discrepat, ambo reapse tenent, quod sua præferunt nomina. Nemo geniti vocabulo servum intelligit, nec Filii Dei nomen creaturam sonare potest, fructus ex suo sapore distinguitur, ac si dulce cum amaro confuderis, ut synonyma dicas, rerum omnium vocabula pervertes. Sed enimverò quis adeo insanus sit, ut rata supremi rerum Domini nomina retractet? in contrariam sententiam retorquenda putet? Cæterum non eo, quod homines quidam divinas aliquando appellationes adepti sunt, suas exuisse naturas dicendum est, ut totam attributi nominis potestatem induerent; propria siquidem suæque naturæ insita nomina revellere ipsorum nullus potuit; hæc autem, sicut ignis metalla discernit, sic veram eorum conditionem declarant. Tu verò, qui Filium absolutè appellas servum, dum nobis congenerem facis, te ipse fallis; si enim Filius est, idem & Dominus est, & noster verus Deus.

Sed est adhuc, quod mireris. Profectò si qui summi dicitur Parentis Filius, idem etiam est servus, talem fecit genitor, hoc ipse dicis, vide jam quàm sint præclara iis, quæ posuisti, consequentia! Restat ergo, ut dicas Filii Dei ex Maria originem illâ fuisse illustriorem, quàm

[illegible]

A quam ex Patre trahit: verum siquidem hominis fratrem origo materna fecit, paterna nec hominem, nec Angelum, ergo serpentibus & jumentis congenerem fecit. Uti nemo ficta dicat supremi Veri nomina, quandoquidem ejus potestatem suspiciendam, & admirandam, ipsa, quæ audit vocabula, manifestè declarant; sic nullus erit, qui geniti ac Filii nomina commentitia non credat, si a verâ & pro- B priâ notione defecisse reperiat; item quia creaturæ vocabulum veram ejus conditionem explicat, consentaneè ponimus, istud vanum non esse, & rectè arguimus, inde fluentes appellationes esse veras. Sic unummodò Filii nomen suam proprietatem conservare non potuit! Non istuc, crede, propriam significationem amisit, nos, qui id fingimus, sensum C amisimus.

Quis istìc homo, cui non sapiunt rata Patris & Filii, ac Spiritus nomina, à quibus fatui sapere ceperunt, & apte loqui? siqua vox a propria excidit notione, id ex adjuncto patitur: nomina dumtaxat Patris, Filii, ac Spiritus propriam significationem non variant, quum nihil ipsis affine sit, ut cum iis componatur & constet. Quod si eadem D dividas, quis nostræ expiationis lavacrum suscipiat, hisce dedicatum nominibus, si nimirum audiat ab invicem distracta? aut quis nudis sine re vocabulis fidem auctorabit suam? Apage nugas: Divinæ hypostases ab invicem non dissident, nos enimverò a veritate dissidemus, qui ejusmodi dissidium induximus. Nec enim Pater esse sine Filio E potest, nec Filius a Patre secerni; siquidem nec Pater nuncupari potest sine Filio, nec Filius potest sine Patre generari. Insanit quisquis vocabula societatis & unionis scindere ac distrahere molitur. Postremum quis non rideat ineptè garrientem, suis se Creatorem posthabuisse creaturis, adeo ut istarum quidem naturas propriis nomenclationibus coæquaret & conjungeret, suum contra nomen F a sua notione omnimodè distraxerit? adeo sua rebus omnibus aptantur, & congruunt vocabula, easque quodammodo convestiunt & ornant, unus dumtaxat Pater, & unus Filius proprio nomine nudantur. Novatores enimverò omnium nomina rerum per omnem modum falsa fecerunt.

SERMO LXIII.

SEnsu carere dices, fili, eum, qui nec dum advertit cognomenta ex aliquo eventu contracta, in negotiis alicujus momenti usurpari non solere; testamenta scilicet, contractus, quæstiones, & cætera hujusmodi voces translatas, & a propria notione deflexas non admittunt: quæcumque ponunt vocabula in proprio & usitato sensu intelligenda proponunt; ea quippe in actis hujusmodi intersunt circumstantia & consequentia, ut verba velut sigilla ad obsignandam veritatem apposita videantur. Hinc facilè quisque perspiciet, non esse distrahendas a propria notione voces, quas Dominus postera die Cruci suffigendus usurpavit, quando suum disertè Patrem dixit, eique suos Discipulos orphanos mox ipso decedente remansuros commendavit. *Pater*, inquit, *serva eos*, quam nuncupationem divinæ originis indicem rursus mirabili extincti Corporis sui ad vitam reditu testatus est, ac velut apposito sigillo firmavit. Sic enimverò propriam sui nominis notionem, quasi aurum igne probatum per universum Orbem Apostolorum operâ vulgavit, suorum Credentium mentibus inserendam. Hanc ipsam vocum proprietatem perindè fateri cogimur in iis, quæ in Cruce pendens locutus est; Deum siquidem tum quoque suum appellavit Patrem, eique carnem & spiritum suum commendavit, ea vocis contentione & efficacitate, quæ sola ejus a Deo Patre processionem faceret testatissimam; nam & sepulcra penetravit, & interiora templi adyta patefecit, auctorem necis suæ populum dispersit, congregavit gentes, eisque suam divinitatem sic approbavit, persuasitque, ut Deum faterentur verum a Deo vero genitum. Testis vox illa fuit, clamavit, testimonium dixit, se vindicem stitit, scripsit, & obsignavit, illum non esse servum, qui ad Patrem suum profugiebat.

Jo. 17. 11.

Quum Centurio vir cæterà prudens Domini in Cruce pendentis custos designatus, cuncta diligenter observaret, ubi animadvertit ad supremum ejus cum Patre colloquium, terram, velut deficiente naturâ, contremuisse, & contenebrasse Solem, Divinitati Domini testimonium Inferis Superisque perhibentibus, suum ipse adjunxit, conclusitque illis verbis: *Filius Dei erat iste*. Et ista quidem nobis Dominus suspicienda & admiranda dedit, quo tamen ab

Matth. 27. 54.

A ab ipso mitissimum ejus ingenium discere-mus, nullam ab illo nomine *Qui sum* nuncupationem sibi composuit, posthabuitque illud cognomentis, quæ ex operibus gratiæ contraxerat; hujusmodi quippe vocabulum eo, quo sempiternam & præcellentem Majestatem connotat, grande aliquid & sublime sonabat; quare nec unquam Creaturis illud usurpare licuit; natura siquidem ex omni æternitate per

Exod. 3.14.

B se existens, proprium nomen est Divinitatis singulare & incommunicabile.

At verò quis istud non admiretur nomen, aut quis non magis hanc obstupescat caritatem? & illud quidem præcellit, & supereminet omnibus, ista vero ad omnia deducitur. Quoniam verò alia ei occurrebant nomina suavissima suisque creaturis congruentia, quæ si ipsis commu-

C nicarentur, splendidis eas appellationibus decorarent, istas assumsit, suisque ovibus bonus Pastor aptavit. Suos itaque servos Superûm, Inferumque rex regali nomine ornavit, & quum idem sit Deus, Deos dixit, Judex judices instituit, & quum iidem viatores sint, ipse fatigatus ab itinere credi voluit; sustinuitque jumento vehi, quod eos carpentis rhedisque delectari conspexisset, ut nimi-

D rum per omnia similem nobis se daret.

Atenimverò desipuisse oportet eum, qui vel levi suspicione duci se sinat, ut ex eo, quod homines nominibus Dei decorati fuerunt, unam esse deducat hominis, ac Dei naturam; tum ex eo, quod Dominus servorum suorum appellationes sibi accommodavit, arguat

E fas esse creaturas Creatori componere. Quum enim nos reges suo nomine nuncupavit, rem ipsam sibi retinuit, speciem nobis allevit, quumque rerum factarum effector ipsarum assumsit nomina, naturam ipsis reliquit. Sic a propriis translatas discrevit voces, quas sibi ascivit, vel nobis accommodavit. Appellationes itaque, quibus per ineffabilem caritatem sapientissimus Nomenclator suos

F servos ornavit, non eo consilio sibi cum illis communes esse decrevit, ut futilium quæstionum inde argumenta desumerent, sed ut ab ipso exercitam erga suos liberalitatem, suavissime sibi gratularentur. Obstruamus, Fratres, oro vos, disceptationum scatebras, & ad referendas Deo gratias otia nostra traducamus, qui quum præsentem se nobis exhibet, tali studio nos complectitur, ut nobis compar & congener esse videatur, quumque a rebus om-

 nibus

nibus per omnia secretus & remotus sit, adest universis & cuncta permeat, & implet.

Cæterum si, facto divortio, se ille nobis subduceret, sua jam nomina suis ovibus communicare non posset, ac si nos tanquàm protervos a se procul abigeret, libri divinitus inspirati, laquei nobis, (quod nusquam factum) fierent, quos tamen idem ipse velut instrumenta ad extirpandas perniciosarum quæstionum radices, & impiarum disceptationum ulcera resecanda providit. Jam nunc quis satis mirari queat servos vecordes, perfidos de Domino optimo tam male mereri potuisse, postquam ille per Filium suum ad nos descendit, sua nobiscum arcana communicavit, suorum consiliorum nos conscios habere voluit, atque adeo liberaliter & humaniter nobiscum egit, ut nihil liberalius, nihil humanius, insuper ut suavissimos ejus mores degustaremus, degustavit ipse nostræ consuetudinis acerbitatem?

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

SERMO LXIV.

[illegible]

SEntes, Domine, precor evellito: hæc Diabolus semina sparsit, hujus agricolæ cultu crevêre zizania. Interea ejus excursores, dum vanis disquisitionibus nos vacare vident, gaudio exultant: nostris siquidem dissensionibus illorum convalescit in dies conspiratio, quumque non insideat domesticis concordia & societas, extraneis conciliatur, dissipatique coëunt, & in unum conglobantur, nobis quippe ab invicem mutuo odio discordiâque divulsis, vident domestico bello implicitis nullum jam vacare locum ad examinandas nostra fornace ipsorum fallacias, aut nostræ disciplinæ luce detegenda eorum vitia, vel testimonio veritatis reclamandum eorum decretis. Atqui hostibus nostrâ ruinâ exultantibus, quantus dolor, qualis luctus incumbit nobis, qui talia patimur! Sic ab officio in contrarium deflexímus! Nimirum in otio tumultuamur, in tumultu otiosi sumus, ubi tacere deberemus, præposterè clamitamus, & vociferamur; pisces sumus ubi apertè loqui, & peccantes liberè reprehendere jubemur. A vitiis nostris mentem cogitationemque abduximus, & traductâ ad Altissimum curâ, de ejus arcanis disceptamus. At qui disceptatores? homines nempe, qui nec hostem nostrum satis novimus, premit tamen, & assiduè nos vexat. Alioquin si huic sensus natura dedit, explica, cedo, quo ejusmodi facultates ordine illa disposuit, quem designavit oculis auribusve locum, quòd si os etiam eidem finxit, quî id factum

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[Syriac text illegible]

A factum dicis, si corpus negavit? Ac si formavit membra, horum compagem cur infectam reliquit?

Video, tibi hæret oratio in salebra, nec tamen alium reperies, qui maledictum Diabolum nos arcana scrutari docentem, quis, quidve sit, didicerit; utrùm videlicet totus totum hominem occupet, & quomodo propriæ mentis conceptus nostris sensibus insinuet, nostrisque voces suas in- B terserat, vel in nostram voluntatem inserpat, ejusque affectus solicitet. Vaferrimi hostis artes execramur, miramur tamen, simulque erubescimus, ab illo animam, cujus corpus invaserit, impunè ludificari, adeo, ut nec ejus illa adventum, nec moram sentiat, nec sui contubernalis tactum, noxium ne, an innoxium, mollem ne, an asperum explorare queat. Quin er- C go prius suum carnificem cognoscere studet disceptator ineptus, qui Domini sui arcana scitatur?

Quid? quod nec terram ille suis licet sensibus subjectam discernit, quum tamen ordinatissimè disposita sit velut ad amussim. Unde enim extundet, quomodo aristæ impleantur, indeque impleant areas, unde palmulæ liquorem hauriant suavissimum, uvæ vina diversa, & oleum D oleæ, proferantque arbores ramos, frondes, flores, poma & opobalsama fundant & aromata? Quomodo semina alantur, augescant, & pubescant aquis? percontare simul, quis harum scatebris humorem ministret, ut perenni fluxu semper decurrant? Scilicet Bonus, qui fontium conceptacula implet, idem ipse se toti naturæ profundit, ut cuncta sustentet & E vegetet.

Narra, si fortè vidisti terrestrem bestiam, Behemut appellant, aut marinum cetum nomine vulgato Leviathan, undenam corporis moles ista crevit utrique? quave saginâ pinguedo tanta coaluit, non enim liquet, quo vescantur cibo, quisve aliquando ad eorum cubilia pervenerit. Quum ergo supremi rerum Domini origo secretum sit omnium abstrusissi- F mum, & a nostra intelligentia penitus abstractum, quis fuit ille, cedo, qui in sinum summi Genitoris intulit manum magni partus indagator audacissimus? Constat preterea extare plurimas adhuc rerum species intra terræ, marisque sinus retrusas, quarum formas nemo perspexit, aut exprimere sufficiat; scilicet res omnes, objectâ naturalis scientiæ difficultate, clamant: discite Filii Adæ in vestro subsistere luto, & cælum non appetere, ut Divina scrutari aliquando desinatis. Ego

Ego ſanè a ſententiâ non diſcedam, nec unquam eò inducam animum, ut vulgi ſequar opiniones, conſentiamque novas inducentibus voces; vocabula ſiquidem audivi, nec in ſcripturis divinitùs inſpiratis uſurpata, nec noſtri digna Salvatoris majeſtate; examinavi, tandem laudavi, quæ ſacris conſignata literis reperi, reliqua rejeci; ne ſcilicet, non ſcripta quærens, quæ ſcripta ſunt, amitterem. Aquas rerum Conditor reperit, piſcibuſque dedit, aptum ipſis & commodum domicilium; Fidei regulam & normam morum dictavit ad hominum ſalutem, ſcripturas. Quadamtenus ſe mutuò reſpectant hæc duo, uti enim ſi piſces proprii elementi terminos tranſilierint, ſaltum propriæ naturæ negatum, nunquam impunè ferunt; ſic ſi quiſpiam homo ſibi in divinis ſcripturis fixos limites refixit, præpoſteræ curioſitatis auſum nunquam non propriâ ruinâ luit.

SERMO LXV.

SAtis jam ſatis, cauſam nunc per ora tuam: habes præ manibus naturam, ſcripturam præ oculis: & naturam quidem comprehendere difficile eſt, non item ſcripturam legere. Atqui a natura non didicimus Chriſtum, reſtat igitur, ut unde humana Chriſti didicimus, ejus inde divina diſcamus; tum unde ejus ex Maria nativitatem hauſimus, inde ejuſdem originem deducamus primam & noviſſimam. Natura quippe ſuis involuta tegumentis latet, ſola modo ſcriptura nos docere poteſt, qui, quidve ſunt Pater, Filius, & Spiritus; tum certos reddere, non aliunde nobis præ illis aquas baptiſmi manare, vel beatæ vitæ uſuram. Suis profectò revincitur dictis Heterodoxus; vel enim negare debet, verum eſſe ſuorum gregalium baptiſmum; vel ſi ipſe illo initiatus, ratum eſſe non dubitat, Marcionis fabulas fermè repræſentat, qui datos a Creatore cibos ſumebat, ſimul ipſum Creatorem execrabatur, damnabat nuptias, quando fatebatur ſe communi generationis periodo & uſitato more ſatum, conceptum, & natum. Animadvertin' fructum originem inficiantem ſuam? Quis enim quum baptiſmum Neophytis miniſtrat, definitam verborum formulam ſimul recitet, ſimul ejuret? nec porrò ratum habere poteſt baptiſmum, quem reſectis nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti interlevit & corrupit. Quum ergo illa formula abſolutè vera ac defi-

A definita sit, ab hoc uno disce, quanta sit istorum hominum impudentia & perversitas.

Nunc ad caput redeo. Hominem reposco, qui naturæ involucra evolvat, indeque nobis proferat arcana, quæ ad cibatum & potum pertinent plurima: multiplices rursus animalium species & differentias, quorum alia solitaria, gregalia pleraque: mirabilem item plantarum B varietatem, & per certa incrementa processum, quomodo gemmascant, mox frondescant, explicent ramos, & frugem proferant. Huc enimverò provectus, quantolibet conatu evadere tentaveris, ludes operam. Quin ergo talium mirabilium Artificem miraris & siles? sed agesis experire ingenii tui perspicacitatem in olea, nihil oculis non geminum offert nuda arboris C species, ubi tamen folia emiserit, quantùm eadem a suis virgis differant intelliges, quantùmve colore discrepent a radicibus, & a fructibus etiam sapore: rursus animadvertes in singulis ejus baccis contineri tria, quæ, si olivam distrinxeris, statim fluere cernes, aquam videlicet, ignem & oleum. Perge porrò contemplare ignem, quid id est, quod intra silices flamma concipitur, lapidumque conflictu at- D que tritu elicitur, quodve aptam nacta materiam momento sobolescit & propagatur?

Solem pro modulo suo speculatur cæcus; nec enim ejus orbem & lumen mente concipere potest, vel ejus imaginem phantasiæ operâ sibi effingere. At si istuc vetat oculorum vitium; quis cæco dabit Solis periodos erroresque cognoscere? restat igitur, ut aliis narrantibus ad- E hibeat fidem; secus si monenti parere recuset, & ducem sequi, ipsum suæ pertinaciæ sæpe pœnitebit, sexcentis mox obsidendum periculis: eo quod disceptare maluit, quàm traditæ sibi disciplinæ simpliciter acquiescere, ut ipse sibi geminaret quod sustinebat malum, adjunctâ oculorum hebetudini miserâ mentis cæcitate. Quòd si contra testibus vera narrantibus credere voluisset, offusam oculis caligi- F nem justi Remuneratoris sententiâ dissipasset.

Quid ergo ipsi nos stulto labore maceramus? quorsum ingenium inutili studio fatigamus? cæcutit nempe ad illam incomprehensam generationem humana ratio, nec potis est assequi, quid, & quæ illa sit, nec eò perveniendi alius patet aditus, nisi per fidem, si nimirum Deo testanti tandem credere statuamus. Cæterum si quisque cæcum meritò damnat, qui duci suo

suo de natura lucis differenti temerè resistit, cuinam simile judicium timendum non sit, si Deo testimonium dicenti impiè refragetur? Tum enimverò dixit, quum Genitor de Unigenito suo illa profatus est: *Hic est Filius meus*.

Finis septemdecim sermonum ad modos Odarum Bardesanis.

SERMO LXVI.

QUid hoc morbi est? adeon' insanire homines, ut propriæ conditionis obliti, Conditorem adoriantur, & incomprehensum comprehendere obstinet pulvis & umbra? Quàm opidò magis consentaneum foret, ut terrenæ concretionis conscii, divino Archetypo, ad cujus imaginem formati fuerunt, se modestè submitterent! Vaferrimus ille fraudum architectus Adæ posteros à recta seductos, in istas conpegit tenebras, concitavitque, ut Solem ab ipsorum sensibus abstractum appeterent, non ut cernerent, sed ut curiosè indagarent; ut his videlicet capti dolis homines, trium Personarum gratiâ eluti, sordes, quas sacro expiati lavacro deposuerant, iterum resumerent, dum circa illarum nomina dimicant.

In Ecclesia congregati disceptant, & præsente veritate, ad futiles quæstiones delabuntur; æmulatio & invidia homines in Ecclesia efferavit, rabidi se invicem mordent: atqui servavêre pacem in arca feræ. Obtentu tuendæ veritatis expediunt arcus & jacula vibrant: disceptandi rixandique libido pharetra est, quæ dimicantibus affatim tela ministrat. Simplicibus & imperitis veterator versutissimus illusit, & à vera disciplina seductos insolubilibus & desperatis quæstionibus implicuit trivitque; ad appetendam negatam homini scientiam incitavit, ut à permisso utilis doctrinæ studio eos avocaret. Isto temulentos mero cepit illicò vesana disputandi cupido, cæcus contradicendi ardor armavit; veritatẽ vestem esse arbitrati, conscindere tentarunt, sed frustra; ea quippe una & individua est, quare contra accidit, ut ipsi, quum illam dividere molirentur, ab invicem divisi, simul etiam à regno Dei rejicerentur? Nec idcircò arma ponunt, bellum parant, victoriam sperant; at quam? quæ videlicet, fictâ specie, veram cladem mentitur. Scripturam terunt, non ut pia lectione proficiant, sed ut liberius errent, indeque redeant ad disceptandum rixandumque paratiores. Venenum condunt occultum, hoc ser-

A ſerpens per ipſorum ora ſibilans convincit. Quis rixantes compeſcat, quos credit veritatis amore trahi? Stultiſſimi homines fixos in viâ regiâ indices deſeruere lapides, quòve liberiùs errarent, avia & deſerta invaſerunt. Atenimverò illi uni dabitur regis conſpectu donisque potiri, qui inſtitit Regis tenere viam.

B

SERMO LXVII.

VEritas in ſcripturis proponitur, uti jaculantibus metæ centrum, quò quum collineare non liceret iis, quibus caligabant oculi, jacula in Dominum Angelorum direxerunt. Diſce itaque propoſitum tibi ſcopum hunc eſſe, Patrem ut fatearis unum & individuum eſſe, unum Filium & incomprehenſum. Meta conſpicua eſt & in bono lumine collocata: qui C autem à mente deceſſit, quodam impetu ac temeritate ductus; ſine judicio jacula mittit, denſa nimirum caligine ſeptus, ſcopum collimare nequit. Sicubi ergo de divinis arcanis inciderit ſermo, taceant Rhetores, naturæ Indagatores abſiſtant: verba priùs cor examinet, fanda ori tradat, ne poſt pœniteat nefanda fatum. Quiſquis doctoris locum obtinet, quæ doctu- D rus eſt, diſcat ipſe priùs: doctor indoctus cymba eſt, merces vehit nullum habituras uſum.

Codices Deo dictante perſcripti, quaſi ſpeculum nobis ſuppoſiti fuerunt; quibus acies obtuſa non eſt, veritatis imaginem in iis pictam vident. Patrem illæ repræſentant tanquam Archetypum, & ex ipſo expreſſos Filii & Spiritus ſancti vultus. Horum trium nomina originis ſerie E diſpoſitâ, purâ fide ſuſcipimus, & ad Baptiſmum uſurpamus; nunc verò nova mentes hominum inceſſit cura perturbavitque. Examinanda eſſe clamant divina, quæ didicimus nomina, conquiſitiſque rationibus eorum ratam certamque notionem eſſe demonſtrandam; quà datâ portâ, erupêre ſtatim concertationes, diſcordiæ & lites, fugitque veritas. Atqui non iſtuc profectò rerum noſtrarum ratio poſtulabat, quibus F multò magis expediebat, quantulamcumque veritatis particulam tenere, ſimpliciter credendo, quàm diſceptando, eandem ex toto deſtitui; beatam vitam cum inſcientia adipiſci, quàm cum iſta ſcientia in æternam mortem incidere. Enimverò magis tuâ refert, aquam, ſi ſitis, bibere, quàm fontem metiri; quid enim? num non magis interſit pueri ex vultu patrem cognoſcere, quàm aliunde ignotum & incertum, captatis undecumque argumentis, inve-

investigare? Hoc ergo statue : Veritatem moribus sanctæ fidei consonis, non absonis absurdisque disceptationibus esse addiscendam. Tuque beatus piorum cœtus vide, ut intra hos limites te contineas : contentiones facessito, amplectere caritatem, prædica veritatem.

Ille repertor & constitutor omnium, quum ab initio mundum moliretur, beneficentiæ suæ thesauros aperuit, profuditque inprimis Adamo, quem ex limo formaverat, cujusque postmodum extincti cadaver in cinerem jam redactum, diffractis inferni claustris, restituit & erexit: Paradisi fores patefecit, factâ exuli spe reditus, & promissâ ligni vitæ usurâ. Jam illum laudare discito, qui hujusmodi fabricavit clavem, quæ quidem una est & omnes aperit thesauros. Prædica item Patrem, ejusque personam reverere arcanam & abstrusam : prædica Filium, ejusque originem silentio obsignatam adora : lauda Patrem incomprehensum, & inscrutabilem Filium cum Spiritu sancto magnifica. Nunc oro te, Domine, silentium & vocem largire mihi; vitæ nempe præsidia meæ, tum ut absistam investigare te, tum ut te laudare non desinam.

SERMO LXVIII.

Divinæ Scripturæ sibi mirificè cohærent; homines secum perfractè diffident, ab unâ veritate in plures distracti sententias: dissidium peperit nata ex arbitrii libertate opinandi licentia. Viles animæ veritatis studium prætendunt ad speciem, primatum reverâ affectant: fictâ veri larvâ, illectos plures sibi adjunxere socios, sic aucto gregalium numero, sectæ Principes audire cœperunt; additi post alii in errore Duces, Tribuni, Centuriones, & Decuriones. Pax & otium seditiosorum numerum auxit, divisitque in turmas, Plagiarii jam omnes sunt, sociorum alumnos abducunt sibique tenent. Quæstiones exercent quasi arma, fratres in fratres incursant, & jacula mittunt. Heu triste spectaculum! lingua sica est, hoc ferro dimicant, cæduntur, cæduntque vicissim : incruentam pugnam haudquaquam horrent: hujusmodi gladium stringit ignavus quisque, & quilibet cæcus linguâ ferire novit, contemnitque hujusmodi cædem.

Inanis & fucatæ gloriæ cupido disceptatores accendit, & athletas fecit, qui alios ferirent, ipsique haudquaquam incruenti ex arena discederent. Victoriam vides opidò quantum luctuosam, hanc sibi gratantur victi, quum sibi vicisse videntur;

[illegible]

dentur; causa siquidem pugnæ sola impudentia fuit, malum, quo vix aliud majus homines patiuntur. Tun' athletam vicisse dices, qui vincendo magis ipse victus est, quem ex pugna reducem superbia invasit, & oppressit? Quantum proinde profuisse putas victo ingenuè fatenti, arcani, de quo disceptabatur difficultate se fuisse superatum: hujusmodi profectò damnum quisque sapiens lucrum deputat, & magnum quæstum; enimverò si disputando quantâvis cum gloria adversarium viceris, si tamen victoriam superbia sequatur, victor ipse velut in barathrum prolapsus, versam vicem dolebis, teque turpissimè profligatum intelliges.

Hujus ingenii homines alii odia coquunt, alii contentiones & lites quærunt sexcentorum malorum causas. Quæ autem superest spes desperatorum hominum more agentibus? Lamentabilis profectò est istorum casus; quippe qui adversùs Deum & homines dimicant, ut eorum gloriam obscurent. Obtrectationes humi jactatæ in sublime feruntur, & Cælites feriunt, imitantur fumum, terram conturbant, Cælo velum obtendunt. Cælum, eoque superiores Orbes profanas disquisitiones non ferunt, ecce autem cœnosæ scrobes altercationibus convitiisque divina temerantibus fartæ sunt. Rorem & pluviam, quibus vix aliud quidpiam utilius profundit aër infimum hunc orbem tenentibus; rependunt isti, quas componunt contumeliosissimas quæstiones & impios tractatus: lutea simulacra temerè disceptando & perversè agendo confingunt, quæ tamen eò, unde decerpta fuere, mox resoluta, recidunt.

Et sanè quum decies centena millia Angelorum tacere, quam disceptare malint, mirum est videre vermiculos duos, corpus & animam tumultus concitare & ciere turbas. Conticuere Michael, & Gabriel, ecce autem lutum cum pulvere litigat. Tanta est nostris inducta rebus confusio! percrebuere morbi, conticuere nugatores, quòd si disceptare pergant, mors certè quæstionibus litibusque finem afferet. Tibi, Domine, meum grator otium, qui me ab omnium Heterodoxorum disputationibus continueris, mandans, ut solitarius tecum agerem.

[illegible]

SERMO LXIX.

Vada cæca subis homo lutum, si essentiam sese existentem indagare velis, ignarus unde ratem solvas, quòve tandem appellas. Quin ergo viam regiam ingrederis; hanc quippe tenentibus tum introi-

[illegible]

introitus, tum exitus accidit lætissimus. Ingenitam substantiam nullus definit ortus, aut interitus, omnem proindè sua immensitate prævertit indagationem. Cave igitur, ne circa eam, qua imbutus fuisti veram disciplinam, anceps dubiusque hæreas; hæsitantem quippe & incertum protinùs corripiet, & absorbebit error, velut aridum solum cadentis pluviæ guttam. Iterùm cave, ne in ejus arcana temerè incurses, vadum tentanti occurret mare ingens, & frustra reluctantem rapiet & merget. Sit tibi Cymba fides, & doctrina divinitùs tradita, sacris consignata literis, hoc vectus navigio, velut in portu tutus navigabis. Supremæ illius veritatis Codicibus destitutus, vide, ne te ejus pelago committas, plures illa munivit portus sua freta navigantibus; beneficium agnosce & Auctori habeto gratiam.

Descendit ad ima Altissimus, & minimum se fecit Maximus, id jussit amor, suasitque, ut passus suos infirmioribus necdum gressum explicare potentibus committeretur; quin & eodem suasore annuit fieri mare pauperiem fugientibus, & huic petentibus ex negotiatione remedium. Nec tamen inde sibi licere putet lutum, rem tantam propriæ naturæ viribus committere; nec enim summis nedum infimis huc veniendi conceditur aditus. Ad investigandam Divinitatem nullam creatis mentibus reliquit viam intercapedo immensa, illas ab invicem dispescens, nec tamen ulla creatura a Deo disjuncta est; facit hoc caritas. Incredulo Scrutatori omnis ad Deum negatur accessus, nec tamen difficilis esse potest, qui cunctis patet a divinis & summis, humana & infima secernere & internoscere assuetis. Ei, qui impurus est, quid commune sit cum Sancto, qui totus in sanctis habitat? Ad eum, cui nihil tectum, nihil occultum latet, nullus patet aditus simulatoribus & malitiosis; scilicet ingenuos & apertos ille diligit, odit superbos Altissimus, ac temerè accedentes rejectat; ejus nempe voluntas ad humiles tota sua inclinatione propendet. Deum homo non sentit, quamquam hominis amantissimus Deus, & in ipsum se totum effundat. Summus ille rerum Repertor a rebus ab ipso factis non capitur, esto suam ob magnitudinem nec ipsæ capiantur. Illum, qui solus habet immortalitatem, a mortalibus explicabilem dicere, ineptum est, aut ipsius Unigeniti ab eo processum, a disceptantibus aliquando compertum. Et sanè cuinam dabitur illam comprehendere Majestatem? spiritui ne? atqui infirmus est; num ani-

animæ? atqui perfecta non est, nec omnes suos habet numeros; quid? corpori ne? atqui lutum est. Quisquis ergo superbus jactat se potuisse Deum investigare, imò etiam nunc compertum habere, huic lingua non constat, vagatur cor, totum deseruit pudor & modestia.

SERMO LXX.

Itan' credis, oculos, qui è nihilo crevêre suum posse speculari Effectorem, opus Opificem? Spiritum, qui nostrum animat corpus, nec sensu nec intelligentiâ percipimus: etenimverò si hoc negotium ratiocinationibus transigendum putas, habebis quidem multos assentientes, meliorem nostri partem esse animam, negant tamen alii, & fabulam esse ajunt. Vides nasciturам hinc simplici populo offensionem? omnem licet ad hanc curam conferamus studium, is qui, quo se ipse videat, lumine caret, quosnam, cedo, oculos in Divinitatem intendat? quave facultate suum Artificem comprehendat, qui nec ipse se tenet. Littora rade levis Cymba, ut exortâ tempestate tibi tutum in fida statione perfugium procul quærendum non sit. Scrutator tuas metire vires, sique tibi mens labat, & incertus erras, sileto; nec porrò silentium a te procul abest, aut magno stabit tibi pretio, multo majoris veneunt quæstiones & lites. Sed nec petulantem Scrutatorem vis ulla cogit, quando nec lex libertati necessitatem inducit, esto simillima cogenti videatur. Jam si lex ad agendum quod præcipit, vim nullam affert, quodnam quæstionum genus ad perscrutanda divina invitos impellat? Legislator condidit legem, disquisitionem sepofuit, utrumque ejus testamentum accuratè revolve, nulla disputatio, nullave tibi quæstio occursabit legenti. Legem dedit, depostulavit ubique fidem, quæstiones nusquam, ut qui nostram imbecillitatem non ignoraret. Res, quas ipse fecit, nostræ intelligentiæ patere noluit, quantò magis propriam naturam per se abditam nobis inscrutabilem, & incomprehensam manere volebat!

Filius ex ipso genitus, Genitorem sine ambiguitate novit, qui circa modum, quo ille quærendus est, non fallitur. Errant enimverò naturæ quæque creatæ, quæ illum se posse invenire sperant; consentaneum namque est, res factas ad Effectorem suum deficere. Ad summa licet ejus nos amor extulerit, homines tamen nos esse meminerimus, ut naturam è nihilo cretam, naturam ex se existentem inda-

indagare non poſſe, ingenuè fateamur. Quiſquis enim nihil aliquando fuit, ſe ipſe fallit, ſi eum, a quo accepit, ut eſſet, veſtigando aſſequi ſe poſſe credit. Ne autem ipſe tibi undecumque laqueum facias, ratum hoc habeto, longam etiam diſceptationem tibi nil collaturam, quominus doleas infinito adhuc ſpatio a tuo te Creatore remotum.

SERMO LXXI.

Enimverò fieri non poteſt, ut ex materia creata fingatur vas immenſæ capax magnitudinis, quum ad Divinitatis ſcientiam anguſta ſit creatæ mentis capacitas, imò nec habeat ullum cum ipſa proportionis commenſum. Non eſt ſapientiſſimi Creatoris ineptè diſceptare ſecum, quomodo, quove uſque ſuúm ducat opus. Nam ſi ſuæ amplitudinis capax meditetur vas, effectum Effectore majus erit; tale autem opus nec ſtultus imaginari poteſt, modò meminerit, nec opus Opifice perfectius eſſe poſſe, nec iſto Opifice quidpiam excogitari poſſe præſtantius.

Jam ſi res conditas ſuus Conditor immenſo ſuperat exceſſu, quam dabis aptam ad ejus intelligentiam mentem, ipſique proinde commenſam? næ tu vehementer erras, & incredibilia narras, quamquam omnem admirationem vincunt cuncta, quæ fecit; ſcilicet, quum nihil Deo majus excogitari poſſit, conſentaneum erat, ut ea, quæ ab ipſo creabantur, nec diminuta, nec imperfecta prodirent. Nullam ergo creatam rem parvam deputes, quia Creator ejus magnus eſt. Attamen, ut ea maximè excellat Creatori collata nulla eſt; nihil tamen eorum, quæ fecit ei pretioſum non eſt, ea eſt ejus caritas; nec item non exiguum, & vile; ea eſt ejus Majeſtas: neque ſecum, ut dixi, Conditor pugnat, ut aliquod ſibi commenſum creet, nec Artifex ſibi contrarius eſt, ut arti limites figat. Nulla Creatorem a ſuis alienat invidia; oves namque ſuas immenſa caritate complectitur, nec ideo fieri poteſt, ut res creata Creatorem intelligendo perfectè aſſimilet.

Scripturæ clamant, quamlibet rem creatam etiamſi in ſummam dignitatis & gloriæ altitudinem aſſurgat, Crearore nunquam non fore minorem. Hæc tamen & hujuſcemodi dicta de illo Unigenito ejuſque Genitore nemini credere fas eſto; Prophetæ ſiquidem & Apoſtoli prædicant, teſtantur ſupremi & infimi, illum eſſe Altiſſimi Filium: ſed & ingentia ejus opera Orbem univerſum cicumſpicienti obvia; vel oculis

[illegible]

oculis captos convincunt. Quis modò sonora talium præconum tonitrua surdis prætereat auribus? nemo sanè extra Scrutatores. Plurimi tamen ut sint ejus laudatores, nullus magis idoneus testis est, quàm ipse sibi, suis ipse sibi operibus locupletissimum præ omnibus suarum laudum buccinatoribus testimonium dicit. Divinitatis vis oculos mentisque aciem hebetat; radius solummodò ex illa emissus ei parilis est, & quæ ab illa emanat lux, ipsam repræsentat, extra istam nemo.

SERMO LXXII.

Quicumque audis quæ dico, limitem ipse tibi figito silentium. Multa sunt, quæ vehementer admireris: vide, ut vacuum ad eadem animum appellas. Aderit tibi Deus, ea, quæ dicit simpliciter credenti, aberitque & sua dona negabit, si puræ fidei præposteram disquisitionem anteferas. Nequit, crede mihi, longa & operosa disputatio Deum consectando assequi; procaces indagatores ille retrusus in se occultusque fugit: aditum una tibi patefaciet fides; illùc introductus, cum ipso habita: etenim si tibi contingat sub ejus succedere umbram, inventum tibi gratularis, modò sequestratus a cæteris curis ad quietem & silentium te composueris. Verumtamen hoc habeto ratum, ad hanc attingendam metam, minimè profuturum quemcumque illùc intenderis cursum; viribus namque tuis, si ille suas non adjunxerit, profectò nec an ille sit, ad veritatem persuasus redibis; sed nec si totam ætatem in disceptando teras, aliud tandem extundas, quàm ut ex opinione scias Deum non esse nihil, proprioque experimento comperias, qualibus cum difficultatibus luctandum sit salebrosam hanc ingredienti viam, nullum cæteroquin inde fructum reportaturus, quam ut hanc ipsam difficultatem non ignores.

Ingenuè quærenti manifestus occurrit Deus, idem callidum perscrutatorem fugit, facesse nugator. Abditus ille tibi ignotus atque retrusus in obscuro delitescit; nulla locorum regione circumscriptus rebus omnibus superest, interest & subest; quum absit à te, tibi præsens est, vide utram partem versùs pergas, an ubi scrutanti ille se occultat, an ubi adoranti se offert? Suâ idem se bonitate prodit, suâ etiam se naturâ celat. Occultam reverere majestatem, manifestam beneficentiam propitiato. Ipsius patent thesauri, persona latet, hanc indagare volenti objici-

objicitur profunda & ingens vorago. Age itaque & remotis disceptationibus, ad conciliandam tibi ejus gratiam incumbito. Inexhausta ejus bonitas te lutum invitat, quò è propinquo cernas, qualem tibi thesaurum, omnium scilicet bonorum copiâ cumulatissimum, ejus in omnes homines beneficentia præparaverit.

Obstat ejus Numinis vis vehementissima, quominus in eum oculos defigas & explores, quis ipse sit, & quantus? Quod si audax explorator præscriptos tibi limites transilire non dubites, qui res prætervolat omnes, quomodo hunc ipse prævertes? sique præverteris, quis te excipiet locus, quum extra ipsum nihil sit? Fatere igitur, nec tuarum virium esse illum prætervadere, sed nec attingere imò nec extra ipsum alicubi consistere, ut videlicet ipsum ubique mireris & stupeas,

Sed finge tibi concessum ad omnia penetrare loca, occurret ille tibi ubique, nec tamen veniet, ubi non erat, nec abibit, unde recedet. Angustum & breve fretum esse oportet, quod tibi transmeabile est, quum autem immensa te ab illo dividant spatia, etsi nunquam tuo non assideat lateri, quam, cedo, viam illum pervestigaturus inibis? Non enim ille imitatur ignem, ut quum absens sit, quatenus corpori applicitus non est, simul eidem sit intimè præsens, habet hoc ignis ab imbecillitate corporum, quibus cæteroquin ejus applicatio intolerabilis est: nec item ille Soli similis est, qui si vim suam oculo non attemperet, officit. Quod quidem non tantùm vim Solis arguit, quantùm oculorum vitium. Neuter igitur, seu Sol, seu ignis Domino rerum comparandus est; quippe qui suis se subjectis immiscet, absens simul & præsens, quæritur, simul omnia portat, hunc fingimus a nobis remotissimum, cujus pugillo continemur. Oceanum nec vasa amplissimæ magnitudinis capiunt, nec ejus immensa metiri spatia possunt. Hoc, quod Orbem cingit, mare si Conditoris magnitudini componas, gutta est. Cave, ne huic pelago te committas, ni velis incertus per cæca perpetuò errare vada.

SER-

[illegible]

SERMO LXXIII.

SOlem habes Patris symbolum, imaginem Filii lucem, Spiritus sancti typum ardorem, quum unus sit Deus, Unitas Trinitatem non excludit. Arcanum istud quis capiat, aut quis enarrabit? unus & multiplex, unus & trinus, Personæ tres & unus Deus. Grande ænigma, quod intelligentium substantiarum omnem exhausit admirationem. Radius splendor est a Sole emicans, distinguuntur ista, inter se tamen cohærescunt, adeò ut etiam Sol dicatur & ipse ab illo emicans splendor. Porrò quemadmodum Solis radius rebus sibi subjectis Sol est, nec ideò duos dicimus Soles; sic esto Dominus quoque noster suis per carnem affinis sit creaturis, Deus est, hic tamen Personarum numerus nec duos affert Deos, nec Divinitatis ratio simplicissima Personarum numerum excludit. Hoc autem involucrum quis revolvat, nobisque explicet? nemo sanè, uti nec caloris ac lucis cum sole nexum, quo fit, ut splendor eidem alligatus, ab ipso nunquam decedat, calor contra, illo discedente, permaneat. Sol, radius, & calor nec separantur nec confunduntur, distincta copulantur, alligata nectuntur, soluta vagantur. Solem aspice & mirare.

Cuinam dabitur ista attingere, nedum tractare, etsi exposita & conspicua oculis cernantur. Seu tactu, seu visu a sua luce discerne Solem, si potis es, calorem ab utroque dirimito. Sol summa tenet, infima ejus calor, & influxus etiam abditissimos terræ recessus penetrat. Res per se occultissima in omnium oculis transfigitur. Quandoquidem missa à Sole lux, undique terram collustret, eadem oculum ingreditur, ejusque in pupilla quodammodo corporatur; succedente mox somno lux oculum deserit mortuo similem, expergefactum revisura.

Cæterum quomodo lux oculum subeat, uti nemo satis percipit; sic nec tu intelliges, qua ratione Dominus noster negotium curaturus, Virginis uterum intraverit. Lux ubi oculi pupillam occupaverit, continuò decoram sibi faciem componit, indeque egressa, totum circumlustrat Orbem. Sic nempè salutem reparaturus nostram Dominus, vile corpus induit, & natus universam rerum naturam expiavit. Splendor e Sole manans, suum non fugit fontem, à suâ scatebrâ nunquam divisus, suum re-

bus dispensat calorem ; nec aliter Dominus immotus in se permanens venit in terras, suisque Discipulis suum infudit Spiritum.

Parallela sunt hæc rebus impressa obviis, tuisque subjecta oculis, ut discas, objecta menti de Deo trino dubia discutere, si qua salutis tuæ te tangit cura. Ut cætera non videas, vides utique quàm difficile sit, cognoscere, unde tuamet constet vita : Unus & ipse es, idemque trinus, trinitas es & una singularis substantia.

SERMO LXXIV.

QUis mihi tribuat, te magnum diei lucisque Parentem inspicere & mirari ? magnopere namque delectat contemplari expressas in te tui Domini multiformes imagines. Quis enim mihi hujus sideris explicet calorem, nunquam a suo fonte divisum, nusquam non diffusum, conspicuum divini Spiritus symbolum: caloris ejus vis res afficit omnes, totus universas, & singulas totus, cognatæ luci semper cohærens, ab ea nunquam divellitur, Soli immersus, ab eo nunquam dirimitur, panditur quaquaversùs, atque a subjectis corporibus concipitur juxta uniuscujusque modum. Hoc scilicet homini a conditione sua nudo frigoris remedium provisum fuit, quo simul transmitteretur ad sobolem paterni criminis notitia, ob quod turpiter nudatus algere cœpit. Gratissimus est iis, qui ad opera destinantur ; calore quippe depulsâ, quam ex frigore contraxerant, segnitie, alacres ad opus quodlibet se accingunt.

Divinum hìc recole Spiritum, qui Apostolos afflavit, distribuitque per quatuor Mundi plagas, & ad perficiendum multiplex salutis humanæ opus incitavit. Uti calore Solis omnes terræ proventus maturescunt, & perficiuntur ; sic Spiritus sancti operatione optima quæque capiunt perfectionem & absolutionem. Clarè vides, ambo esse parallela ; atqui clariùs intelliges ex consequentibus. Algor hyemis calore Veris frangitur : Spiritus sancti luce vitiorum caligo dissipatur. Uti calor corpora gelu adstricta, solvit ; sic vincula, quibus Diabolus nos alligaverat, Spiritus sanctus diffringit. Vere novo aves calore Solis hilaratæ lætitiâ triumphare videntur ; sic nempe Discipuli Spiritus sancti adventu præsentiâque gestientes exultarunt. Calor injectâ a sæviente hyeme pregnan-

[Syriac text]

A gnantibus ſurculis frugibuſque fræna dirumpit. Nec ſecus divini Spiritûs illapſus objecta disjecit impedimenta, quibus Diabolus omnem nobis commeatum intercipere moliebatur. Calor rigentis terræ viſcera quatit, pigritiam increpat, & ad opera interrupta revocat; ſimili cura Spiritus ſanctus Eccleſiam ſuam ad pios labores aſſiduè ſolicitat. Opidò quàm incertus & palanti ſimilis errabit, quoſve impinget in ſcopulos homo lutum, B dum immenſum illum theſaurum invadere & explorare pertentat! vel quouſque ſuus illum auferet error, dum obſtinat, ſuis æquare paſſibus eum, qui omnes Mundi partes occupat & prætervolat!

Si frigore labia aſtringi contingat, facultas loquendi continuò adimitur, admotus illam reſtituit calor, ſoluto gelu ſublatiſque linguæ, oriſque impedimentis. C Sic olim Spiritus ſanctus conformatam in figuras linguarum flammam Domini Diſcipulis applicuit, ſimul indecorum ſilentium rupit, abſtulitque metum, quo velut inducto gelu obſeſſi, tacebant. Quum enim populus gelidæ adinſtar brumæ, coitione factâ in Diſcipulos incubuiſſet; Spiritus ſanctus igneas linguas accendit, D quibus frigoris vim fregit, metum a Diſcipulorum cordibus depulit, orationis expertes vocales fecit, linguis nimirùm linguas medicari volebat. Victus Diabolus fugit, velut hyems adventante vere: ſuccubuitque populus irâ ubique fremens, februarius qualis torrente fremebundus gelu: tum verò nova carmina cæleſtes ſonuere alites, accipitrem ac hyemem æquè contemnentes. E Hæc Solis calor nobis exhibet Myſteria, primoribus velut deſcripta lineis, quæ poſtea Spiritus ſanctus abſolvit perfecitque. Sed enimverò quis iſta capiat, aut enarrare ſufficiat?

[Syriac text]

SERMO LXXV.

F

MIraris Solem homo argillâ cretus? lucerna tamen eſt in tuos fabricata uſus: nec porrò reperis viam, quæ te ad perfectam ejus cognitionem perducat; jactas tamen te ad Solis Conditorem ocyùs perventurum. Oh ſuperbus es, qui tantum tibi arrogas! homo noſce te ipſum. Subſtantia Solis etſi eam apprehendere cupientibus pateat, ſua tamen ſubtilitate tactum eludit, nec minus viſum ejuſdem

[Syriac text]

calor quantumvis defæcatus, & purus; adeoque nec oculis subjicitur ejus calor, nec manibus subtilissimum ejus corpus tangitur. Gustus, auditus, & odoratus tres nostri corporis sensus tria prorsùs in Sole ignorant; nec enim Solem palatum gustavit unquam, nec orientem odorantur nares, aut aures audiunt rutilantem, perpetuò tamen circa terram Sol volvitur: adeoque tres corporum nostrorum sensus ad captandam Solis notitiam nobis inutiles sunt, quantumvis circa nos per vasta Cæli spatia cursor assiduus vagetur. Sed etsi corpus tuum totidem sensus haberet, quot membra, ad Divinitatem ab omni sensu abstractam assequendam, nihil omnino juvarent. Id nempe clamant tres memorati sensus, trium arcanorum ignari, quæ aliunde comperimus in Sole recondi, sic ut simul fateantur, se fore ineptos ad investigandum Patrem & Filium & Spiritum sanctum.

Vas aquâ oppletum adversùm Soli componito, continuò tibi imaginem dabit augustissimi illius Partus. Solem videbis sine ulla sui diminutione & defluxu nitentem generare prolem suo genitori similem. Nil Soli decedit, nil aquæ accedit, quod eorum integritati officiat. O præclarum magni arcani Symbolum! Integris namque aquâ & Sole, inusitata transfigitur generatio, in qua homo quisque suis velut subjectum oculis, Filii Dei a Patre processum speculetur. Nostræ scilicet idem infirmitati indulgens, res a nostra intelligentia remotissimas in symbolis patentibus & conspicuis adumbravit, ex quibus levi operâ intelligeremus, eum esse Filium Dei: sic per omnes figuras ad nos accessit Suavissimus ille, nostras curaturus ægritudines.

Sed enimverò si optimus ille maximus & Deus comparationes & similitudines adhibuit, quibus nobis propior factus, intelligibilem se præberet; profectò consentaneum est, ut homo suamet conditione vilissimus, argumenta propriæ imbecillitati quærat, quibus ad Majestatis cognitionem se provehat. Excute jam, anime, segnitiem tibique mysticos pontes construito, qui viam ad tuum tibi Creatorem muniant. Herili domo ejectus verna, alas ex divinis Scripturis tibi componito, quibus subvectus, cura, ut ad Filium Domini tui te referas. Hæc tua, anime, cura prima sit, ut omnes posthac ad Spirirum sanctum captes aditus, & ad illum pervenire omni contentione decertes. Tu quoque, caro, tuam remis velisque eluctare pigri-

[illegible]

[illegible]

pigritiam: Aquilam imitare, ad illud corpus advola, cujus contactu omnia reviviscunt corpora.

Cæterum quum humani sensus infirmissimi sint, cave, ne divina scrutando tuam perturbes mentem, & fluctuare incipias. Cogita Angelos quantumvis a materia sejunctos, summâque mentis perspicacitate præditos, impotentes tamen esse ad hujusmodi arcana pervestiganda. Cohibe igitur a temeraria & futili disquisitione claudicantes sensus corporis sanie ac tabe scatentis. Hactenùs pulchra & pura, impuras jam immundorum spirituum operationes nobis edissere, & quoniam nostri corporis sensus velut parallela quædam spirituales sensus Cacodæmonum referunt, expedi, quibus naribus legio illa Dæmonum odores corporum sentiebat, aut quibus pedibus Satanas universam terram perambulare & circuire consuevit?

[illegible]

SERMO LXXVI.

[illegible]

CUM arbore suâ fructus habet commune nomen, quantumvis ab invicem sapore seu dulci seu amaro vix unquam non discrepent; sed ut commune vocabulum sit, differentiam tamen non excludit, magnumque arcanum adumbrat. Sic itaque differt fructus ab arbore, ut cum eâdem etiam conveniat; amborum quippe nomen unum est. Quid? quod talem arborem dicimus, qualem gustamus fructum, ambo etiam in hac ratione consentiunt. Tu ergo vide, ut stirpis & fructus vocabula discernas, cave tamen, ne dividas, sed fructum arboris suæ nomine voca: nam si fructus mitis est, arborem quantumlibet palato ingratam, feram non dicimus. Sic ergo vocabula cernes Patris, & Filii, ut minimè distrahas: fatere Patrem esse Deum, Deum item esse Filium; divinum namque Patris nomen est, divinum quoque Filii nomen, hoc divinæ literæ testantur; nomine Filius discrepat, quia genitus est, nomine etiam convenit, quia etiam Deus est, ipsi honor & gloria.

Si ratæ sunt arborum & fructuum nomenclationes, tales esse oportet Patris & Filii notiones. Sic ille rebus patentibus & conspicuis arcana tuis negata oculis impressit, ut res a sensu abstractas in rebus sensui subjectis puta arboribus proponeret: perque symbola notissima oculisque exposita ignota Mysteria & obscurissima declararet, ut ista nobis intelligere nec difficile, nec operosum

sum esset: submotis offendiculis viam planissimam aperuit, monstravit iter, quo illùc perveniremus, ubi, conspecta ejus majestate, ipsum esse Dei Filium non dubitaremus. Christum esse nostrum Dominum, & Deum præsensere Pii, Impii nec ejus Parentem agnoverunt. Scripturæ divinitùs inspiratæ prædicant Deum Patrem & Deum Filium; Deum non habent Judæi, nimirùm negarunt.

[illegible]

SERMO LXXVII.

[illegible]

Matth. 24. 16. Marc. 13. 32.

Horam illam nemo novit. Hanc pueri arripuerunt horam, de pondere consuluere libram, in cujus alteram lancem imposuere Filium, ipsisque visa est in tantum propendere, ut præ se cuncta deprimeret. Si enim Patrem Unigenitus novit, Patre majus esse oportet, quod Filio ignotum dicunt. Sic enim illa interpretantur verba, *Horam illam nemo novit* præter Patrem, non ipsemet Filius. Jam si hoc placet, quia stultissimi homines cogitant Verbum esse Creaturam, tandem animadvertant, in quales salebras eos compegerit disceptandi studium, ut quum inde se expedire aliter non possent, Filium Dei fecerint creaturam.

At vos, qui adestis sapientes, obstupescite hominum istorum vecordiam. Enimverò si ex eo, quòd proposuerunt Creaturam esse Filium Dei, consectarium esse ducunt, illam horam ei notam esse non posse, ipsi, qui sunt hujus magni Artificis opera, quânam spe ad suum Opificem pervestigandum ducuntur; ut qui horam illam scire desperant, proprio studio assequi se posse non dubitent eum, per quem facta sunt sæcula? Suis cur, cedo, non constant dictis, ut tandem fateantur, creatæ cuilibet intelligentiæ, quum de Creatore sermo est, nil potius esse debere, quam pium silentium.

Sed age, quid? num scientia, quæ Patrem attingit, non eam etiam horam complectitur & repræsentat? Rursus si Pater Filio majestatis suæ notitiam communicat, & momentum temporis eidem occultat, consequens est, istuc momentum altiore indagine esse quærendum, ipsoque proinde Patre multò augustius esse. Perge porrò & compara horam, quam Filio dicis ignotam, cum ipso Patre, quem ei notum credis, ambo simul lance geminâ suspendito, & explora, utrum horum præpon-

[illegible]

A ponderet. Filius profectò, qui solus Patrem perfectè novit, illo minor esse non potest; nec enim diminutam ab eo accipit naturam. Stirps vera ex vero novit fructum ex se genitum, verè generatus fructus stirpem suam scientiâ non superat, æquat tamen, quum totus in totam immersus sit. Quod si fructum arbori prærogativa scientiæ parem negas, appellationem etiam ab utroque divellito; liquet B enim verum non esse hujus arboris fœtum. Sin autem neutrum vocabulo dissentire concedis, næ tu tibi non constas, si alterum ab altero excedi sapientiâ credis. Unus inest utrique sapor, consentaneum est, unam inesse sapientiam communem utrique, quum sibi mutua insessione cohæreant.

Fructus arbori intimus est, extrarius C arbori fructus non est, vim ineptè fingis, quæ alterum ab altero dividat: neuter a compare secernitur sapore, aut ab eodem omnis veri scientiâ separatur. Qualis stirpi erga suum fructum amor est, talis huic erga suam stirpem, innatus videlicet, non assumtus, non ascititius. Quem autem dabis, qui tales disjungat amantes? Individua Patris & Filii & Spiritus sancti nomina continua & æquali serie recitantur, ubi D in nostro Baptismo divinus in fontem postulatur illapsus: amica nomina concordissime concurrunt, & velut uno subacta jugo: uti verò in consecratione Baptismi in unum conspirant, sic mutua sibi habitudine copulantur.

Divinus tandem ille fructus descendit in terras, composuitque sibi Corpus, unàque cum Corpore congeneris naturæ E vocabula ascivit defectus & infirmitatis indicativa, quo verò nostram assumsit naturam, nostrum pariter pro nobis sciendi modum sibi accommodavit. Qui nihil non sciebat, ignorantis personam induit, hominum causâ more humano interposuit interrogationes, & responsiones audivit.

Cæterum si homines lutum obstinarunt animum ad indagandam naturam in-F genitam, quam adhuc dubitant, an Filius comprehensam teneat; vel absistant, si quod ipsi scitantur, Filio occultum credunt, aut si istuc investigando assequi se posse confidunt, fateantur, Filio omnia esse perspecta, & cumulatissimè nota. Enimverò si dicere volunt, quod indagare non licet, næ illi petulantes & protervi sunt; ac si id ex gratiâ sibi licere credunt, quid? num qui luto dedit divina scrutari, Filio unius horæ scientiam negavit? Quod ergo

go ille dixit, eam se ignorare horam, hoc nimirum ut diceret, Corpus ab ipso assumtum ei commodavit.

SERMO LXXVIII.

VErumtamen ne tibi posthac talis excidat sermo, proposito insistendum adhuc, dum persuasum habeas, eam horam Dei Filio incompertam non fuisse. Enimverò qui omnes invenit calculos, ignorare non potuit horam, quam sine computatione intelligere non possis: fingito jam illam esse unam ex multis, quibus constituitur annus. Quid censes? num qui annum ex mensibus composuit, velut corpus suis compactum membris, horam anni partem imprudens non adverterit? Sin autem eam mensibus insertam imaginaris, hanc utique discrevit, qui mensium dies numeravit: quod si ad diem pertinere ponas, quî factum reris, ut eum hæc una fugerit, qui horas, hebdomadas, omnesque & singulas temporis vices disponit ac temperat. Horas Sol conficit, atqui stipitem esse oportet, qui Solem ei negat esse notum, qui ejusdem dirigit definitque motus, hisque naturam mutat, hyemisque & æstatis periodos moderatur. Sique horam hujus controversiæ subjectum ad Lunam referas, cogita neomenias & plenilunia a Filio Dei inventa fuisse, nec solum ordine, sed momento disposita. Cuivis ergo loco horam istam affigas sive humi, sive sublimi, næ tu somnias, si imagineris abesse ab illo, qui tribus digitis appendit Orbem.

Sed perge, sique fas est, horam istam cum Spiritu sancto componito, hunc certè Filio esse notum non dubitas, affirmas tamen, horam esse penitùs ignotam. Oh plumbeus es, si utrum utri præstet minimè discernis. Præcidito ista, dum nobis expedias, cur, aut quorsùm ignotam manere voluerit Filio sui triumphi horam summus Pater? Num ut Patre minorem se ille meminisset, neque parem cum Genitore locum ambiret? Mirum quàm ineptè ista componis! uno solvitur verbo, quem stringis, nodus, Quum venerit hora, tuba canet, ejusque cantum triumphi pompa sequetur, cujus finis, idem erit & horæ. Jam si Novatores sibi constare velint, Patri tum Filius æqualis fiet, & inæqualitas in æqualitatem transibit. alterutrum ergo statuant necesse est, aut si Filius quidem Patre minor est, quatenùs illam ignorat horam, eidem æqualem factum iri, postquam ejus horæ scientiam fuerit

[illegible]

A fuerit adeptus ; aut contra si nullam dignitatis Filio accessionem inde proventuram dicunt, quonam suo emolumento illam notitiam sibi quæsiverit, siquidem doctior factus, non desiit esse minor?illam certè horam cognoscere nec Diabolo prorsùs interdictum est; quâ natâ ipse occidet; quorsum ergo eam usque adeo extollunt, ut ejus scientiam à Patre Filio negatam affirment, quam nec Diabolo ignotam usque manere decrevit?

B Disce jam geminos fontes unde supremi Domini laudes fluunt, qui quum omnium dominetur, cunctis omni prærogativâ præstat, & sustinet Universum ex se pendentem. Fons alter homines versùs exundat, estque ejus inexhausta & sempiterna bonitas; alter influit in Filinm, qui est ejusdem fœcunditas, quæ & ipsa perenni fluxu exuberat, ac sine principioque caret: jam quales vos esse dicam, purissimi fon-

C tes? quorum alter, ut dixi, se toti naturæ profundissimâ quadam liberalitate profundit; alter ad Unigenitum totus transfluit; ambo nunquam nati, nunquam interituri? Quis igitur hic est homo, qui vobiscum componit horam, punctum temporis tempori affixum, & cum tempore desiturum? Magna res est divina vis rerum inventrix, nec opus Opificem æquabit unquam:

D admirabilis & singularis res est divina fœcunditas; sic ut genitus nunquam etiam genitor fiat.

Reliquùm est, ut adversarii aliam propositæ quæstionis solutionem aliundè petant, si nostram non probant, quæ enim cæteris utique præferenda fuit, jam expositam habent. Cæterum quibus hanc persuasimus, ingenuè confessi sunt, Salvatori

E nostro supremum Mundi diem haudquaquam occultum fuisse. Sed & hoc subjiciebant, submissâ licet voce, & velut ad aurem, quæstionem istam ex contentione esse natam, eamque induxisse Novatores, ne ex palæstra victi discedere viderentur; victa tamen est contentionum mater discordia, vicit veritas, diremitque litem Victor ille solus coronâ dignus.

[illegible]

F SERMO LXXIX.

[illegible]

SAtin' scis, fili, utrum utri præstet, & præponderet in staterâ? quid expedis, horamne Dei Filio esse notam, an contra manere adhuc occultam? Is enimverò ex sese ipse docere volens, haudquaquam licere, parem summo cogitare Patri, præsetulit supremi diei ignorationem, quod videlicet nollet hujusmodi arcanum curiosè requiri: quod quidem magno con-

filio ab ipso provisum fuit, quo te ab ejusmodi curiositate removeret. Tibi proindè monitorem illud ipsum momentum constituit, quod omnium temporum Moderatoris naturam indagare volenti magnum exemplum objiceret, sique pravè insisteres, tuam etiam impudentiam increparet; etiam hìc sit tibi Christe Fili Dei scienti omnia laus & gratia.

Cæterum facilè intelliges, in Filium Dei ignorantiam non cadere, modò teipse non ignores. Ergo temet explora, viden', ut ille tuam in vincula compegerit mentem, quove tuam voluntatem imperio regat? Ancilla hæc certè est plurimis inquinata vitiis, quæ hausto temulenta mero heriles depopulatur opes. Quid ille ageret? furiosæ catenas injecit, rebellantem constrinxit vinculis, objecto vallavit sepimento, cinxitque præstructis circum undique muris. Jam si bacchantem nec tantæ cohibuere moles, liquet indomitum esse ejus ingenium, ipsamque velut furore quodam agitari. Quæ quum Filius Dei bene perspecta haberet quantùm nullus alius præterea, præsciretque, fore, ut excitæ undique terrarum gentes ac linguæ, & Græcorum inprimis natio, nova & secreta sciendi audiendique cupidissima, ad discutienda peregrinæ doctrinæ præcepta confluerent: sagena quippe futura erat, quæ genus omne natantum congregaret, & mirabile fermentum, quod agrestes etiam bestias è suis evocatas lustris, suo sapore imbueret; ne videlicet palabundas fineret sine lege vagari, uno veritatis vinculo conjugavit, docuitque cursum tenere parem: negavit celeri sociis post se relictis præcurrere, nec scrutatori concessit fidei imperium excutere; doctis & indoctis, callidis & simplicibus idem & unum imposuit jugum, jugum videlicet Cherubici currûs, sub quo naturâ diffidentes jugales ipsi se concordi amicitiâ & mutuâ caritate complecterentur.

Act. 17. 21. *Ezech. 1. 3.*

Cibus, potus, somnus, & vigilia liberæ voluntatis imperio reguntur, subduntur arbitrio; quamquam sensibus quoque libertas quædam concessa est eo, quo libuit modo & ratione suos ut exerceant actus, libero tamen carent arbitrio, & subduntur jugo, quod compegit caritas, & vera imposuit disciplina, ut nec à recto tramite declinent, nec ab eadem alium quemquam avertant, sapientis namque rectoris ductum semper sequuntur. Quum ergo mutæ animantes, quibus arbitrii vis negata fuit, aliqua tamen potestate gaudeant faciendi, quod ipsarum naturæ magis con-

[illegible]

consentaneum & commodum est, quàm integram ac solutam censes, hanc in propria sede regnare potestatem? scilicet inest homini facultas, propriorum motuum arbitra, ut quamquam naturali quodam nexu cum vero & honesto cohæreat, expeditam tamen conservat eligendi potestatem, ac faciendi quod placeat; unde contingit, ut depravata voluntate, mutet mores, seque effundat in vitia, & si quidem à veræ fidei regula animum avertat, in magnos errores delabatur.

Sacris quispiam commentationibus pervigilat noctem: vigiliam mox somnus excipit, nec tamen pii operis mercedem deterit: jejunat alius, jejunium statâ horâ solvit, nec inde jejunanti perit laboris præmium. Cibus cibique abstinentia neminem reum faciunt, aut coinquinant; veritas una est, huic assidet error, sique latum unguem ab illa secedas, hiatus exiguus immensa vorago est. Variantium opinionum diffidia si quem hominum cœtum distineant, nullus reprehendit, nemo contra in diffidentes non fremat, si discordia in hæresim eruptura videatur.

Omnes corporis sensus uno tenentur jugo, horum unicè ductum sequitur ille, quem David jumentis insipientibus similem esse factum ajebat; atenimverò quis, dum causam ignorat, non miretur, hominem nec intra jumentorum terminos se continere, quin in deteriora prolabatur, eisque pejor fiat? Hinc perturbato rerum statu tumultuantis multitudinis frequentes occursus & discursus, discissa in factiones Cænobitarum asceteria, in Ecclesias seditiosè invectæ quæstiones, & absonis absurdisque opinionibus violata Ecclesiasticorum conventuum religio. Fare age: cuinam tanti crimen incumbet mali? Fremunt maria, terra succussa tremit, res vociferantur omnes adversùs Scrutatores, dum in ipsarum Conditorem tanta cum libertate incurrunt, adeo indignè ferunt, sui Opificis majestatem impiis disquisitionibus violari.

Ps. 48. 13.

Hujusce porrò notæ ingeniis velut improbis servis propositum est à Domino speculum modestiæ magister, mundus videlicet ejusque partium mirabilis descriptio. Satis enimverò ista persuadent, eos planè delirare, qui tantum opus suomet Opifici incompertum fuisse nugantur. Ineptissimi homines dum magni Artificis investigantes naturam omnia rimantur, in eam, quam dixi, impegêre horam, quò nimirùm humilem Filii Dei imaginem in ea repræsentatam cernentes tantisper confunderentur,

tur, donec ejusdem comperta mirabili a Patre origine temerè conceptum ex humili ejus specie judicium, increpiti damnarent.

At tu interim, dum ista Novatores garriunt, advertito animum ad hujus Universi præclarum ac magnificum ædificium, omnesque & singulas ejus partes accuratè considera. Ingens dices esse corpus suis artificiosissimè compactum membris, summi Artificis admirandum opus; indeque statim colliges, fieri nunquam potuisse, ut suum lateret Auctorem. Quid enim, fratres, num simulacrum scalpentis aspectui seipsum negavit, sic, ut quæ fingebat membra, statuarius non cerneret? uti ergo nemo id fieri potuisse credit, perinde incredibile est factum, ut hora sui Constitutoris fefellerit sapientiam. Deinde consulite, fratres, rationarium temporum descriptum ab eo, qui cuncta novit; simul animadvertetis, totum ævum corporis itidem in modum coagmentatum fuisse; suæ istud componunt partes velut ossa nervis sibi invicem alligata, statæ sibique succedentes conversiones ac tempestates; habitum & formam absolvunt horæ & anni. Fingito si placet illam horam intra temporum anfractus retrusam, velut tuum intra tuam mentem conceptum, confertoque mensium, hebdomadarum ac dierum agmine circumseptam. Nihilominus mirari subit, quemquam ad eam, seu stultitiam, seu arrogantiam devenisse, ut velut in insaniam lapsus atque temulentorum in modum mente alienatus, sibi persuadeat simulacrum ab illo vero Patre digito Dilecti sui fabricatum sui Artificis oculos, conspectumque fugisse, quasi verò augusta illa hora potuerit subtrahere se illius digitis, qui res non solum universas, sed etiam singulas reperit & architectatus est. Profectò si ejus præscientiam non latuit, antequam fieret, ab ipso namque ei constituendus fuit in magna temporum periodo locus, tempusque designandum, quo e suis latebris in publicum ei tandem prodeundum foret, planè liquet, eam etiam quando non extat, suo nihilominus Domino præsentem esse, atque in ejus sapientiæ thesauro recondi, si autem conditur in arbore, hujus utique fructum latere nequit, qui ab eadem ad se receptus, in ejus sinu & amore conquiescit.

A B C D E F [illegible]

SER-

SERMO LXXX.

SCitare sapientes, audita sagaciter & acutè perpendito. Doctus ab illis disces, alteram hominis animam esse fidem, corpus animatur a spiritu, hic ducit a fide vitam, separatus a fide cadaver est. Mortale corpus ab immortali anima pendet, a fide anima, a Divinitate fides: a summo quippe Patre per Filium ad nos promanat veritas piè viventium vita. Hæc est illa vera disciplina, quæ humanum spiritum Superis cognatum efficit. Animâ vivit homo, corpore cernit & audit, fide, caritate & rerum divinarum scientiâ etiam migrat ac transformatur in Deum. Cave dissolvas admirandum isthuc opus, ne te continuò fides destituat, ac vita oculis nunquam visa tuis, tuoque interitu gemines exemplum illorum, quos vitæ Auctor mortuos appellavit, mortuorum tamen funera curare dixit. Hujus aëris respiratio est vitalis spiritus, vitamque corpori impertit. Quisquis hunc aëris commeatum corpori intercludere cogitat, simul vitam auferre parat; huic similis est, qui veram loquentem interpellare nititur, necem imprudens animæ molitur suæ.

Nolo mortui mortem: hoc testatus est ille vivens cunctorum Suscitator mortuorum, pelagus omnem complectens veritatem, omnique perinde ab errore remotissimus, perennis origo vitæ, disertè suam declaravit voluntatem, ne scilicet de sua in nos caritate nobis dubium relinqueret, neve quisquam posthac de ejus incenso destruendæ mortis desiderio ambigeret: literis suo obsignatis annulo nos certiores fecit, fore, ut justus quisque vitam inveniret in fide, cujus disciplinam sevit velut arborem, fructus inde sanctas operationes collegit, ramisque veritatis suspendit. Hìc tibi arcana patent in imagine viva, tuis subjecta oculis. Corpus negociatorem imitatur, qui partæ pecuniæ incubat, in omnem quæstûs occasionem intentus; corporis solertiam imitetur anima, suasque merces in navim fidei, velut tutum salutis perfugium importare satagat.

Corpus vitam, quam ab anima trahit, cibo potuque sustentat, anima ipsa quantumvis bene valere videatur, si absint opera, non ægrotat, sed mortua est; operibus namque ex fide manantibus, ejus constat vita. Indubitabile dogma divinæ Scripturæ loquuntur. Fidelis Lazarus imperanti obsecutus prodiit e tumulo, divina vox, quæ illum evocavit de sepulcro, orbem

orbem, suavissimo odore recreavit, eoque afflante revixere Gentes in Lazaro adumbratæ; & Gentilium quidem ad Dei cultum conversionem Lazarus nobis repræsentat; Judæorum verò excidium præsagivit fur ille, qui laqueo se suspendit, & restim Scribis, quibus operam ante locaverat, reliquit.

EJUSDEM S. P. N.

EPHRAEM SYRI

Margarita, seu de Fide Sermones septem.

SERMO I.

Accidit aliquando, fratres, ad manus venire meas Margaritam. Apparebant in ea affabrè elaborata regia insignia, imagines & symbola eximiæ illius singularis Majestatis. Fontem esse intellexi, unde mihi haurire liceret latices secretorum Filii Dei. Illam itaque, porrectâ statim manu, appetii, dumque teneo, & attentè examino, animadverti, non unam habere faciem, in ea nulla pars extra faciem, tota facies erat. Quare typum esse deprehendi Filii Dei, cujus Numen inscrutabile & incomprehensum usque manere mirum esse non debet, est totum quippe lumen. Eximius hujus Margaritæ nitor & claritas præcellentem illam naturam repræsentabat, cujus splendor nullis infuscatur tenebris, nec ullo pax perturbatur bello. Ejus iterùm singularis candor Domini sui Corpus purissimum adumbrabat, ejus demùm natura simplex & individua testabatur unam pariter esse veritatem. Videre erat in ea expressam Ecclesiam, immaculatum ejusdem Margaritæ partum, & huic insidentem Filium Dei, Filioque suo assidentem ipsius Genitricem olim in nube ac cælo significatam, unde lumen illud e lumine manans nobis illuxit. Similibus hjeroglyphicis in ea impressæ visebantur victoriarum ejus ac triumphorum imagines, indicabantur ejus utilitates & mirabiles effectus, sic ut omnia ejus ornamenta non modò meis subjecta oculis perspicerem, sed etiam occulta inde conjectarem.

Gratulabar ipse mihi inventam Arcam Noëticâ potiorem, cujus contemplatus formam satis admirari non poteram; mirabar in ea thalamos clausos, nec ideo umbrâ opacatos. Solis quippe filia est, vocales typos, data, tacente oraculo, responsa, & surdam citharam sine voce sonantem: quum ex improvi-

A provifo meas pepulit aures tuba, ruptæque nubis horrificus fragor me perculit his vocibus: cave inconceffa procaciter appetas, vide, ut arcana & occulta tacitus & admirabundus prætereas, atque iis, quæ tibi fcire indultum eft, modeftè infiftas. Rurfus ftupebam fine nube pluviam, fons erat, imber Cælo cadens videbatur, qui plurium arcanorum interpretamentis meas implevit aures: quare melleum illum rorem Margarita referebat, & ille quidem fe folo B populum aluit, adeo ut eo pafti, nullo alio indigerent alimento, ifta mihi cujufvis alterius cibi appetitionem fuftulit, ut jam nec libros requiram, nec horum mihi lectione, aut expofitione fit opus. Et quamquam alia fuperant arcana, quæ fcire delectet, os tamen illa non habet, ut eam audiam loquen- C tem, nec aures, ut me fcifcitantem exaudiat. Tandem intellexi nullis præditam effe fenfibus, quæ mihi novas ad divina percipienda facultates fubminiftrabat.

Tunc fic locuta eft: maris immenfi filia fum; arcanorum thefaurum, ex eo, quod me genuit, pelago, mecum affero pectori inclufum meo. Tu verò tuis commenfa viribus freta metire, horum Do- D minum reverere, hunc explorare ne audeas. Exercitatos in arte vidi urinatores, iftud ingreffos mare poft me, illicò retrocefliffe, ejus altitudine perterritos, indeque trepidos in continentem fe proripuiffe, adeo nec ad breve tempus ejus fuftinuere fremitum. Etenimverò quis potis fit longiorem ibi ferre moram, ut Divinitatis profundum otiofus explorator perfcru- E tetur. Filius Dei pelagus eft, navigantibus commoda & damna parat. Quid? num concitatos veftri maris fluctus nunquam fpectaftis, utve obluctantem fregere ratem; obfequentem contra minimeque obnitentem fervarunt? Univerfos obruit Ægyptios mare, etfi divinorum arcanorum religionem temerè perveftigando nunquam violaffent. Hebræos etfi hoc infontes crimine terra abforbuit, videte, Scrutatores, F quale vobis immineat malum. Sodomitas item flamma confumfit, fimilem vos exitum pertimefcite. Interfectorum gemitibus pelago perfonante trepidarunt pifces & grandia Cete; ferreum vos pectus habere credo, qui talia fontibus conftituta fupplicia, legitis, & qualia illi perpetrarunt fcelera, concipitis. Ego fanè tremifco, tum maximè quòd illa ab ultrice Dei juftitia ufque modo diffimulari confpicio.

Con-

Concurrunt ſimul impia diſceptatio & pia confeſſio, utram putas victricem fore? lingua ſuaves modulatur hymnos, eadem diſceptando in ſacra irrumpit adyta, utras voces dices ad aurem venturas? Supplex precatio & inſolens quæſtio uno funduntur ore, utram attendet Deus? Quum belluæ natantes à Deo fugientem Jonam ſuum cernerent factum contubernalem ad breve licet tridui ſpatium, facinus exhorruerunt, quis, ajebant, à Deo fugere potis erit? ſcilicet Jonas Deo ſe ſubducere quærit; vos contra protervi ſcrutatores, hunc perſequi adhuc pertinaciter obſtinatis.

SERMO II.

CUI ſimilem te eſſe, Margarita, dicam? Hoc precor, tuum me ab ore tuo pendentem, doceat ſilentium; tacendo loquere; mutas quicumque voces exceperit, intelliget iſthuc, quod præfers, myſterium ſine voce ſonare ſalutis noſtræ Reparatorem. Eſt mater tua ſponſa maris innupta, pelagus illam non duxit, ipſa ſponte ſua in ejus ſinum delapſa eſt. Virgo te concepit, Virgo Mater Judæas feminas ſugillat gemmata monilia geſtantes, nulla præter te gemma ſuo conceptu refert divinum Verbum, quod cælebs generavit Altiſſimus. Quas natura fingit gemmas, ad repræſentandum cæleſtium margaritarum nitorem formare videtur. Fœtus eximius oculis patet, qui hunc concepit uterus adhuc latet; tuus, Margarita, conceptus inde valdequàm admirandus, quòd ſine ſemine & conjugali opere perfectus eſt, origo tua ſingularis eſt, nullam habitura parem. Dominus dicitur habuiſſe fratres, qui certè nullos habere potuit, quum naturâ unicus ſit. O partum ſingularem & admirandum! qui tui ſimilem extra Unigenitum nullum habes; eſto tot dicaris habere fratres & ſorores, quot Regum diademata oſtentant gemmas. Sint, ſi placet, tui fratres Berylli & ſodales pellucidi lapides, cognatum item aurum habeto. Conſtat tamen ratum, extra tuos dilectos neminem in Regis Regum diademate locum habiturum. E mari viventium ſepulcro emerſeras, quum amantes tui tibi obviam venere, quos intuita, vos, clamaſti, Sanctorum cœtus cupiens habere propinquos cognatos & fratres, huc appuli. Grana frumenti ſuis ariſtæ folliculis involuta ferunt, te autem Regum diademata geſtant aureo venuſtè cavo illigatam. Nec utique immeren-

[Syriac text illegible]

A merenti honor ille tibi reddebatur, ut ex eo ubi jacebas loco, ad summum honoris gradum conscenderes: triticum arista gerit in agro, te autem velut insigne capitis ornamentum, Rex sublimi vectus curru, gloriosè circumfert. O beatam maris filiam, quæ de pelago, in quo genita fueras, in continentem migrasti, amatores quæsitura tuos, qui quidem venientem confestim rapuerunt, & ad B proprium cultum ornatumque transtulere. Nec porrò secùs Gentes, quæcumque Unigenitum adamarunt, quum jam præsentem haberent, complexæ sunt, suoque unaquæque capiti velut splendidum diadema imposuerunt.

Occultâ veritatis vi ab hominibus profligatus Draco, pedibus etiam proculcatus est, tum verò victores sordidas abjeC cêre vestes, mundis mox immergendi aquis, hinc per sacramentum Chrismatis Christum induerunt, teque simul indidem extractam surripuere sibi; emersere nudi rejectis, quæ ante exuerant, indumentis. Hac arte suas animas excussere e faucibus Draconis amaro, vano tamen questu clamitantis. Ingenium nacta es mitissimum, quale fuit Agni illius mansueti, qui ad occisionem ductus, non aperuit os suum; si quis te inD festus aliquando invasit, raptamque egit in Crucem, id est, suis auribus suspendit, ut in Calvario colle Judæi Dominum, tuam spectatoribus lucem, adeo non subtrahis, ut inde liberaliùs etiam non merentibus profundas.

Pulcherrimam Filii Dei formam tuo in vultu expressam cernimus, sustinuit ille Crucem, ligno trabalibus confixus claE vis; quid? num te non similis pœna afflixit immerentem, nec tuæ terebratæ sunt manus? & illi quidem Crux regnum comparavit, tibi verò ærumnæ & labores pulchritudinem & venustatem conciliarunt. Enimverò quò tibi persecutores minus pepercerunt, teque crudeliùs tractarunt, eò tibi profuere magis, unde enim te tantis affecêre malis, regale tibi Diadema fabricarunt. Simon Petrus Petræ miseraF tus ærumnas, ex vero prædixit fore, ut collisa suos collideret offensores: adeo liquet persecutionibus ejus splendorem extinctum non fuisse, ut vel ex hoc ipso conflictu majorem adepta venustatem Superis Inferisque novam lucem affuderit.

SERMO III.

TE meritò, Margarita, miror, quæ nudata quæris lucem & latebras fugis. Negotiator quoque tuo incensus amore, suis se expoliavit vestibus, non quò vellet te operire nudam, nec enim talis eras; fulgor namque tuus te tegit & ornat, communibus carentem tegumentis. Hevam proinde refers, nunquam minus nudam, quàm quum nuda fuit. Quare meritò execrandus ille veterator, qui simplicem fœminam suis circumventam dolis expoliavit, nudamque reliquit. Non ita tuum, Margarita, tibi coluber auferet ornatum unquam, nec enim potest. Consimile tuo amiculum in horto deliciarum beatis fœminis nova retexet lux.

Job.28.19. Margaritas Æthiopia profert candore insignes, uti nobis sacræ restantur literæ; quis, cedo, Nigritarum regionibus te omnium gemmarum nobilissimam dedit? Ille videlicet, qui diem cunctis attulit gentibus, Æthiopas & Indos etiam illuminavit. Quum enim Eunuchum Æthiopem curru vectum aliquando vidisset Philippus, nitidissimus agnus de lavacro veniens, atrum hominem convenit, & sacrâ prius lectione eruditum, sanctis mox aquis expiavit, inde nova accedente luce illustratus Æthiops, eâdem ducente, interruptum resumsit iter: in patriam revectus, gentiles suos colorem mutare docuit, & atros Æthiopas in candidas Margaritas transformavit, quas quum Filius Dei accepisset, Patri suo Æthiopicis gemmis illuminatum diadema obtulit.

Regina Saba Chananitidem venit, ovis videlicet ad saltum ferarum, veritatis lucernam ei Salomon accendit, quumque jam ad vanas gentium religiones declinasset, *3.Reg.10.1.* femur etiam inclinavit. Et Regina quidem, recepto lumine, læta discessit, Hebræos autem consueto gentis vitio oculis laborantes reliquit. Cæterum scintilla, quam illa beata in opacam regionem intulerat, lumen suum conservavit, donec, adjuncta nova luce, scintillula crevit in Solem, qui, dissipata undique errorum caligine, universam Provinciam collustravit.

Magnos fert pisces mare, quorum bene multi ad decumanam magnitudinem proveniunt, attamen parvi reverâ sunt; tua, Margarita, moles quantumvis angusta sit, regale diadema splendidè ac magnificè condecorat: scilicet Filii Dei symbolum es, cujus humilitas Adamum ad summam amplitudinem ac dignitatem evexit. Tu quo-

[illegible]

quoque diademati inserta caput coronas, pulcherrimâ specie oculos delectas, auribus splendorem accersis. Ohe satis in aquis jacuisti, cui terrestre domicilium natura dixit. Quin ergo ad propria remigras, nostris assuefacienda auribus: consentaneum namque est, ut istæ verbum salutis tecum pari amore complectantur. Intra aurem sedet verbum, extra illam Margarita: auris, cui te tuus Auctor commendavit, discat a te verbum veritatis commendatum habere, hujus speculum esto, atque verbi decorem in tua speculetur formâ: in te intelligat ejus pretium. Ramum finge tibi esse aurem, corpus puta arborem, tequemet intra ea quasi divini fœtum luminis: forsan tua etiam Symbola lucis genitricem respectant. Tibi Dominus simile dixit regnum Cælorum, quod aliàs comparaverat quinque Virginibus, quibus solertia in conservanda suarum lampadum luce aditum illuc patefecit: Virginibus tu quoque similis es, simili, quâ illæ nitent, luce coruscas.

Nemo sanè pauperi fœminæ unionem afferat, nec enim huic ejusmodi cultus congruit: quin ergo illa fidem gratis comparare satagit, quæ omnibus planè hominis membris apta & habilis est; sed nec nobilis matrona suam auro distrahat Margaritam. Videsis, qui talia audis, qualem, quamve turpem notam laturus sis, si fortè cogitas in lutum projicere tantæ auctoritatis gemmam. Ex fragilis porrò lapilli pretio æviterni unionis dignitatem æstimare debes, & ille quidem in pixide custoditur, aut annulo inclusus gestatur, aut conditur intra adyta, eique clausis ubique obseratisque ostiis studiosè cavetur; tuam verò Margaritam Altissimus ille tuo repositam pectore, obsignavit; uti enim rebus pretium ponere novit, sic datorum & acceptorum rationes exigere solet.

SERMO IV.

[illegible]

Latronem capta cepit Fides, ligno suffixum refixit sustulitque lignum, & in horto deliciarum sede locavit. Vidit esuriens lignum trabe suspensum immortalitatis antidotum, si fructus fuit, ipse certè illud comedendo Adami imaginem expressit. Fatuus quidam, quum a rectâ declinasset, fidem quæstionibus quasi prurientem oculum adortus est. Sed enim si scalpendi voluptas oculos tandem occæcat, longè magis disceptandi libido fidem. Sed enimverò nec urinator repertam Margaritam anxius morosè examinat; & omnes nego-

negotiatores gaudent illam ad suas venisse manus, nec unde venerit sciscitantur, sed nec id rescire curat Rex, qui suo eam inseruit diademati.

Quum Balaamus mutæ animantis stoliditatem induisset, rectè jumento monenti parere coactus est, ut qui Deum suo ipsum alloquio dignantem sprevisset; tu verò pro jumento unionem habes hîc monitorem. Sic olim populum Deus cor habentem lapideum increpuit per lapidem sibi jubenti obsequentem, suâque rupes obedientiâ homines refractarios revicit. Vos autem, quicumque ad veritatis monita obsurduistis, hodie Margarita castigat. Deo citante testes adfuere Turtur & Milvus suam hominibus stultitiam exprobraturi, Bos item & Asinus; accedit modò Margarita avibus, ac bestiis terrestribus ac marinis testimonium dicturis suffragatura.

Cæterum ne tu illam similem cogites Lunæ crescenti semper & senescenti, modò immensæ orbe pleno, ac repentè nulli; Soli potius compara astrorum principi; nam parva licet sit, hac ipsa sua parvitate repræsentat Filium Dei, illum scilicet luminis fontem, qui, quantulamcumque emiserit scintillam, Solem occultat. Astrum est Margarita plenoque semper nitet orbe, nec verò quale est gemmarum vulgus, ut ei aliquid demere queat gemmarius; eam quippe sua forma munit integramque servat: neque deteri, aut minui potest, ubicumque est, tota est. Quamobrem si quis velit illam dividere, resectamque inde particulam sibi auferre, continuò a se ipsa excidit, degeneratque in eam, quam sanctæ religionis desertores commenti sunt fabulam, dum quam hausere fidei regulam discerpere & dilaniare non dubitant. Ejusmodi porrò fide potiorem vix duco illorum sectam, qui de sanæ fidei decretis disceptant. Natura fidei perfecta est, nec infringi potest, si quis hanc dilacerare tentat, ipse se, non illam lædit, quique ab ea discedit, nec sibi ipse constat: enimvero qui lumen fugit, nil huic officit, suis dumtaxat oculis cernendi facultatem adimit. Aër & ignis interjectu corporum dividuntur, lux una individua est; est lux suo similis Conditori, nec infoecunda est, citra sui detrimentum generat similem.

Cæterum si quis te, Margarita, fingit compositam, quasi pluribus compactam partibus, vehementer errat, tua natura clamat, te non esse Opificis figmentum, nec esse dividuam, quale est omne lapidum genus; illius scilicet Unigeniti imago es geni-

[illegible]

A geniti non facti: nec ideo Filio Dei comparabilis es; ab infimo siquidem loco originem ducis, tui autem Conditoris Filius ab illo genitus est Summo, infra quem cuncta summa jacent, & ipsum tibi dissimilem facit similitudo, quam ad Patrem habet perfectam & absolutam. Ex duplici utero diceris edita fuisse; è Cælo namque labens fluidam solutamque naturam habebas, prodiisti post ex B aquis velut Crystallus concreta totaque in te compressa; inde visa es hominum consuetudine delectari: tum verò quasi corpore assumto, & artificis manu venustè cavis inclusa fuisti, atque ab iis, quibus te possidere obtigit, diademati inserta velut Cruci suffixa, victrices frontes velut virtutis insigne exornas: auribus item ad ornatum accedis, velut earumdem complementum & coronis; sic ad omnia te C pandis & explicas.

SERMO V.

NUnc demirare donum, Margarita, id est, quæ sui cupido occurrens urinatori sponte sua emersit ex aquis; hanc referens lucem, quæ nostris ultro se offert oculis, divinum adumbrans Solem, qui D non rogatus, diem nobis aperit non sensui, sed menti aspectabilem. Vultum, Margarita, tuum simili arte suis coloribus expressit pictor, sic tamen, ut in te descriptam agnosceremus fidem, non pigmentis, sed arcanis figuris notisque depictam, tuique Auctoris vultum simul exhibuit, non quidem penicillo expressum, sed in te tuâque specie adumbratum. Nihil tu quidem sensibus subjectum oles, E suavissimè tamen divinorum arcanorum odore nos recreas, nec esculentum quid es, tuorum tamen auditorum palato jucundissimè sapis. Certè liquor non es, nec proinde offerenda potum petenti, mysticum tamen fontem auribus, aliquid de te narranti auscultantibus aperis.

Tuæ profectò magnitudini nativa parvitas nil detrahit. Mensura, moles & pon- F dus infra mediocritatem contracta sunt, eam tamen dignitatem diademati confers, cui parem fingere mens nulla potest; quare si quis sub angusta mole latentem amplitudinem tuam non cernit, teque proinde contemnit, nec curat amissam, suam tandem damnabit imprudentiam, quum te in diademate Regis locatam aspiciet, simulque sibi suum à te exprobrari vitium audiet.

Immersi pelago urinatores nudi te Mar-

Margarita, nobis extulerunt; nec enim cuipiam Reges te primi dederunt, ſed ſuis expoliati veſtibus ignobiles mercenarii, te è profundo maris extractam ad noſtros tranſtulere uſus; Domini videlicet Apoſtolos inopes, piſcatores & Galilæos repræſentabant. Nec enimverò alius ad te patet aditus, nec aliis; incaſſum ſcilicet te capere tentant, qui ſuas non depoſuere veſtes: quicumque te ſunt conſecuti, infantium nuditatem affectarunt, aquis ſua corpora ſepelierunt; & ad te deſcenderunt, tu verò venientes effuſo excepiſti ſinu, tantopere ab iis te amari geſtiens. Tuam illi confeſtim renunciarunt amplitudinem & dignitatem; quas vero homines cæterà inopes ore prædicabant opes, aperto mox ſinu protulerunt, ſpectantibus & mirantibus gemmariis novam, quam illi expoſuerant gemmam. Propoſitam populus laudavit mercem, teque ſibi liberaliter donatam utraque ſtrinxit manu velut oblatum incommodorum vitæ allevamentum.

Quotquot in aquas deſcenſuri ſuas detraxere veſtes, tuum ex aquis, Margarita, aſcenſum adumbrarunt. Secus ſtagnum Apoſtoli futuri veritatis præcones, Conditoris ſui Unigenitum ab Inferis revectum ſpectarunt; tuâ tuique Domini præſentiâ ſtagnum, mox etiam mare decorata ſunt. Quiſquis emerſit ſanctis immerſus aquis, ſuas reſumſit veſtes; ſimili curâ Simon Petrus, poſtquam ſtagnum nando tranſmiſit, detracta requirebat indumenta: utrique ſcilicet tuum, tuique Domini amorem velut proprium ornatum induerant.

At quò me, Margarita, rapis? ad me ipſe jam redeo, teque hactenus otioſus ſpectator contemplatus, tibi me ipſe ſimilem reddere conabor. Et quandoquidem tu tota in te compreſſa tibi perpetuò conſtas, unaque tibi ſemper ſimilis perſeveras, dabo operam, ut unus item ipſe æquabilis & conſtans in te permaneam. Gemmas collegi, coronam fabricare propoſui, Filio Dei offerendam, ſic hærentes meis membris maculas tergere ſtudeo, ſuſcipe, tu, Domine, quæſo, donum, non quòd te meo dato egere credam, ſed quòd ego meæ indigentiæ ſuccurrere velim, ſic meas, oro, labes eluito. Corona ſiquidem Margaritis ratione cretis conſerta eſt, nec auro, ſed caritate conſtat, nec ligamentis, ſed fide cohæret, quamque non manus, ſed tantæ Majeſtatis laudes perſequens lingua ad Altiſſimi conſpectum ſublevat.

[illegible]

SER-

[illegible]

SERMO VI.

Utinam frequenter Patrum è tumulis expirans odor filios afflaret. Enimverò quum in paucis ſapientiâ florerent, parem huic ſimplicitatem & modeſtiam habere ſtuduerunt: quare reſectis futilibus quæſtionibus acquieverunt fidei teſtimonio, monſtratamque ab illa viam ingreſſi, hanc ſibi perpetuò calcandam ſtatuerunt. Legem promulgante Deo, tanto præſente Legiſlatore liquati defluxere montes, latam legem per ſummam vecordiam contemſerunt homines. Eliæ ſecus torrentem in vaſta ſolitudine moranti Deus per corvos providit annonam; & Samſoni de ſceleto expreſſit mel, neuter de hoc facto diſceptavit, aut Deum auſus eſt interpellare, cur iſta munda pro mundis habenda ſtatuiſſet, illa contra tanquam immunda rejeciſſet.

Dominus ſabbata ſolvit, & Gentes priſca ſuperſtitione oppreſſas curavit: uxorem ab extraneo populo ſibi Samſon quæſivit, nec ulla ab exoticis nuptiis emerſit quæſtio inter Juſtos. Propheta meretricem duxit, nec hujuſmodi conjugium carpere auſus eſt quiſpiam vir probus. Idem Dominus quoſdam volentes, ſe haberi juſtos, potiùs quam eſſe, ſeverè redarguit, eorumque vitia detexit & publicavit: peccantium tamen caſum doluit, lapſos miſericorditer relevavit, disjecitque prementem miſeros criminum molem. Dei jura diſcrevit & ſanxit nemine reclamare auſo. Verus quum eſſet Dominus habuit obſequentes ſibi famulos, velut ſuam corpus opacum umbram, unus hero ſerviſque fuit ſcopus, idem ſenſus & eadem voluntas. Quumque idem Sol eſſet, offuſas ſuis Diſcipulis tenebras ſua luce profligavit.

Mirum in quantas ſe compegerunt lites Heterodoxi in rebus cæteroqui patentibus & obviis! clarum utique eſt novum, quod nos tenemus, Teſtamentum a Deo perſpicuè fuiſſe præſignatum in eo, quod Prophetis traditum fuit; iſti nihilominus homuli, alto, quo modò premebantur, ſopore necdum penitùs diſcuſſo, utrumque legentes, affuſâ velut inde caligine oppreſſi, delirare cœperunt. Et viam quidem viri ſanctiſſimi ante explanaverant ac triverant, veritati, quam hauſerant inſiſtentes, in planiſſimo tamen calle ſalebras iſti confinxerunt; quid enim ritè facerent homines mero pleni? rectam deſeruere viam, & in anfractus ſe ultrò conjecerunt. Nec id verò mirum, eos turpiter aberraſſe,

rasse, qui perversum disceptandi studium cæcum ducem sequi obstinarant. Lucem suis incurrentem oculis transformarunt in tenebras, quò liberiùs vagari liceret. Incidit in manus Margarita, fides, dum illam curiosi negotiatores circumspiciunt & examinant, imprudentibus excidit & periit; sic Margaritam in lapidem transformarunt, unde sibi offendiculum paratum invenirent.

O donum mortis antidotum, quod fatui homines in venenum converterunt. Judæus, ut claram tuam a fonte scaturiginem intercideret, elaboravit, exitus conatum elusit. Simili astu Hæreses, quum tuam pulchritudinem extinguere non possent, a suo principio distrahere tentarunt. Sed enimverò quicumque eò projecti sunt, ut a tuo te Auctore avellere cogitarint, non te, sed ipsi se ab illo alienarunt, tuâque virtute resecti exciderunt; en videmus, quos Sion protulerat surculos, avulsos ac dispersos, atque Hæreticorum sectas exitu non admodum dissimili sublatas. Oro, fides, tuam nostræ parvitati admetire amplitudinem; quamdiù enim te totam inspicere & dimetiri non licet, amor nec conquiescere, nec tacere potest. Te ipsa, quæso, contrahito, & parvam, quo potis es modo, minorem facito: cunctis, fateor, superemines, te tamen omnibus longè latèque superfundis.

Jam vel ex eo coarguendi veniunt nostræ Margaritæ scrutatores, quòd decedente caritate, discordia fratres incessit, mox etiam audacia, adeo ut visendæ tuæ formæ desiderio incensi, velum ori tuo obductum reducere pertentarent; suspicabantur nimirum, hanc esse fuco quæsitam, quum tamen scirent, ejus originem & ortum effari nemini licuisse. Quamquam vel incredulis aliquando te quadamtenùs conspiciendam dedisti, ut cujus archetypi typus esses cognoscerent, quum autem te totam oculum esse cernerent, hæsere mente attoniti, & usque adeo perturbati, ut ipsi in contrarias sectas divisi, te pariter scindere molirentur; sed contra accidit, ut iidem a te discissi, jam nec sibi ipsi consentirent, quum tamen ipsa invariata perseveres, tibi semper similis & constans. Iis solummodò tuum cernere non licuit vultum, quibus suos veritas oculos negavit. Præterquamquòd velum proprium Prophetarum insigne arcanis intextum notis, oris tui fulgorem tegebat, simul illorum oculis occultabat; aliam proinde te esse crediderunt, quum eadem ipsa sis datum nobis speculum veritatis, propterea que sectæ

A ſectæ oculis laborantes infeſtam ſibi lucem tuam obſcurare conantur.

Sed quoniam alii te ſupra tuum extulere modum, & infra depreſſerunt alii, ut partem utramque ad æqualitatem reducas, ageſis, & ex eo faſtigio, in quo Pagani & Barbari te locarunt, deſcendito; rurſus inde aſcendito, quò a Judæis abjecta fuiſti, Cælum licet ſemper obtineas. Tu verò veritatis amicus imaginare Dominum B noſtrum medium inter homines, ac Deum tibi præſentem: fac accedant Prophetæ, palamque & publicè, quem hunc eſſe credant, loquantur; illa nunc Genitor ſua recinat verba, quorum vim Judæos & Paganos fruſtra nituntur infringere.

Hìc jam adeſto, fides, donum ſanctæ Eccleſiæ divinitùs conceſſum; in hujus, oro, ſinu morare & conquieſce. Quòd ſi C te exagitavere Circumciſi, id non mirum, fabulas iſti & ſua ſomnia conſectantur; cum ipſis conſpirarunt Heterodoxi, nec iſtuc novum, contentiones quippe amant & lites. Videdum, ut ei gratam te præſtes, qui tibi condidit adjunxitque gentem tibi decoram, quæ te ſuis ſubvectam humeris, glorioſè per Orbem circumfert. In Moſaico teſtamento primoribus velut lineis deſcripta fuiſti, in novo deinde fœdere perfe- D cta, pleno velut Orbe jam nites; ſic a primis ad noviſſimos lux tua propagata eſt. Reliquum eſt, ut ei gratiæ agantur, qui nobis tuæ lucis crepundia primùm oſtendit, poſt etiam attulit meridiem.

SERMO VII.

SEceſſum quærebam, in palæſtram in- E cidi, convenerant huc ex parte Heterodoxorum Sophiſtæ, nova inceſſerat otioſos cupido explorandi ſaporem ignis, cernendique ſpirituum colores ac mollitudinem, & lenitatem lucis: in has nimirùm lites egregios illos diſceptatores ſplendor à Sole emicans impegerat. Filium Dei noſtris utique ſenſibus minùs obvium, quam noſtræ mentis cogitatio, manibus etiam attrectare ſe poſſe nugabantur; nam F Spiritum ſanctum ab omni itidem noſtra facultate abſtractum jactabant, ſe ſuis ſibi ſpeculationibus ſenſilem feciſſe: Patrem verò, qui vulgò incomprehenſus haberetur, ab ipſis proprio acumine fuiſſe inveſtigatum, & comprehenſum. Nos autem perfectum fidei exemplar accepimus ac tenemus Abrahamum: pœnitentiæ noſtræ formam Ninivitas & Rahab domum; ſpei demum noſtræ archetypum Prophetas, & Apoſtolos.

Invidiam primus intulit Diabolus exitiale malum; ad impiam Ægyptii religionem vitulum, turpe simulacrum invenere. Finxerunt Hethæi horribile spectrum, idolum quadriforme. Græcorum fœtus est occulta tinea, Sophistarum dialectica. Jam verò quum hujus artis libros legisset Orthodoxæ fidei adversarius quidam, sana dicta corrupit, impias opiniones disseminavit, spei nostræ fundamenta subvertit. Hunc scilicet fructum felle draconum virulentiorem attulit, quisquis disceptandi libidinem primus accendit.

Aetius.

Diabolus ut vidit, acies suas ab adversa veritate infractas, eâdemque subolescente, sata ante zizania suffocata, publicæ luci se subduxit, adversùs nostram disciplinam occultos dolos molitus est, tetenditque laqueos. Sacerdotes ante alios adortus ad ambiendum primatum concitavit. Continuò Clerici cœperunt inter se certare, & ad Ecclesiasticas præfecturas omnes pertentare aditus, fores perrumpere & perfringere claustra: & alii quidem ad dignitates per occultos tramites, quasi per cuniculos conniti; alii contra palam, & velut directâ acie viam sibi aperire; plerique rem velut ex æquo & bono pecuniâ transigere, aut simulatione virtutis & probitatis; sic non unam omnes tenuere viam, etsi unus esset omnibus scopus. Juvenes suos non computavere annos, ut intelligerent ætati suæ locum, quem appetebant, minimè convenire; senes spes suas & somnia ultra senium composuere. Hac fraude veterator vaferrimus suis conclusit retibus universos. Ecce jam senes & juvenes, quin & pueri ad summos in Ecclesia honores aspirant.

Veteres ille nocendi artes dimisit, sibique nova fabricavit arma. Antiquum Judæorum populum teredo & caries eroserunt & absumserunt, si quid relictum, sceletus nimirum est, & nudata ossium compages. Ergo in novas vestes, novas videlicet gentes, novum tinearum genus immittendum fuit. Et quoniam videbat Christi interfectores abjectos despectosque & velut extraneos à communi hominum consuetudine contubernioque exclusos, ex domesticorum & familiarium turbâ scrutatores sibi finxit, adoratores fecit disceptatores, ex ipso panno tineam protulit, eodemque involutam reliquit, dum similem frugibus procurat pestem. Postquam verò plena horrea vermibus scatere vidit, sedit spectator otiosus. Extemplò annona multo labore coacervata, in teredinum retrimentum soluta est; simili astu vestes dignitatis

A tatis inſignia tineis abrodendas dedit & perdidit. Adeo nos ille illudit, & ipſi nos ipſos illudimus, poſtquam rationem mentemque vino merſimus. Zizania Satanas ſeminavit, agrum ante cultiſſimum ſimul operuere vepres. Caulas infecit, & ſcabies in oves graſſari cœpit, hac arte ſibi gregem avertit univerſum, ſuoque adjecit cenſui; pugnam a populo Judæorum inchoavit, eoque profligato, adversùs Gentiles B procurrit, ut eorum cæde prælium conficeret.

Calamum ſenior ille populus, quum Filio Dei illuderet, ſceptri loco obtulit; ſcelere haud diſſimili juniores calamo ſuis in ſcriptis illum ex Deo purum hominem fecerunt. Calamum itaque pro calamo Diabolus adversùs ſalutis noſtræ Reparatorem ſtrinxit, atque pro diverſis veſti- C bus, quibus illum ipſius interfectores per ſummum dedecus & ignominiam induerunt, nuncupationes ipſi minimè decoras malitiosè confinxit, eique allevit, Effectorem rerum modò creatum, modò factum appellans: & quoniam aliàs ſpinis utique mutis coronam ei texuerat, vocales modò ſentes in ſertum compegit, hiſque ſuperfudit carmina in varios modulata ſonos; ſic vepres canoris incluſit tibiis, D ut falleret.

Satanas, quum animadvertiſſet, ſuam in præteritis conatibus nequitiam fuiſſe deprehenſam, ſputaque & acetum, ſpinas & clavos, Crucem & ignominioſam veſtium mutationem, arundinem & lanceam utpote in propatulo poſita, & vulgo infamiâ & dolore execrata, mutata velificatione ſtatuit alium tenere curſum. Quamobrem pro alapis, quibus E Dominus noſter cæſus fuit, cæcam errandi licentiam induxit, ſubſtituit ſputis diſputandi rixandique pruritum, ignominioſis inſignibus clandeſtinas molitiones, & apertam diſcordiam arundineo ſceptro ſubrogavit. Adeo nihil prætermiſit, quo nos perturbaret & confunderet. Furorem ſuperbia concitavit, incubuere ſimul invidia, & iracundia, arrogantia & ſimulatio, factoque agmine Salvatorem noſtrum invaſere F eodem fermè impetu, quo olim in ejus necem conſpirarunt. Crucis patibulo conſpicuo, & oculis patenti ſubiere ſecreta Hereſis, clavisque ferreis fraudulentę diſquiſitiones, atque Servatoris ad Inferos deſcenſui ab orthodoxa veritate defectio. Satanas nimirùm typum Crucis vetuſtate prope conſumtum reſtituere ſatagebat. Pro ſpongia aſperſa aceto ac felle diſquirendi peſtiferam curioſitatem invexit: & Dominus quidem

dem respuit oblatum fel, fatuis contra pruritus à perduelle spiritu accensus, accidit gratissimus.

Illatam Salvatori necem tunc Judices vindicarunt, contra modò video Judices velut adversùs nos conspirasse, & pro chirographis impunitatis scribere damnationis judicia; & quod magis deflendum, Sacerdotes sueti Reges consecrare, ipsis offendicula aggerant, quum pacem imperio precari deberent, Imperatores ad arma concitarunt, inde cœpta ab iis adversùs subjectos sibi populos bella. Pacem, Domine, poscimus Sacerdotibus & Regibus; præsta, quæso, ut in unam Ecclesiam coëuntes clerus & populus, pro salute Principum Deo offerant preces & vota, subjectisque clementiam Moderatorum exorent. ita, precor, turbatum intestinis discordiis reipublicæ statum pacato tu Domine rerum internus & externus Dominator omnium.

EJUSDEM S. P. N. EPHRAEM SYRI

In idem Argumentum Sermones tres decerpti ex alio Codice Vaticano.

SERMO I.

NOstram stupeo audaciam, cogitans, quale sibi culmen quàm sublime petat, non quòd illuc pervenerit miror, sed quòd eò se perventuram crediderit; nec enim quò quis aliquid assequi se posse sperat, eò obtinet, quod obtinendum sibi promisit: spem exitus sæpe fefellit. Sperare admodùm facile est; insani siquidem Divinitatis indagatores perfectam ejus notitiam sibi quoque pollicentur, expectationem tamen nunquam non delusit eventus; quamlibet nimirum supereffluit ille intelligentiam, cujus Numine è nihilo omnes crevère mentes, quare nec hominum investigationi subest, & Angelorum perspicacitatem transcendit: opus artificis sui rationes explicare nescit, sed nec modum, quo ab illo fabricatum est, narrare potest: at si suam effectus conditionem non assequitur, quomodo Effectoris sui Majestatem obtineat. Incassum nititur mens in arcem sui Conditoris evadere; infra hanc reptant humi disceptantium studia, dum conantur ei similem invenire, cui præter Unum nemo dissimilis non est; omnes ab ejus notitia exerrant, qui unus ipse sibi notus est. Cum

[illegible]

A Cum rebus è nihilo eductis hunc nulla jungit affinitas, ita ut creatæ mentes, dum sibi proximum quærunt, inventum iri non desperent, nec rebus materiâ concretis congener est, ut homo lutum ejus rationes exponere possit, sed nec Angelis compar est, ut ex paritate naturæ conditionem ejus conjectent: Cherubim utique socius non est, qui ab ipsis tanquam Dominus gestatur: inter volantes Seraphim ineptè requiris, B quem propriæ naturæ excellentia ad dexteram Majestatis locavit; fam ilum non esse liquet, cui eadem, quæ Patri exercet obsequia, familia præstat universa: Cælitum agmina ejus continentur imperio: nec illis Genitorem sine Genito videre licet, nec sine ipso quæ per ipsum a principio facta & constituta fuere. Lux oculo concipitur, totumque corpus illuminat, sonus pepulit aures, C omnia membra perculit; ciborum saporem percipit palatum, ejusque sensum toti corpori communicat: simili modo Angeli per Filium vident Patrem, cujus ex utero idem genitus est, perque ipsum Genitoris vocem audiunt, ejusque donis cumulantur: frustra in hoc negotio requiras socium, qui sodali auxilium ferat & ab eo vicissim referat. Sensus mutua indigent ope, & cognatione quadam inter D se connectuntur, res omnes velut membra in corpore sibi invicem cohærent & opitulantur; supernæ pariter Intelligentiæ constitutum ordinem servant, & pro graduum differentiâ altera jubet, obedit altera; unus Unigenitus omnibus, quæ dixi, quæve prætermisi, imperat & dominatur, & ab ipso suspensa sunt omnia. Qua ergo via hunc investigabis? Quòd si Patrem cum E illo naturæ communione copulatum potis es comprehendere, cum Patre Filium utique simul apprehendes, nec enim ab ejus ore potest abesse, quum ille jubet, nec a manu, quum idem operatur. Pater per Filium jubet, & agit, alter dumtaxat alterum capit: Filius in sinum Patris recipitur, quum ejus petit amplexum, quumque sedet, ejus dexteræ assidet: hunc amat, hunc spectat.

F Vehementior est ejus fulgor, quàm ut servorum oculis tolerabilis sit, quare nec Angelis aspectabilis est: ex Mosis facto id conjectare licebit. Mosis in vultum oculos defigere populus non sustinuit, naturæ ex sese existentis faciem videre quis potis erit? Unus ex ipso Genitus Genitorem videt, ad cujus jubar omnis hebetatur oculus. Unus, ut dictum est, Unum videre potest, & per Unum cæteri omnes ab ipso conditi & constituti. Solus ipse

ipſe ſibi ſufficit; quocirca non aliunde, ſed a ſua ingenua bonitate habet, quod premia diſpenſet, & a ſua ultrice juſtitia, quod pœnas infligat, ipſe ſibi modus & regula eſt; ipſe ſe movet ad iram, quum iraſcitur, & ad miſericordiam ipſe ſe flectit, quum parcit, a ſua præſcientia habet, quæ futura revelat, & quæ docet, a ſua ſapientia diſcit; divitias & ſcientiam ipſe de ſuo largitur, ejuſque ſolo conſilio rebus ab ipſo conditis providetur, & ejus liberalitate egentium inſtruitur inopia. Verè ſummum bonum, cujus ex theſauris cuncta nobis diffunduntur bona, idem ſuis Athletis ad vitam olim redituris coronas diſtribuet, ſed quum totus in ſe retruſus & abditus deliteſcat, quis hunc aſſequi inveſtigando valeat?

Adorant Angeli, & ſilent, clamant Seraphim, & ejus prædicant Sanctitatem, Majeſtatem reverentur Cherubim, & portant. Quæcumque è nihilo crevere, abſconditum Patrem per manifeſtatum Filium a longe adorant; ſed etſi alia natura foret, ſua vi cohærens, Filiumque inveſtigare potens, hæc utique non ex ſeſe, ſed a Filio haberet, unde ipſum videre poſſet; ſecus ſi quam peregrinam ſubſtantiam fingis, & Filium propriâ virtute videre credis, ei utique affinem & cognatam dicere debes. Præterquamquòd ſi natura talis extaret, & ipſa ſola Filium cognoſceret, vel hunc alium ſibi fingeret, ab ipſa ſejunctum, tanquam extraneum, vel contra ſibi affinem, tanquam communi naturâ conjunctum: atqui ſi communionem hujuſmodi admittas, quam fingis naturam aliam, alia non eſt, ſed Deus eſt, nec inde ſubſtantiarum, ſed nominum dumtaxat numerum colliges. Atſi contra a Deo extranea eſt, creatura eſt: atqui nulla creatura, nec ipſi primi ordinis Angeli hanc ſcientiam tenent; quare nec talem creaturam Deo affinem dicere potes, tum quòd nec cum Deo communem naturam haberet, tum quod nec Deum videre poſſet; ſed rectè pronunciabis, eam eſſe extraneam, atque ab ipſo remotiſſimam. Tu autem ex luto, & argilla factus, & infimo addictus loco, vide, ad quàm ſublime culmen aſpiras.

Te ipſe fallis, ſi credis quanto tibi intervallo ſupereminet Cælum, tanto à te diſtare Cælorum Dominum. Cæli altitudinem definire potes, Conditoris tui excellentia omnem modum exſuperat: omne, quod conditum eſt, comparabile eſt, & altero fictæ comparationis extremo majus imaginari potes, unus rerum Repertor

A B C D E F

[illegible]

A pertor incomparabilis eſt, adeo res à ſe conditas ſuperexcellit, ipſarumque intelligentiam ſupervolat. Creaturas naturalis cognatio jungit, breviſſimum eſt, quod eas ab invicem diſpeſcit, fretum, qui autem rerum factarum principium eſt, nec alterius beneficio, ſed vi ſua cohæret, infinito ab illis ſpatio diſcedit. Unus ei propinquus eſt, per quem unus omnia condidit. Nullus ad eum aditus B ſervo patet, uni nimirùm Filio Patrem adire licet, nec ei aſſidet ſocius; hanc enim ſedem unus obtinet ab ipſo Genitus.

Res factas interjectus ingens hiatus à ſuo Effectore prohibet, nec tamen ei ad illas commeatum intercipit, ſine quo omnes nec ab initio extitiſſent, & modò in nihilum relaberentur. Illæ ipſi cohærent, non item ipſis ille, ſed & quantumvis C idem illis ſe immiſceat, non idcirco cum ipſis confunditur. Solis influxus per intimos terræ ſinus immeant, ejuſdem tamen natura non minus ab illa diſtat, quàm a perſpicuitate lucis terræ opacitas. Aurum terrâ cretum ab eâdem ſecernitur, etſi eidem immiſtum ſit, quanto magis ſecretum exiſtimare debes ab artefactis artificem quantumlibet ipſis conjunctum. Næ ille ubique imperveſtigabilis eſt. Quid D te altiora quæris, vile lutum? quin terram cogitas, qui in terra jaces? quam calcas humum, ſuas te perveſtigantem rationes fallit: qui vix hæres in imis, cur ſumma petis, aut eò evadere ſperas? Si cognatum pulverem, quandoquidem ex eo factus es, non aſſequeris, quis tu, ut audeas indagare naturam eximiam & omnium præſtantiſſimam, ac proinde E inſcrutabilem?

Sed ageſis, terram præ oculis habes: res una eſt, & quidem parva, illam curſim & velut per tranſennam aſpicienti, multiplex tamen & magna ſeriò & accuratè conſideranti. Una eſt, & non una, numerum induit a multiplicitate ſuorum effectuum. Venter unus innumeros ſapores concipit, & parit, unum repoſitorium, nec opidò amplum infinitum F ornamentorum apparatum continet, & offert. Terra rerum mater natos generat degeneres, nec parenti, nec ſibi invicem ſimiles. Ab exiguo ſinu res mirandæ nobis exiſtunt, & in paupere domo plurima aperiuntur æraria. Ex uno fluxere fere omnia, ex uno namque terræ elemento primùm crevêre cuncta. Terræ nihilominus natura cum omnibus ſenſibus pugnat, ingeſta auribus officit, oculis incidens moleſta & gravis eſt; audi-

auditûs quippe meatus obstruit, & visûs hebetat aciem.

Terra ex sese inutilis, nobis omnium commodorum fons est, apta ad omnes usus, ad nullum non prorsùs inepta est: famis remedium est, at si præter terram mensa tibi nulla sit, victus nullus erit. Terra palatum nostrum offendit, quæ maledicti serpentis cibus est, hanc tamen, quam serpenti Deus dedit iratus, cunctis viventibus propitiùs offert, quasi mensam congruentibus singulorum conditioni cibis cumulatissimè refertam. Cui cum nullo palato convenit, eadem omnibus animantibus convenientia alimenta profert; quam oculis nostris exitiosam diximus, eadem remedia parat; lutum, quod videndi facultatem adimit, hominis a sua nativitate orbi oculos restituit. Terra itaque, seu ejus naturam consideres, seu quæ ministrat alimenta percurras, tantum continet utilitatis quantum fortasse nulla res præterea; qui talia cernis, mirum est, si quas nobis illa profundit opes, non opidò mireris. Elementum exsuccum omnis succi fons est, ex sese inuber & siccum, uberes & profluas emittit aquas, idem ex sese tenerum & molle, æs & ferrum producit, quod vides egenum & nudum, fundit argentum & aurum. Terram habent aves communis provisoris loco, bestiæ eandem quasi matremfamilias respectant, dives & inexhaustum horreum rectè dices, quod cunctis jumentis reptilibus, atque hominibus alimenta perpetuò suppeditat.

Aliud rursus in hoc, quem calcas, pulvere considera miraculum, quod tamen ob ipsius simplicitatem vix alius attendat. Naturæ Auctor in eodem solo discordes plantas concordavit, & junxit. Suavis, ut vides, & utilis planta insuavi & inutili adnascitur, terra amari fruticis acerbitatem alit, nec dulcis oleris suavitatem suâ curâ destituit; amarum succum ille cohibet, ne istud inficiat, suum hoc saporem continet, ne in vicina olera excurrat. Extrica hunc agrum, si potis es, quî fiat, ut vilis gleba singulis suis fœtibus congruum distribuat alimentum, pomis aptum impertiat saporem, suis tingat coloribus flores, convenientibus odoribus imbuat, suisque tegumentis convestiat; sic est, idem elementum fruges aptat palato, olfactui odoratas species, venustatem & tegumentum floribus. Rursus segetes curat, non secus ac operi intentus suo diligens artifex, frumenta culmis committit, geniculis culmos firmat, velut suis ædificium commissuris, ut pubescentis frugis

[illegible]

gis pondus sustineat, & flatuum impetum frangat.

Quot putas terræ naturam dedisse ubera, ut singulos suos lactet fœtus. Ingens sanè miraculum narras, si ei tot adstruas mammas, quot vegetat alitque plantas, sive fingas, ubere ab uno tot tamque diversa seminum, plantarum & fruticum genera suum unumquodque proprium & singulare alimentum trahere, adeo ut alia succum hauriant suavem, alia contrarium. Quamquam nec isthuc tantam habet in se admirationem, ut non faciat fortè majorem, quod nobis exhibent cujusvis generis singulares naturæ; qui videlicet fiat, ut idem, puta, in arbore succus species induat plurimas easque tam diversas, adeo ut pomorum gustus suavis sit, acerbus foliorum; sed & ipsa poma quum primùm pubescunt, saporem reddant ingratissimum, & maturata dulcescant: Quicumque vitiosam vitæ consuetudinem emendare statuerunt, hoc symbolo admonentur, duros severioris vitæ labores exitum habere jucundissimum.

Cæterum si limus tuis calcatus pedibus, tuam supervolat intelligentiam, quem te esse credam, qui illius majestatem pertentare audes, qui te in rebus vilissimis attonitum hærere facit? Luto utique nil despicatius, nil capillis tenuius, pedibus subjectam teris humum, ejus tamen opulentiam & divitias necdum didicisti, capitis tui capillamentum tuas ratiocinationes preterfluit, nec quid sit adhuc assequeris. Advertin', ut tibi arcana scrutanti Altissimus non maria objicit, eorumque irremeabile profundum, nec cælestes orbes & errantia sidera, sed intra angustissimum duarum naturarum vilissimarum ambitum cogit, hìc tibi stricto verbere instat, tuam temeritatem in pervestiganda ipsius majestate redarguens. Quamquam nec isthæc, quæ dixi, infima se continere posse videntur, quin acriter in tuam proterviam insurgant, qui velis immensam altitudinem metiri. In geminis hisce vilibus naturis, omnis naturæ Dominus te admonet, ut cæcos istos impetus cohibeas, neve tuis negata oculis adyta pervestigare tentes. Tui porrò reprehensores tibi præsentes sunt, nec unquam a tuo latere discedunt, nec verò mirum, si quum tibi semper incumbat superbia, verbere assiduo commonendus sis.

Sed perge, quis, cedo, sanus homo inscendat equum & incitet ad cursum, nisi ante frænaverit. Durum id quidem, sed ad coërcendam bestiæ ferociam & præcipites

pites impetus, promtum & ſingulare remedium. Vide igitur, ut ſciendi cupiditatem coërceas, quominus cæco impetu feratur. Habet ſua fræna arbitrium, vis item ſua. Integrum tibi ac ſolutum arbitrium relictum eſt, frænandi liberæ voluntatis impetum jus; cogendi datam tibi poteſtatem tuus ſibi reſervat Dominus, ut ſi quid temerè decernas, id exequi volentem infirma deſtituat virtus: velis, nolis, Domini tui te fræna premunt. Quieſce miſer, quem tandem habebit exitum labor iſte tuus? Perfectus eſt Pater, principium principio carens, talis eſt Unigenitus à ſolo Patre mirabiliter generatus. Patri nihil deeſt, nihil Filio addi poteſt, hunc enim Pater comparem ſibi progeneravit numeris omnibus abſolutum: quidquid exigit Divinitas, plenè cumulatiſſimèque tenet uterque, Generator & Genitus. Perfectiſſima arbor fructum profert ſibi penitùs penitùſque parem, totum, quod habuit, in fructus tranſtulit. Inexplicabiles arboris ſapores in ſuo fœtu collecti perſeverant. Quod ſi reliquæ arbores genitivas qualitates ſuis pomis communicant, quî fiat, ut arbor illa optima fructui ſuo, quas habet, neget opes? Arbor quidem ſuas intra ſe recondit divitias, quas tamen aliquando abnuit externis, in ſuos ſemper prodigit fructus, quas verò ipſi concepère opes, petentibus mox diſpenſant. Atqui ſapor ille ſuaviſſimus per eum, quem dixi, fructum nobis nunquam manaſſet, niſi priùs in ipſum ab arbore effluxiſſet: hunc porrò in fructum ſuum arbor transfudit, quia hunc præ omnibus diligit, dulces autem fructus egentibus erogavit, quia quo Pater amore ſuum fructum complectitur, eo ipſe manducantes proſequitur. Occultam radicis naturam ex ejus fructu conjectare licet. Sed tu cave, ne novam de tuo doctrinam comminiſcaris, dum vita manebit.

Ohe ſatis eſt, tuam cohibeto ſitim, eo humore contentus, qui ex primis fontibus tibi decurrit. O te beatum, ſi tibi detur inde profluentes haurire aquas: Flumina nempe quatuor veritatem per quatuor Mundi plagas circumtulerunt. Major utique fuit illa ſitis, quæ Simonem uſſit; quas ille bibit aquas, bibiſſe habeto ſatis; allatum de Cælo oraculum igneam ejus ſitim depulit, ingens, qui ei affluxit fluvius, ab ipſo exundans, ad te profluxit: Scatebrâ Paradiſi eſt hic fons longè præſtantior, quid adhuc ſtagnantes tu petis aquas? Mundo major eſt fluvius, qui a mundi Domi-

Domino fluit. Oraculum Petro redditum ad nos uſque manavit, & perenni fluxu in ævum decurret; ſed nec tu ardentiore in Filium Dei caritate præ Simone flagras; hic tamen quum divinum reſponſum audiſſet, dicentis majeſtatem ſilentio teſtatus eſt. Lingua cætera promptus eo loci ſolummodo obmutuit, poſtea in cœna linguam continere coactus, a nutibus prohiberi non potuit: Deo loquente ſiluit totus, ſe ſatis beatum reputans, quod talis appellari meruiſſet, conticuit. Sic nimirum linguam ipſe ſuam imperato ſilentio coërcuit, ſimul exemplo diſceptatorum petulantiam caſtigavit. Ecce autem limites, quos Simon reveritus continuit gradum, audaciſſimi homines impunè proculcant. Multa proſtant in divinis Scripturis opidò admiranda, quæ tamen diſceptantium cavillationibus obſcurata, oculos minimè hebetes ſæpe fugerunt. Hìc porrò Dominus magiſtri officium exercere recuſavit, nec Simonem ore proprio docere annuit, quis ipſe eſſet? ipſe ſibi ignotus videri voluit, ut Pater, quis idem eſſet, publicaret, non quo Dominus ipſe ſe manifeſtare non poſſet; ſed quò proprio facto audaciam ſcrutatorum infringeret. Jam ſi ipſe res ſuas narrare detrectavit, quem poſt ejus exemplum earundem enarrationem ſibi arrogare non pudeat? & ſi ipſe ſuam in carne manifeſtationem ſuppreſſit, divinam ejus generationem quis indagare non vereatur? Dixerat aliàs: uni Patri Filium eſſe notum, ut ergo dicta prius modo confirmaret, Filius tacere debuit, ut non alius, ſed Pater notum ſibi Filium loqueretur.

Qui Filium habet in ſinu, laudes ejus unus effari poteſt. Unicus Genitus unico Genitori dicendi initium fecit, & poſuit finem, quomodo & ipſe Unigenitus a Patris voluntate vitam ſuam & inſtitutum exorſus, ejuſdem arbitrio concluſit. Diſceptandi facultas nos ipſa deſtituit, nec adhuc garrulitas noſtra continere ſe poteſt. Superbia noſtra antiquam diſciplinam peroſa laborat, ut novam inducat, ſuperbus ſuæ gloriæ detractum putat, ſi veritatem eo, quo ſcripta eſt calamo, repræſentet; arcana quærens, rejectus eſt, manifeſtam veritatem excolere juſſus. Expreſſam a Simone tibi deſcribito formam; Piſcator factus eſt pictor, exemplar Eccleſiis tradidit, quod alta mente repoſitum cuique manere debet, Filio Dei ore uno dicamus omnes. Tu es Fi ius Dei vivi; Superi Inferique non alio auctorantur Sacramento, hoc tu oraculum pro quoti-

diano pane habeto, hoc tu per omnem diem mente revolvito. Unus ille beatus, quem talem dixit Filius Dei, fecit autem, quo beatum dixit.

Oculus oblatum lumen non diſcutit, iſthuc videre ſatis habet, ſomnum capturus, hujus ſcire naturam non curat, nec pomorum proprietates palatum. Terram aſſiduè calcas, ejus terminos non requiris, Mundum hunc ornatiſſimum videre te delectat, hunc indagare tamen nil tua certè refert. Næ tu inſanis, qui captui commenſa tuo præteris, & incomprehenſum capere cogitas, quive naturam Conditoris curioſè ſcrutaris, Mundumque ab eo conditum ſpectator otioſus circumſpicis; quem demùm res nulla ſolicitum habet, & omnium rerum Dominus angit.

In cibo & potu aliquem obſervas modum, in diſceptando nullum. Mente præditus anguſta, huic diſcendi ſtudium attemperare diſce, nam ſi ſtomachum cibis intemperanter ingeſtis oneraveris, oppreſſiſti. Orthodoxam doctrinam amplectere, menſa nimirum eſt apparata omnibus, & ſingulis congrua alimenta miniſtrat. Vide ut cibum inde moderatè capias, cave, ne voluptas ipſa te capiat. Plurimos namque illa fefellit. Diſceptandi ſtudium dummodò modeſtum ſit, remedium eſt, venenum, ſi modum excedat. Tu ergo, qui aquas moderatè bibis, ſimili lege diſceptare memento; graviorem namque a pravis quæſtionibus ſuſtinebis perniciem, quam ab aquarum exundantium alluvione ager. Quem petis non parvo te ſuperat exceſſu, ut ad eum pervenire te poſſe confidas; ſi te Cælum altius eſt, longè magis ille Cælo excelſior eſt, & centuplò magis in eodem proſpectu a te diſtant ejus veſtigia: non quo ille ſublimi retruſus in arce venientes excludat, ideo inveniri non poteſt, facilis enim & apertus eſt ipſius creaturis ad illum aditus, idem tamen arduus & impenetrabilis; adeo rebus omnibus intereſt & ſupereſt: ejus item bonitas liberaliſſimè ſe nobis indulget, majeſtas tamen omnes ad ipſam indagandam tramites obſtruxit. Et hoc quidem arcanum noſcet ille ſolus, qui nihil extra ipſum ſcire velit.

Voluntas penitùs penitùſque cognoſcendi Deum multorum fatigavit ingenium, quibus tandem id unum apprehendere licuit, Deum non eſſe merum figmentum. Hanc arcem quiſquis invadere cogitat, aliquando tandem intelliget, ab illa eò ſe longiùs abeſſe, quò minus ſe ab ea

A ab ea distare malè præsumsit, simili seductæ spe procurrere simul omnes facultates animæ, corporisque sensus, utraque acies inutilem laborem mox damnavit, doluitque, se in salebras turpiter impegisse, tum quando rebatur, se quam petebat, attigisse metam. Nec porrò aliud sensere aures, præterquam nihil sibi de Deo hactenùs præsensum: sed & dum divinitùs inspiratæ scriptutæ eis recitantur, collisæ B labascunt; dum auris altera, quæ ante fatigatum ab itinere sedisse Dei Filium audierat, post audit, hunc esse ingenuâ naturæ suæ virtute infatigabilem: altera item quæ modò audierat, succubuisse somno oppressum, mox audit insomnem esse, suoque semper operi assiduum atque intentum; & adhuc alia, quæ audierat, ejus amplitudinem ad certos fuisse contractam C terminos, dum audit ejus majestate plenum esse Cælum. Quandoquidem unde ille non abnuit videri minor, inde intelleximus, ipsum esse omnium rerum factarum universitate majorem.

Sed perge, quum audisset auris indocta, sibi membra compegisse Deum, hunc tangi posse credidit, sed dum compagem quærit, deprehendit, Deum ab omni omnino materia discretum; sed & D quum audiret, Deum ea in parte morari, simul ei nunciatur, omnia ab eo contineri loca; docta bonum appellare Deum, monetur, hunc vocare severum Judicem; Deum scelerum ultorem speculantem, ejus ex adverso bonitas rapuit. Dei indulgentiam consideranti occurrit justa in facinorosos severitas: animum veniæ spes recreat, torquet animadversionis E metus; anceps inter utrumque pendet; inter probationem & animadversionem deprehensus, exitum non reperit, circumspiciens ubique prævalere sceleratos, & insontes duro vapulare verbere. Sic res est, Deus justos igne probat, audaces virgâ coërcet: miscet utrumque, non confundit Deus, ordinem ubique servat: infirmarum mentium est in talibus hærere.

Novus adhuc hominum mentes op- F pressit error, dum cernunt, parvulos acerbo fato unà cum senibus abreptos; & hìc quidem agi ex justo & jure, illic præter utrumque; duos vident, neuter est nocens, alter plectitur, evasit alter. Vident homines pios ac integerrimos, miseram alii vitam, alii beatam ducunt. Non cohærent ista, inquiunt, nec consentanea sunt. Hìc ad examinandos varios scelestorum & impurorum hominum casus, & vitæ exitus digressi, quid istuc est, aiunt, ut iste sicarius in primo

primo scelere deprehensus, perierit, & incolumis ille crucem effugerit, plurium licet parricidiorum reus? Quemadmodum malè compactæ naves, coorta atroci tempestate, fluctibus haustæ pereunt; sic non bene instructæ mentes, hinc Dei bonitatem, inde severitatem cogitantes, utrinque velut contrario æstu exagitatæ, naufragium sæpe fecerunt; quod quidem eo contingere necesse est, quod neutram nos penitùs perspectam habeamus, utramque proinde confundimus, & vicissim nos ipsi pro nostra infirmitate confundimur & perturbamur. Atqui etsi non omnia divina assequimur, quæ tamen nostrâ interest minimè ignorare, ea pro modulo nostro intellexisse, satis habere debemus. Supremus hominum Judex iniquus esse non potest, istuc scire homini satis est, ut cætera nesciat, nec Deum a nobis, nisi per summam audaciam reprehendi posse; summa enimverò audacia est, artefacta suum velle monere artificem. Atenim a quo admonendus erit, qui vim dijudicandi honestum à turpi naturæ dedit? aut a quo sapere discet, sine quo nemo sapit? aut a quo judice ejus causa cognoscenda erit, qui omnium causarum cognitor est? Quicumque tuam ab illo scientiam hauris, beatus, si inde intelligas, tibi ad illum per sua dona tendendum; te siquidem ducit ad muneratorem munus ab ipso collatum, data tibi ab illo sapientia dedit, nosse teipsum, ac Deum tuum: illius te illapsus ad ipsum suaviter trahit; nec enim tuus te conatus ad eum provexerit unquam.

Intelligentiâ te auxit, & extulit, vide, ne tu gloriam ejus deteras, & imminuas dignitatem. Si fortè tibi suscepta negotiatio bene successit, quæstuque tuæ crevêre opes, fundo tibi ab illo liberaliter ante concesso, id totum debes: si quid didicisti, ab illo doctus es. Ille Archetypus, tu expressum ab ipso exemplum. Quod si conceptâ ab ejus afflatu luce, verum & falsum ipse discernis, an isthuc sapientiæ fons ignorabit? Justum & honestum doctus, id ipsum rectè considera, statim intelliges, quæsitam tibi hactenus scientiam, alieno indigere consilio, clarèque perspicies, quàm parvi facienda sit isthæc scientia tua, si absit prudentia. Nefarium est quod cogitas, si tibi fingis, effectum Effectore suo sagaciorem; age, interroga, a quonam ipse acceperit, quam jactat scientiam, ac si hanc a Domino suo non hausit, nec ejus servus est, nec socius tuus. Propriam conditionem occultare nequit; lautus ignis metalli vitia detegit; quod artificis

[illegible]

ficis operam reposcit, artefactum se esse prodit. Atqui si suus illi Dominus, quæ scit, scire dedit, mirum, si hunc redarguat; nec enim potest ultrà censum sibi ab illo constitutum, suas explicare rationes. Ut ut amplissima sint dona, quæ accepit, eget adhuc largitoris ope. Quod Opifex opus suum imperfectum reliquerit, non id imbecillitati adscribendum est, sed consilio, egenum fecit, ut provisorem requireret. Quidquid rebus factis non deest, ab Uno habent liberaliter concessum.

Cæterum si divites dicis, quos tales faciunt precarii quæstus, ineptè Dominum opulentum negas, qui omnes jure suo dispensat opes. Sua ipsum bonitas coëgit, sua tibi dona profundere: egenum se fecit, ut te haberet divitem. Cave, ne ejus opibus auctus, in tua egestate persistas. Quòd ei non placeret, te congenitâ pressum inopia languescere, tuam ejus egestas depulit paupertatem. Cave, ne tu ejus numerando opes, pauperem ipsum fingas, (si tamen cogitare potes inopem copiam, omnis inopiæ supplementum.) Næ ille inopem se facit, qui illum vestigabilem esse credit. Tuâ utique potior est muti sors, quid enim adversus suum Opificem fari potest? surdoque inferior censeberis, qui de suo Effectore conferre & disceptare non solet. Si linguam nactus disertam blaterare audes, tibi utique præferendus est, qui nihil dicit. Oh ingratus es, qui talibus ornatus facultatibus, istam Domino rependis vicem.

Dei Unigenitus te de tuo parvum, magnum de suo fecit, vide, ne ejus tu magnitudinem deteras; quamquam nihil ei decedere potest, a quo res omnes ua incrementa petunt; quare non tu illius dignitatem, scrutator insulse, diminuis, sed tuam. Si bonum nactus ingenium, in pravum mutaveris, continuò senties mutatam ejus erga te voluntatem, tibique versa in contrarium, quæ cæteris præstare solet, bona. Quare caveto tibi, ne perversè agendo cogas volentem omnes habere divites, te in tua egestate deserere, cæterosque exaltantem, te deprimere, alios errantes revocantem, te in tuo errore relinquere, & paratum omnes perditos requirere, te pereuntem negligere. Profectò si de illo disceptare pergas, fiet ipse tibi vitio tuo occasio erroris, tum exitii, si audeas tuâ decempedâ metiri immensum; sique velis illum circumscribere, ipse te circumventum dolebis; nec enim invenies finem, ubi nullum est reperire; quidquid est comprehensum, suo comprehensore minus est.

Tecum

A Tecum ipse pugnas, si Creatorem illum prædicas, & vestigabilem fingis; sique summum & supremum appellas, & ad captum tuum demittis & deprimis, inconsequentia & contraria ponis, quum infimum locum teneat comprehensus, comprehensor summum. Et sanè si fieret, ut Deus investigaretur ab homine, & comprehensus teneretur, quisquis facti testis adesset, hominem Deo majorem pronun- B ciaret. Dic sodes, quæ sacra linguam expiabunt sceleratam, quæ hucusque suam protulit audaciam? suorum solent famuli dominorum celebrare laudes, suorum Imperatorum insignia facta memorare milites; tu contra impiè deteris Unigeniti gloriam, & quo nemo major est, minimum fingis inquirendo. Siccine qui ad ignem propiùs accedere non sustines, C ejus Creatorem audacter appetis? qui ardentis pyræ vaporem caves, Filii Dei violas majestatem? scilicet quia ab obsidente flamma absumtus non fuisti, superbis, nec cogitas, divinæ clementiæ hanc te debere gratiam, quòd fulmina, quæ tuos sustulere sodales, tibi pepercerint, utique non merenti, adeo te, quæ declinasti, tela monent suum revereri jaculatorem. Fulgetra & corusca D oculi perhorrescunt, & nubium fragorem aures. Quid isthuc, ut os tuum de illorum Domino disceptare minimè vereatur? Quæ pedibus trahis, in cassum percipere niteris, qui illum summè arcanum & reconditum, tibi comprehensum blateras. Quis tu hìc? homo diceris vile lutum, istic ubi jaces projectum, quum ille impleat universum. Te tuus ambit lo- E cus, ille nullo continetur loco, omnibus quippe interest, & superest, qua ergo in regione illum requires, qui nullis circumscribitur spatiis? Et quoniam nec in humili aëre tibi volitare concessum est, infra Cælum hæc ima persequere: in rebus perspicuis tuæ mentis experire aciem.

Expedi, cedo primùm, unde existant, quas videmus semper micantes fontium scatebras, thesauros nempe cuique patentes & inexhaustos. Quid enim? F num è nihilo crevêre primùm, vel è præparatis longè ante conceptaculis tandem erupêrunt? Nam si cogitas illas è quibusdam subterraneis promtuariis æstu refusas prosilire, profundè pauperem fingis Conditorem, ut qui opibus aliunde quæsitis, nostro more opulentiam habeat precariam. Næ tu somnias, Creator pauper esse non potest, & si talis sit disceptator ineptus: ipsa ei sua voluntas ærarium

A rium eſt, qua jubente, de nihilo crevere omnia. Præterquamquod ſi aquæ in ſuos devolvuntur alveos, & rurſus ad ſua capita, velut perpetuo reciprocante æſtu revolvuntur, quid erit, quo præſtet homini Deus, niſi forſitan ingenio & arte? Diſce ergo magnum rerum Repertorem meritò nuncupari Deum, quod non alio ei ſtat perficere, quàm ut facere velit, ut voluit, ut peregit opus. Singularem hanc fabricandi B ſcientiam non diſcit ab arte, qui non ſubditur arti: res creata ſuum Creatorem modum creandi docere non poteſt, nec ars illi voluntati imperare, qua imperante, omnia incœpta, & perfecta ſunt. Artifex arti ſervit, & ab eadem gubernatur, nec voluntate ſua ducitur, ſed artis ductum ipſe ſequitur; ſique æſtuet incertus, quid conſilii capiat, hoc certè a ſuo arbitrio C non petit: & quamvis aliquando votum artificis cum præceptis artis conſentiat, & votum ſequatur opus: quandoque tamen ab iis diſſentit, & rectè repellitur, ubique indiget arte magiſtra, illa docente, novit operis ſui modum. Non petit ab arte præſidium Repertor rerum, ipſe autem condidit artem, hominique dedit ducem, illa dirigente opera ſua diſponit & format. Quod ſi nil ſupra humana D Deo tribuis, hominem Deo parem facis: quemcumque fingas in arte ſua ſummum, is tamen divino Artifici comparatus, umbra eſt. Si quem Deum dicis, verè Deum credis, quidquid voluntate jubet, poteſtate tenet: ſuum homo componit opus, condit è nihilo ſuum Deus.

Cæterum ſi creatura ex eo quod eſt, naturæ ex ſeſe exiſtenti ac ſempiternæ E conferenda non eſt, conſequens eſt, nec ex eo, quod agit, illi comparabilem eſſe; quare ſi quid in artefactis habes huic Cælo ſimile, narra, idne ſolidum eſt, an fluidum? humidumne, an ſiccum? Igne noſtro Sol utique vehementior eſt, nec tamen contigui errantium ſiderum Orbes ejus ardore aliquando deflagrarunt. Solem ſcilicet lex illa frænat, quæ Babylonicæ fornacis impetum repreſſit. Quis porrò ſuffi- F ciat divinorum operum ſpecies retexere, quum illarum numerus & natura talis ſit, ut non modò eas comprehendere, ſed nec ſuſpicione quidem attingere poſſis; ecce autem quæ cæteroqui inquirenti patent, quandoque noſtræ intelligentiæ ſe ſubducunt; & ſanè ſi ea, quæ cognitu facillima ſunt ignorari ſæpe contingit, quanto magis manere occulta neceſſe eſt, quæ ſunt a ſenſibus abſtracta & remotiſſima. Rurſus ſi quæ nobis latere ſcimus, arcana dicimus, qualem dicemus

cemus illum Deum verè abſconditum, & in arcano Divinitatis ſuæ deliteſcentem? Tu, qui ad incidentes quoſque caſus uſque adeo trepidas, ſi proximantem ignem refugis, non mirum; eſt mirum, quod ad perveſtigandum ejus Dominum audaciſſimè proſilis. Quamquam ignem minùs ipſe times, quam Dominum ille ſuum. At ſi æſtuantem fornacem exhorres, Numen in ipſam delapſum expaveſcito: quàm opidò magis verendus ille, cui ſervit ignis, præ ipſo, quod ei famulatur, elemento! Siccine ſervum homo leviſſimus times, & herum petulanter inſultas?

Sodomam Angeli intrarunt ſuperinductâ formoſorum adoleſcentium perſonâ, propriam diſſimulantes conditionem; aderant in foro juvenes, & marurâ ætate viri graves, qui venientes conſpicati, mirum ut ad eorum aſpectum ad nefandam libidinem omnes ſtatim exarſerint. Succurrit tamen Cælitibus cæleſtis ignis, non quo Angelorum inviolabilem pudicitiam tueretur, ſed quò impuros amatores cremaret & perderet. Et ſanè ſi illi in proprio vultu conſpiciendos ſe obtuliſſent, (mutarunt enim, indeque terrigenis crevit audacia fugitque pudor;) leviſſimi utique homines inuſitata luce perculſi, ſemianimes proni corruiſſent. Angelos itaque genere ſibi cognatos credidere, ingenuâ licet naturæ dignitate ab ea, quam præferebant, materiali ſpecie remotiſſimos. Præpoſteram ergo venerem appetebant Sodomitæ, nec ideo a natura diſcedebant, quia perſonæ congeneris amore inſaniebant; ſecùs naturam exuiſſe eos oportebat, ſi Cælites, incorporeos ſpiritus ad ſtuprum depoſtulaſſent; ſubſtantia ſiquidem noſtris a ſenſibus abſtracta, nullum habet cum terrena natura commercium, quamquam aliquando, illo jubente, cui cuncta parent, Angeli noſtris quoque ſe accommodent moribus, & ad uſum familiaritatemque noſtram deſcendant. Natura proinde cæleſtis terrena corpora ad imaginariam libidinem accendit, quia externam illorum aſſumſit imaginem. Sodomitarum ergo concupiſcentia ſecundùm naturam, & contra naturam fuit, talis utique non eſt, quæ ſcrutatores inceſſit diſceptandi libido; hæc a ratione diſſidet ubique, naturam quippe, quam ſempiternam, & ex ſe exiſtentem modò fatebantur, talem eſſe negant, dum perveſtigabilem credunt, & cum creaturis confundunt. Simul ergo magnam appellant, & extra omnem mentis rationiſque conatum ponunt, ſimul parvam faciunt, & propriæ intelligentiæ examini ſubjiciunt.

Heus

A Heus tu, vel ei, quam propoſuiſti, appellationi convenientia dicito; vel ſi hanc ejuras, tuas perſequere diſquiſitiones, modò ne propoſitis inconſequentia dicas.

Quæſtiones de medio ſuſtulit, qui Dei auctoritatem interpoſuit. Deum inter & hominem præ ſpeculatione fides exigitur: Deum honoras, ſi ejus teſtimonio credis, offendis, ſi ejus dicta diſcutis: tibi cum Deo agere volenti, occurrunt ſimplex

B fides, & humiles preces, ut ejus veracitati credas, & propities Divinitatem. Scripſit ille, Mundum ab ſe exædificatum fuiſſe, tuque affirmanti fidem habuiſti; atqui iſtud factum tibi ex proprio ſenſu compertum non erat, quid ergo perſuaſit, ut inexploratum & incompertum crederes? quod ſi experimentum ducem ſecutus es, non ex fide, quam nullam ha-

C buiſti, dictis aſſenſus es. Cum fide pugnat experimentum, ac minùs etiam cum illa conſentit ſcitandi diſceptandique voluntas. Diſceptator dictorum veritatem inquirit, ſed ſi adhuc dubius, num ea vera ſint, diſcutit, ficta non eſſe, nondum ſibi perſuaſit, hoc enim non quæreret, ſi teneret. Fides duce veritate manifeſtatam veritatem invenit, veriùs ipſa a veritate inven-

D ta fuit, quum venientem excepit & complexa eſt. Cæterum tanta domeſticorum fidei audacia ab ipſis etiam externis vituperata eſt; ſimilique vitio notantur ab Heterodoxis quicumque perſpectam veritatem impudenter obtrectant.

Cultores Solis, ipſum ſcrutari non audent, Deum tamen eum non eſſe ignorare non poſſunt, quumque ſervilis ejus conditio occulta non ſit, nihilominus

E Dominum appellant. Sed nec ullus Paganus ſimulacrum examinat, quod ei avorum ſuperſtitio adorandum propoſuit; nam ſi diſquireret, profectò ſaxum a ſacro diſcerneret, nec adoraret. Quid enim? num ſurdo hymnos caneret, aut ſupplex ſe ei proſterneret, quod viſu audituque carere noſſet? quos fuſus per omnes gentes error oppreſſit, pleroſque a diſquiſitione vacare ſuaſit, veritatis tantum alumnos

F ad diſceptandum incitavit, ut perderet. Aliis itaque diſputandi ſitim reſtinxit, ut in poſterum cæcos haberet, accendit aliis, ut faceret; quemadmodum enim multis profuit fictos Deos diſcuſſiſſe; ſic certam perniciem tibi accerſes, ſi quando Deum verum tuo examini ſubjicias. Qui errorem invexit, ſequacibus ſuis ſuggeſſit exercere fidem, ubi examen adhibendum fuiſſet, ubi verò primum ſibi locum vindicabat fides, diſceptationem obtruſit, qua intran-

intrante, fides decessit. Sic homo impudentissimus propriæ imbecillitatis vitio ab utraque excidit: ea siquidem, quæ disceptandi disciplina pollicebatur, adeptus non est, & ea, quæ fides liberaliter offerebat, neglexit. Scrutare surdum, quo usque talem esse certo comperias, nemo prohibet, modò ne eâdem utaris licentiâ adversùs cuncta audientem, scitando quomodo, quibusve auribus sonos discernat; quid enim? auribusne ille, oculisve indigeat ad dignoscendas voces, aut ad cernendos colores, qui omnem audiendi videndique facultatem continet? si vis cognoscere, quam audis naturam se totâ videntem cuncta audientemque, petitis a ratione sensuque argumentis omissis, ad fidem confugito; illa quippe, quam petis, substantia supra omnem sensum intelligentiamque posita est. Una namque fides naturæ laboranti succurrit, & vitam ac lucem impertit.

Quum auctor erroris Diabolus mortalium sorti invideret, sciendi voluptate titillare cœpit curiosos, unde plerosque incessit ardens nova & arcana disquirendi indagandique cupido, hinc subortæ quæstiones & rixæ civili bello scrutatores implicuerunt. Viderat pacis inimicus advenisse Caritatem, generisque humani exaltationem moliri, confestim discordiam ex adverso procurrere jussit, taliaque conantem impellere, submota autem caritate, omissis Paganis, contrariæ factiones in orthodoxæ fidei doctrinam toto impetu incubuerunt. Postquam verò vidit error ceci disse duces, & milites in fugam conversos, veritatis larvam induit, ut ejus alumnos falleret; veritatem itaque præseferens, ad eam quærendam ejus amatores provocavit, & variis ut antea quæstionibus iterum implicitos, in contrarias sectas discidit. Sic victor exercitus, quem externus hostis profligare nequiverat, victus est, quum cives, divisâ acie, inter se dimicare cœpissent. Quin ergo miseri agnoscimus imbecillitatem nostram, ut præter manifestatam nobis veritatem, nil amplius disquiramus.

Fatere itaque, Patrem esse Patrem, & Filium esse Filium, verèque tales esse, quales dicuntur. Propria namque nominis notio subjectum est, cui attributa nomina illigantur, quo circa nemo, si sapit, subjecto ficto ex vero nomen imponit, nec, ut putà, pomum si verè tale non est, obstinat appellare, quale reapse non est. Patrem itaque puta radicem, hujus germen dicito Filium, qui etsi ejusdem communione naturæ ei sit copulatus, ab eo distin-

diſtinguitur : & quamvis in ejus ſinu recumbit, ejus dexteræ aſſidet. Etenimverò ſi unâ penitùs ei naturâ conjunctus non eſſet, haudquaquam in ejus ſinu cubaret: rurſus niſi ab eo hypoſtaſi diſtingueretur, ad ejus dexteram neutiquam aſſideret. Ei ergo ejuſdem naturæ conſortio jungitur, quia in ejus ſinu conditur, & ab eo hypoſtaſi diſcernitur, quia a dexteris ejus collocatur. Unum ergo ſunt, quia una ambobus ineſt vis ac poteſtas decernendi; duo ſunt, quia dualitas nominum dualitatem perſonarum importat. Perſonarum ergo numerus, ſecluſâ naturarum pluralitate, vocabulorum infert diſcrimen. Fœcunditatis nomen Patrem indicat, idemque auctoritatem ejuſdem ſuſtinet, nativitatis vocabulum Filii proprium eſt, ejuſque a Generatore originem tuetur. Suo nomine innoteſcit Pater, ſuo item vocabulo dignoſcitur Filius, ratus nominum ordo, certam originis ſeriem conſervat. Quemadmodum verò illorum vocabula occultare non potes, ut duo non ſint, ita nec perſonas confundere debes, ut dualitatem extinguas. Judæi quidem ignotus ut maneret Filius magnopere ſtuduerunt, luſerunt operam; manifeſta namque proſtat in Prophetarum libris ante deſcripta rerum geſtorumque ejus ſeries, & uſque manebunt in præcedentibus ejus figuris expreſſa ejuſdem lineamenta.

Numerum important arbor fructuſque ex ea natus, eſto res una ſint, nec porrò fructus a propria appellatione unquam excidet, nec arbor, quum ſit ejus principium, cum ipſo confundetur. Inditum fructui nomen ipſius proprium & ſingulare eſt, & arboris vocabulum prærogativam principii importat: duo audis nomina, duas item intellige perſonas, naturæ & caritatis communione nexuque copulatas; ſi enim vocabulum, fructus, concedis, remque per ipſum ſignificatam negas, arborem principium facis fructûs non ſui; atqui non ſic res habet, ſed qualem dicis, talem eſſe fateri debes, veram hujus fructûs re & nomine radicem: rurſus qualem appellas fructum, talem verè eſſe credas oportet, qualis proprio indicatur vocabulo; nam ſi fructum inane nomen fingis, contra in radice præter nomen rem ipſam agnoſcis, fictum fructum, & arborem veram inducis, & inconſequentia dicis: ſi enim verus eſt generator, progenitus item verus eſt.

Cæterùm ſicut Pater & Filius non debent duas habere arbitrii poteſtates, ita ſinguli ſuas debent habere proprietates. Patrem ſuo

ſuo a nomine didicimus, & a ſuo Filium. Nulla foret diſciplina, ſi vocabula nulla forent. Vocabula ſunt notiones rerum, tolle cognomenta & nomina, res ipſas confudiſti, quem Deum appelles, ignoras; non explicas, quem credas; quis generaverit non diſcernis; quis generatus fuerit, neſcis. Duo nomina velut gemina luminaria ſuo exortu affuſam Orbi caliginem diſſiparunt, propoſitaque objecta diſcernendi facultatem reſtituerunt; poſtquam autem Patrem a ſua nomenclatione comperiſti, innotuitque tibi ſuo vocabulo Unigenitus, id ſatis habeto, extraque nomina Patris & Filii nil amplius ſcitare. Divinæ Perſonæ faciem non habent, ut ex oris lineamentis eas dignoſcas: pro vultibus nomina attendito, diſtincta enim ſunt, quandoquidem ſimili ſigno homines etiam abſentes nobis innoteſcunt: ſupplent rerum abſentium præſentia nomina, pro perſonis vocabula producuntur, ipſarumque imagines nomenclationes exhibent. Emicat vicaria lucis vox, ſucceditque oculo auris. Excipit iſta rerum vocabula, & cum vocabulis res ipſas cernendas rationi tradit.

Quamquam ſimilitudines rerum res ipſas perfectè non explicant, quare nec propoſita imago fructûs Unigeniti majeſtatem aſſequitur, quandoquidem fructus ex arbore pendet, atque decerptus ab illa ſeparatur; nec enim in arbore manere poteſt, qui in decerpentis migrat manus: Unigenitus non ita, ſed permanet ſimul apud Patrem, ſimul ad nos deſcendit: apud illum erat, nec a nobis aberat, accedit, & recedit, quum ubique ſit: Mundum implet, qui Genitoris continetur ſinu: adeo ejus acceſſus & receſſus omnem ſuperevolat intelligentiam; antequam huc veniret, hìc erat, & poſtquam hinc abiit, hìc eſt: ad Patrem nondum aſcenderat, & apud eum totus erat, illuc ergo rediit, unde non diſceſſerat, huc venit ad nos, ubi aderat, nec abitus redituſve imaginarius eſt, abit & redit, nec mutat locum. Porrò Deus, qui ubique eſt a fructu ſuo abeſſe non poteſt, nec poteſt Unigenitus omnibus præſens locis, Genitori præſens non eſſe. Si ab eo ſuſpenſa ſunt omnia, ineptè fingis aliquid ab eo disjunctum. Ejus ſcilicet abſentia intima præſentia eſt, & abſentia a præſentia non ſecernitur. Jam verò quis talia potis eſt arcana evolvere?

Oh

A Oh Adæ audacia, quantum malum; quod in nepotes transfusum universam posteritatem invasit! Adamus sublimiorem locum temerè adpetiit, soboles in sui parentis Dominum audacissimè irrupit. Adæ posteris, ex quo licuit Deum pervestigare, visum est etiam comprehendisse ac tenere. O audaces animæ, si vos non puduit vestris Deum maledictis incessere, ne pigeat in generis vestri Auctorem, velut B propositum vobis speculum inspicere; nam & ille credidit sibi Deum pervestigabilem esse, propter quod etiam capite damnatus fuit: non quò Dei existentiam compertam & certam habere studuit, eò fuit multatus, sed quò ausus est ejus decretorum causas inquirere. Si naturam ex se existentem & sempiternam ponis, tibi minimè constas, si eam vestigabilem putas. Si- C que tibi compertum est eam existere, qualis illa sit, ne ultra requiras; cujus enim nullum designare est limitem, unde tibi pateat ejus prospectus? Si naturam infinitam indagare cogitas, ejus terminos cognosce priùs; quumque incomprehensum comprehenderis, unde, cedo, metiri incipies? Ubi nulla tibi recedenti vel accedenti respondent extrema, quum ad medium te pervenisse putabis, ab extremo, D quod tibi fingebas, longissimè te abiisse comperies. Jam si ubique tuæ tenuitatis admoneris, ad divinum mandatum revolvere: Adamum respicito, qui quidem si Dei præcepto fuisset obsecutus, Regno nunquam excidisset, ab honore, quem ambiebat, exclusus fuit, postquam obedientiam rejecit.

Deus quum hominem conderet, precariâ divinitate ornaverat, collata pote- E state decernendi agendique, quod vellet; hac tamen ille facultate abusus, statuit per summam stultitiam bonum sibi quærere, quod habebat, ambiitque principatum non precarium, sed sua virtute quæsitum: deceptus est, bonum, quod tenebat amisit, quod adpetebat non attigit. Magistram tibi dedit Deus legem, ab ipsa audis, te a Christo fratris loco habendum, modò ejus præceptis obtemperes. F Sed non sic agis, dum qui deberes legem quærere, circumspectas ab illa fugam. Næ tu multimodis cum isto animo vituperandus es. Sit igitur illa tibi speculum, sit norma, ad quam exigas labores & actus tuos, horumque mercedem ac præmium ab ipsa reposcito.

Prostant veterum Justorum pervagata documenta virtutum, ex quibus perfecti in Deum amoris exemplaria tibi proponas,

nas. In Enochum inspicito, & animum ac mentem tuam ejus cogitatione conforma: imitare alterum generis humani caput Noëmum; atque si te istis antestare reputas, Abrahamo te certè minorem fateri debes, cujus sinu, etiamsi magnus fores, vitæ tuæ peracto curriculo recipiendus es. Te tuus Dominus in Evangelio docuit suo, se tui cursûs esse metam, quare si tibi cor sapit, scitare quæ fuerint ejus ordinationes, ac si ille decrevit summum dignitatis gradum homini simpliciter credenti; oh stultus es, qui ad hunc aspirans honorem, per futiles quæstiones oberras. Duo nobis præcepta fuisse discimus ex Evangelio, simplicem fidem & disquisitionum fugam; purè igitur credentes promissam mercedem reportabunt, tractabunt sceptra, qui perniciosas disceptationes fugêre. Quisquis fidei ductum sequitur, disquisitiones odit, si amat, fidem nec de limine salutavit.

Vis esse probus, Abrahami vestigia persequere, imitare simplicitatem. Quum pervulgatam de Deo opinionem discutere sibi fas esse sciret, abstinuit; scilicet non ex Mosis disciplina ille didicit, esse in Cælo Deum, ipse proprio ratiocinio intellexit, alicujus præstantissimæ mentis Numine totum hunc Orbem natum, auctum & retentum. Qui autem hac imbutum opinione vidit, ei se ipse manifestavit, ut in sententia confirmaret. Postquam verò Abrahamus comperit esse Deum, ad hanc anchoram constitit, nec ultra progressus est scitando, quis ipse esset, & qualis: sed nec postmodum, quum valde familiariter Deo uteretur, eum aliquando rogavit, ut istud sibi arcanum exponeret. Præterea quum Christum venturum præsciret, abstitit percontari, qui esset. Vidit quidem, desideravit & ad ejus aspectum exultavit, secretum nihilominus texit, verbum mutire non ausus, conticuit. Tuam hìc animadvertin' audaciam, scrutator curiose, qui clausa viris sanctissimis Unigeniti adyta impudenter irrumpis? Quin miser fugis hinc, & in divinæ legis æde perfugium quæris? Illic disces, quid tibi pro re tua decernendum sit, quæ tibi restet salutis via, quæve clavis aditum ad vitam aperiat.

Verumtamen accuratè primum examina, quænam lex fuerit lata, quantoque tempore viguerit, quâve tandem de causâ fuerit sublata. Cave, ne vocum similitudo te fallat, ut quæ distinguere debes, perversè confundas. Leges hujusmodi offendes non paucas; lex nempe alia occurret victimas depostulans, & alia damnans:

[illegible]

A nans: audies præcipientem, cibo utere mundo; contra audies edicentem, esculenta, poculenta omnia promiscua habeto: lex ista solennitates statuit, illa statas refigit: altera dies festos & ferias instituit, altera etiam sabbata solvit; increpuit ante vox clamans, masculum circumcidito, continuò insonuit alia, circumcisionem tollendam esse pronuncians. Hæc & hujusmodi audiens, sistito tantisper, dum rem ex vero decernas. B Sed vide, ne cum multis erres, quos inconsulta curiositas, in altum abstraxit & mersit. Quas audis voces, os unum fudit. Prisca ætas consonam utique sibi vocem audivit, jam illa præteriit, successit sequior ætas, nova aures pepulit vox, novamque publicavit legem, quæ etiam postea antiquata est. Jam ætas postrema præsens C omnium præcedentium temporum voces simul collectas habet. Cæterum quum in hoc Odeum invasissent imperitissimi quidam homines voces consonantes a dissonantibus separare se velle pretexentes, ex variantibus vocibus varios composuere Deos, at quos & quales Deos? ad omnem scilicet scientiam ineptos, qui proinde nec ætates nossent, nedum earum habitudines & differentias discernerent, D nec enim temporum rationaria sibi consentiunt.

Et sanè si prioris ætatis leges ad sequentem pertinerent, quos Cataclysmus sustulit, cujus noxæ dices fuisse reos, quibus utique nullus ad interdictam arborem patuit unquam accessus? Si enim lex, Adamo nascente lata, ad Noëmi tempora spectabat, quisnam præmio, aut supplicio E locus fuerit, ubi actus a lege vetitus nullum potuit habere locum? Æquissimum ergo fuit, ut singulis ætatibus peculiares leges ipsisque congruentes ferrentur. Finis enim legis est prodesse, nec prodesse potest, nisi intra eandem ætatem viventibus;plures hac ætate diversæque percrebuere voces, earumque numerus confudit imperitorum vulgus supremæ contemtorem vocis, quæ una est. Insani homines voces in F hoc infimo orbe natas fecere Deos, Cæloque locarunt: quamobrem divino consilio factum est, ut Prophetarum voces per eadem tempora percrebrescerent ad castigandam hominum stultitiam, omniaque pertentarentur remedia, ut naturæ laboranti subveniretur. Inter alias porrò leges incidunt quædam, quas sequens ætas abolevit, idcircò quod morbus, qui hactenùs invaluerat, extinctus jam fuisset, aliæ contra vigent adhuc, quia nimirùm con-

contracta priùs ægritudo etiam perseverat. Nec porrò dissimili consilio, medici animorum Apostoli & Prophetæ consentaneas sui temporis hominum languoribus composuere medicinas mira arte, ut non modò æqualibus, sed etiam posteris prodessent. Cæterum occurrunt morbi peculiares hujus, vel illius seculi proprii, sunt alii communes, & cuilibet ætati familiares, & quidem natis Legislatores sua ætate morbis pro eodem tempore remedia instituerunt, pervulgatis autem, & per omnia tempora latè patentibus perpetua medicamenta decreverunt.

Lex, putà, de furto lata est, in omne tempus utique duratura, quandiu videlicet subjectum legis durabit; perpetuo namque morbo temporarium remedium minimè congruebat; è contra circumcisionis legem antiqui Patres sanxerunt, sublata ægritudine, pharmacum abjectum est. Instrumentum præterea condidere signum circumcisionis gestantibus, eorum videlicet temporum conditio hoc tulit; instrumenta tamen ad peculiares alicujus ætatis morbos depellendos rogata, si isti quidem sublati sunt, illa simul antiquata ac rescissa censentur; postquam enim æger convaluit, remedia supervacanea evaserunt: idcircò abrogata sunt hoc tempore præcepta sabbati, circumcisionis, purificationis & similia; inutilia sunt ipsa ultimis, quæ mediis profuerunt, eadem nec necessaria fuerant primis, utpote a scientia satis instructis, sed nec postremis, ut dixi, utpote jam coruscante divinæ fidei luce illuminatis: illis proinde congruebant solummodo, qui prisci Gentium erroris contagione afflati fuerant. Quisquis hodie ejusmodi legibus utitur, vix distat a sicario & carnifice, quorum ferrum ad amputanda membra sana acuitur.

Leges scalpellis similes esse Jeremias te docebit, ægris sanitatem afferunt, auferuntque sanis, ad curandos morbos provisæ sunt; ineptè agis si earum usum ad integri sanique corporis perniciem transferas: vulnere patente nocentior est ictus latentem animam feriens: pharmaca, quæ ægro corpori profuerunt, benè affecto exitium pariunt: næ tu insanus censebere, si eo quod tibi præsto sunt remedia, licere tibi arbitraris, perverso eorum usu sana vexare corpora. Quid? quod sancta quoque jura identidem siluerunt etiam, quum adhuc vigerent, cessante scilicet fine legis, qui fuit morbi curatio, non est cur lex eidem remedium requi-

Jer. 36. 23.

[Syriac text illegible]

A requirat, sed, obducto vulnere, solvitur fascia, & emplastrum removetur, imo nec corporum curatio, constante sanitate, locum habet. Porrò si gliscente malo medicina quandoque intermissa fuit, nunc quando Judæorum statum concidisse cernimus, ejusque gentis morbi refrixere, eò minùs ipsorum remedia requirenda sunt.

Cæterùm si morbus alter depulsus est, alter manet: sique aliæ medicinæ rejectæ B sunt, aliæ nunquam non retinebuntur, antiqua coaluere vulnera, simul exolevit vetus disciplina ejusque præcepta antiquata sunt, sacrificia & sabbata, decimarum census, & reliqua hujusmodi: alii modò grassantur morbi, horumque retinenda fuere medicamenta, divinæ legis præcepta: *Non pejerabis*, *non furaberis*, *non mœchaberis*. Tuæ autem sapientiæ non est legibus insistere, quarum usus defluxit, & C causa cessavit, unum, quod tuâ maximè refert, unicè curare debes, ut lex tuorum malorum medicina usquequaque observetur. Mirum quàm inconsultè agas, qui periculoso vulneri, omissis utilibus, inutilia remedia paras! Invalescentes duplicantur morbi, dum culpam pertinaciâ exaggeras, & Legislatorem irritas, stringendo, quod ille laxavit: datam ille legem rescidit, D tu contra obstinas observare rescissam. Jam quod ad legales cærimonias pertinet, te ipsum inepte convenito, scitare te ipsum, utrum expediat, ad curandam hærentem animo luem, carnem per circulum amputasse; intra medullas serpit malum, quod externa circumcisione curare cupis. Sic ergo tecum statue, si bene sapis: Circumcisio intra definitum sibi tempus utilis fuit: hanc invenit universalis E Pastor, cui placuit hujusmodi notâ signare stolidum gregem, quem tanquam proprium peculium sibi addixerat. Cuncta sciens distinxit ejuscemodi charactere armentum pastorum interfectorem, quod præsciret immiscendum pecori prisca Gentium superstitione oppresso, & communes cum ipso habiturum sedes; ideoque patente & conspicuo signo suas oves notavit, F quod etiam invitas discerneret, motusque ejus turbulentos, & incitatos impetus reprimeret. Hunc porrò gregem ille custodire ac regere nunquam destitit in gratiam Agni, qui tunc in utero gestabatur, ac postea natus totius generis humani factus est Pastor. Sic intra vilis pecoris caulas delitescebat Princeps ille pastorum, qui tandem furiosum armentum etiam dereliquit, & Gentes in sui gregis oves adoptavit.

Vide ergo, ne carnem tuam incommodes ea circumcisione, cujus vires exacta jam ætas detrivit, quum habeas aliam, quâ te utiliter exerceas, & vitia penitùs tibi infixa, & hærentia exſcindas. Conceſſa tibi poteſtas decernendi quid velis, ſola reſecare poteſt inveteratas animi tui affectiones; quandoquidem externa vis ad internos ejus ſinus penetrare nequit, ulceraque cæca incidere. Hìc obſerva eundem Legiſlatorem, qui Judæis carnis Circumcisionem imperavit, corda ſimul ut circumciderent edixiſſe: atqui ſi prior ante præſcripta, atque uſu recepta profuiſſet, quid referebat, ut alteram præciperet? Quandoquidem ergo hanc juſſit, ſibique unicè gratam eſſe ſignificavit, jam externam illam adhibere non debes.

Reſtat igitur, ut primum in lege mandatum obſervandum tibi ſtatuas, tanquam cæterorum caput, ita ſecundum, velut militiæ noſtræ ducem. Sicut enim Regis imperio, ductuque Imperatoris totius exercitus ratio conſtat & ordo; ſic ab illis duobus mandatis pendent lex & Prophetæ. Circumciſionis & ſabbati curam deponito; te enim illa prius, quum præterierint, abjecerunt. Sed enimverò quum ea, quæ intra te retruſa latent, curare deberes, tu ordinem pervertis, hiſque neglectis, externa perſequeris: anima, quâ nil magis tibi intrinſecum eſt, nec magis carum eſſe debet, tuâ incuriâ ecce perit: ſabbatum, quo nil minùs ad te pertinet, religiosè cuſtodis. Judæus legem, cui, quum floreret, parere noluit, nos modò obſervare cogit jamdiu exoletam: ſcilicet quo ipſe laboravit morbo, integros & bene valentes inficere cogitat, atque inciſiones, cauteria & potiones ab initio ſcitè diſpoſita, populoque ægrotanti olim congruenter adhibita, ad lanienam & perniciem ſanorum corporum transferre molitur, manicaſque & compedes, ac vincula ad coërcendos ſervos inventa illis injicere; quos amor Domini ſui liberos facit, hos crudelis ſervus in nervum compingere meditatur, libertatem ſuorum popularium ineptè oſtentans, quos videlicet ſervos Legislator ſervili jugo ſubjecit. Scilicet imaginarium honorem liberis promittit, & veram ignominiam molitur, Moſen offert, Chriſtum eripere cogitat.

Cæterum ſi Judæus de ſervi familiaritate gloriatur, longè profecto glorioſior eſt noſtra cum ejuſdem ſervi Domino conjunctio: Atqui neque ille ſuo conſervo familiaris dici poteſt, qui communem Dominum negavit. Præterquamquod Judæi Moſen

[illegible]

A Mosen pessimis despicatum habuere modis, quem nos complectimur, quum autem scirent ampliorem Domino honorem deferendum esse, atque suavem in modum agendum esse cum servis, nec ejusmodi lege usi sunt, sed Mosen quidem vexarunt, Christum in Crucem egerunt. Olim quum Gentes procul a Deo aviis itineribus aberrarent, ipse exulum more visus est profugus ad Judæos confugisse: hodie verò B postquam ipsi Deum repudiarunt, & per incertos tramites vagi palantur, Ethnicos vocavit, sibique familiares & domesticos instituit. Intuere utrosque, & observa, quanta morum integritas, & sanctimonia floreat in Ecclesia Gentium, & qualis contra vitiorum colluvies mysticam istam Ægyptum oppresserit: Judæus sanè in eam, quam reliquit, Ægyptum postliminio re- C vertisset, nisi revertenti aditum intercluderet mare: sedem religionis & sanctitatis fugit, erroris & impietatis cubilia quærit. Scilicet postquam sanguinem illum magnum delibavit, a cædibus sibi temperare non potest, & suam quidem crudelitatem tunc manifestè & palam exercuit; nunc verò in occulto sævit, maria terrasque circumit, discipulos quærit, quos demùm in Gehennam præcipitet. Prophetas D non habet, palam occideret, si haberet: huc adigit insanum furor: extorris & vagus externorum Regum imperium pati cogitur, horumque potestate sævum ejus ingenium coërcetur. Sed quum animadvertisset Ethnicos Cacodæmonum responsis Prophetarum oracula anteponere, eademque meditari & colere, Prophetarum quos ante necare solebat personas, habitu vultuque E repræsentare studet: larvam hujusmodi modò assumit, modò abjicit, ut obvios quosque insidiosis disceptationibus captos jugulet. Sævit olim in Prophetarum corpora, voces nunc imitatur, ut quandoquidem Prophetas vexare non potest, Prophetarum lectioni vacantes occidat.

Hunc tu populum fugito miser, in contemtu est illi vita sanguisque tuus, tuone sanguini parcet ille, qui Dei San- F guinem fudit? non timet, dum te fallit, qui non timuit, quum ipse falleretur. Sub columna nubis vitulum conflavit, nec factum erubuit; quadriforme simulacrum in æde Deo sacra collocavit, nec impium facinus exhorruit; Deum patibulo suspendit, & pendentem immotus spectavit, quando ad rei indignitatem mundus ipse contremuit; Spiritus scidit velum Templi, ut Incredulus suum scinderet cor; confracti dissiliere lapides sepulcrales, pectora

pectora lapidea nec sensere quidem; & quoniam talium prodigiorum auctor Spiritus Judæum vidit eo spectaculo minimè commotum, populum insanum dereliquit.

Omnem sanè pudorem tum exuisse Gens scelerata visa est, quando sub formidando Dei sui aspectu illa perpetrabat flagitia, quæ puduit Prophetam propriis explicare vocabulis. Ezechielem consulito, qui ejus scelera modestissimo stylo persecutus est, nec sanè alio, quam qui virum sanctum decebat; adeo ut sicut divinus sermo per ora impuræ Gentis traductus, suam quodammodo detrivisse majestatem visus est; sic scelerum ab illa perpetratorum historia ab ore Sanctorum quandam honestatis speciem referre videatur. Quid? quod & Prophetas mactarunt quasi simplices agnos, curationem illi ægrotantibus afferebant, necem isti medicis intulerunt. Gentem fuge furentem, & anhelantem cædes; ad Christum celerem maturato fugam, unicum salutis tuæ perfugium. Verumtamen ne videare huc appulisse curiosus arcanorum scrutator, illum adora & sile. Nam si qui Christum negavit, egit in Crucem, & qui adorat, perversè ac impudenter explorat; amplam enimverò illi, qui sapiunt lugendi materiam habent, dum alterum divina obtrectantem audiunt, alterum temerè scrutantem.

Ad Abrahæ nepotes venit Filius Dei, nactus est parricidas, quos suos nuncupaverat hæredes. Gentilem populum ejus simplicitate invitatus sibi adoptavit, simplicem mox doluit factum scrutatorem. Tu autem, si tibi sapit cor, simplicem & humilem te tuo exhibeto Domino: callidum & intelligentem habeat te inimicus tuus, & apprimè gnarum illius fraudum, quasve ille tibi struat insidias, quonam in loco, quove artificio suos tibi obtendat tegatque laqueos: huc, aio, adverte animum, & assiduam solicitamque dato operam, ut retia ab adversario occultâ & subtili fraude opposita prospicias; auribus, oculis, teque toto observa vias, in quibus ille tibi pericula intendere consuevit: adde tibi sagacem exploratorem, qui tibi insidiarum deferat locum ac tempus. Næ tu præposterè agis, qui quum satagere deberes, ne te usquam laterent adversarii tui molitiones, Dei tui arcana requiris: adeo nec dum persuasum habes, ipsum esse Deum, ac proinde fieri non posse, ut incomprehensum comprehendas; Diabolum contra fraudum machinatorem esse, fallendique in arte peritissimum; quin ergo ad hunc pernoscendum totus incumbis, imo quare Deum

[illegible]

A Deum cum infensissimo hoste confundis, ut promiscuè eodem erga utrumque utaris more? Non ita: sed Diabolum aggredere ut inimicum, adito Deum humili & simplici corde, cum illo dimica, hujus petito pacem. Assentire testanti se esse eum, *qui est*, ne audeas immensæ profunditatis subire pelagus, ne fortè in eam incidas altitudinem, ubi deprehensus hæreas attonitus, vix mentis jam compos

B tuæ.

[illegible]

SERMO II.

APpropinquare cupio, vereor tamen, ne voti compos factus mei, inde quò tendebam, remotior fiam; etenim quisquis isthæc adyta audacter invadere obstinavit, eodem, quo illa petebat, co-

C natu, ipse se ab eis longissimè abstraxit: contra quicumque in ejusmodi cura moderatè se gessit, hunc justa flagitantem divina æquitas nunquam repulit. Hac igitur moderatione utendum providendumque, ut eò accedamus, unde continuò abscedendum non sit, neque inde abscedamus, unde abscessum ruina sequatur. Quapropter hæc duo permiscenda ac temperanda sunt, tum in appulsu, tum in

D abscessu, ut quandoquidem nobis incidit sermo de sempiterna natura nullo definita modo, modum ipsi teneamus: remotisque longis, litigiosisque disputationibus, velut proposito nostro minùs congruentibus, humoris parvam ab æquore partem delibasse satis habeamus.

Usque eò se effert vile lutum, ut res Opificis sui se narraturum recipiat? Pro magnâ suâ bonitate Deus ad hunc limum

E descendit, ut in eo suam effingeret imaginem; mirum sanè si ejusdem justitiam iste non timeat, vel etiam majestatem contemnat. Scientiam accepit, quâ se ipse nosceret, quòd si secùs agat, atque ad pervestigandum beneficii Auctorem ejus abutatur dono, ipse facto suo illius benefactum ingratus negavit. Doctrinam æqua lance expensam dabimus iis, qui discendi cupiditatem exigunt ad ra-

F tionis normam. Trutinam in medio statuamus; dicenda namque libranda priùs, ut quæ justum pondus reddere comperta sunt, eadem discere volentibus referamus, qualia a majoribus ipsi accepimus.

Audistin' Deum Deum esse? nostin' item te esse hominem? quid ergo luto & argillâ cretus Artificem examinare paras. Audistin' Deum esse Genitorem? habes

bes jam unde deducas, quampiam ab eo generatam fuisse prolem. Si enim divinus Pater generat, Filius genitus non ab alio aliquo, sed ab ipso, quem Patrem appellas, generatus est. Unum genitum audis unicum non dividuum; vide, ne tuis hunc videare strophis velle dividere. Audistin' augustam hujus Prolis generationem, impius es, si disceptationes prætexens, huic labem inferre tentas? Audistin' divinum Spiritum, Spiritum sanctitatis nominari, nomen, quo majores tui illum vocarunt, religiosè observa, cave alio eum appelles vocabulo: si nomen audisti, testare verum esse ac proprium, naturam adhuc investigare tibi nullum jus, fas nullum est. Audistin' Patrem & Filium & Spiritum sanctum, in tribus nominibus tres personas teneto: nomina audis distincta, distinctas habeto hypostases, eædem tamen unius naturæ veritate conjunctæ sunt.

Atenimverò si nomina fatearis, neges autem personas, verbo tenùs Deum adoras, reapsè abnegas: ubi hypostasis non est, quod prætenditur vocabulum, vacuum & inane est: porrò si res subjecta vocabulo nulla est, quid præter sonum nomen habet? Ipsum hypostasis vocabulum rem aliquam veram sibi subesse docet, quam quidem existere, etsi nemo dubitet, quæ tamen & qualis illa sit, nunquam non ignorabitur: nec enim quò tibi compertum est eam existere, continuò patuit, qualis illa sit. Sed neque idcirco, quòd illam comprehendere non potes, eam existere negare debes; neutrum tibi fas est, seu inficiando recedere, seu excedere investigando. Mare tibi occurret ingens, si quidem hasce aquas explorare obstinas, fluctuum objecta moles hærere coget stupenti similem; quamquam ad naufragium unda erit una satis, quum una queat obluctantem rapere, & ad scopulos allidere. Satis habeto miser cymbâ tuam exercere negotiationem: potior tibi esse debet fides, quàm cum fluctibus luctatura navis, quam dum vela attollunt, deprimunt, dumque vehunt undæ, mergunt. Nulli fidem tuam absorbere valent fluctus, nisi tua annuerit voluntas.

At quænam vis tanta, quæ mare cogat parere nautis, aliud cogitat nauclerus, aliud agitat æquor: unus dumtaxat inventus est Dominus noster, cui jubenti obsequeretur mare, increpitumque desideret, componeretque fluctus suos. Similem tamen ille tibi concessit potestatem, ut ejus autoritate ac nomine, maris increpes superbiam & fremitum compescas. Disce tamen infestiorem tibi

A tibi fore hanc disceptandi libidinem, quàm mare, majusque tibi imminere periculum ab istis de religione contentionibus, quam navigaturo a circumfrementis pelagi fluctibus. Quod si ejusmodi furor tuam invasit mentem, perturbatorem increpato, excitosque ab eo tumultus confestim sedare satagito. Mare exagitant procellæ, mentem perturbat vitiosa curiositas. Ad Domini imperium conticuit ventus, quo cessante, navicula pacato mari placidè suum peregit iter. Sciendi aviditatem cohibeto, & pacatum senties fidei imperium. Futilibus hisce fatigatum curis te naturæ rerum invitant, ad contemplandos mirabiles ipsarum effectus, ut quoniam tibi negatur uberiores a fonte haurire latices, exiguum ex eadem scatebrâ pocillum epotare studeas: nec enim quòd aliquando ejus aquas degustasti, inde deduces totum te exhausisse fontem. Infra Solem semper hæsisti, etsi nullæ te ab ejus aspectu interjectæ umbræ prohiberent, neque eo quod ille ad te descendit, tibi vicissim ad ejus orbem ascendere aliquando licuit. Neque rursus quia aërem attrahis & reddis, ejusque anhelitu vivis, ideo aër te superior non sit. Etsi magnitudinis ejus specimen quoddam teneas, totus autem quantus ipse sit adhuc ignoras. Oblatam a natura rerum quantulamcumque opem modò utilem, accipito, quod amplius superat in illarum repositoriis inclusum relinquito, tibi nimirum incomprehensum. Modicum itaque non recusabis, quod supra mediocritatem est, ne ambias. Habes indices Conditoris res ab ipso conditas, illæ te admonent, ut ad petendum quidem auxilium promtus sis, ab investigandis autem ejus arcanis abstineas, quare summæ majestatis beneficentiam beneficiaque gratus agnosce, illius autem secreta rimari caveto. Divini Patris gratiam exosculare, sempiternam ejus essentiam indagare absistito. Ad partam tibi a Filio Dei felicitatem aspira, cohibeto curiositatem, ne in ejus generationem inquiras, sancti Spiritus illapsum suspira, modò ne ad eum investigandum temerè accedas.

Pater & Filius & Spiritus sanctus suis censentur nominibus, cave, ne ad Personarum examen progrediare, sed in earum vocabulis tuos sistito discursus, si enim hypostasim explorare tentaveris, certum tibi exitium accersis; sin autem pura & simplici fide in ejus nomen credis, tutus eris. Sanctum Genitoris nomen cursui tuo terminum figito, ne ultra te

trahat sciendi ejus naturam vesana cupido. Filii nomen puta murum tibi oppositum, ne ad quærendam ejus originem transeas. Quasi vallum tibi ipse objicito Spiritus sancti nomen, intra quod tuam cogitationem contineas ab illius investigatione remotam. Nomina, inquam, limites tibi statuito, horumque objectu quæstionibus definito modum.

Restat, ut quandoquidem vocabula veramque eorum notionem percepisti, animum ad studium divinæ legis appellas, ac si hanc didicisti, fac, ut quæ illa tibi imperavit, perficias, quum autem ejus mandata exhauseris, præmia, quæ promittit, expecta. Cave, ne ea, quæ præcepta sunt, negligas, hisque prætermissis, ad ea, quæ præscripta non sunt, divertas. Quæ vera sunt audisti, plana autem sunt atque notissima, ut mirum sit, si adhuc per dubios & incertos calles vagaris: item clara & compertissima sunt, quæ Simon dixit; at si verum responsum dedit, retulit etiam dignum suâ confessione præmium, ut beatus diceretur: observa tamen paucis ab eo quæstionem fuisse decisam, tu noli per plura vagari. Veritas paucis comprehensa & exposita est, quid te per ambages & longa per exorsa fatigas? Patrem esse qui dicitur, nec indoctus ignorat, qualis autem ipse sit, nemo novit. Filium esse Filium confitemur omnes, quis tamen ipse sit, vel quantus, necdum compertum est: Spiritum sanctum nemo esse negat, omnes quid ipse sit, assequi desperant. Tu ergo fatere Patrem esse Patrem, nega vestigabilem esse; habes unde Filium esse genitum credas, comprehensum esse ut credas, unde habes? Firmiter tene Spiritum sanctum esse Deum, perscrutabilem esse nunquã dices. Hypostases unius singularis naturæ communione unum esse sic credito, ut tres esse non dubites.

Patrem fatere ordine primum, secundum Filium, tertium Spiritum sanctum. Id omne tibi sit ratum ac certum; non enim mandatum dedit Filius, sed Pater, nec Spiritus sanctus alteram personam misit, sed ipse missus est. Item Filius a dexteris sedet, nec Patris sibi vindicat locum, nec Filii sedem sibi usurpat, qui ab ipso mittitur, Spiritus sanctus. Genitoris majestate lætatur Filius, dilecti sui gloriâ gestit Spiritus sanctus. Ubique gaudium & pax, intima ubique conjunctio & immobilis ordo. Pater Filii generationem ignorare nequit, nec Filius mandata patris: Pater jubet, Filius Patris jussa refert, Spiritus sanctus exequitur. Una trium

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A trium quum sit voluntas, omnem excludit discordiam: & quamvis sibi mutuò circuminsideant, & alter in altero immaneat, non confunduntur; nec enim confusionem perfectus admittit ordo: quamobrem non unde intimè conjuncti, & quodammodo permisti sunt, inde deduces esse etiam confusos: rursus nec unde credis esse distinctos, inde argues esse separatos: nec enim, ut dixi, intimæ communioni discretio officit, B nec hæc divisionem inducit. Nemo ergo illorum differentias & proprietates confundat: nemo eorum communionem dividat. Hoc arcanum illi norunt, extra ipsos nemo. Quid quæris homo lutum? etiamne verbum mutire audes?

SERMO III.

C Etsi doctrina discentibus & docentibus senior sit, puerorum tamen consuetudinem non fastidit, ut omnibus promiscuè se communicet. Docet cum docentibus, cum discentibus discit, erudit & eruditur, unam cum utrisque viam persequitur ac tenet, cursumque communem. Cum Oratore encomia texit, cum veteratore dolos. Rudibus & eruditis utitur, atque ad omnes ætates se porrigit, D & in qualibet ætate complectitur universos. Rebus omnibus se impartit tanquam ipsarum Domina: dimensionibus se submittit, sua licet amplitudine omnes Geometrarum conatus eludat; adeo ut nec discentes illam perfectè assequantur, summa licet contentione pugnent, neque planè vel ipsi comprehendant teneantque docentes; neutri quippe ad ejus fontes pervenire potuerunt. Sed enimvero etsi illa E latissimè se pandat ultra discipulorum atque magistrorum captum, infra tamen Repertorem suum jacet, & ab ejus intelligentia longissimè distat. Doctore quisquis eget, si Conditoris potestatem comprehendere non desperat, planè delirat, quum nec ejus quidem opera percipiat, vel quo modo è nihilo crevere, sciat. Quamquam nec Mundus quantus quantus est, sui Opificis potentiam exhaurire potuit, sic ut ali- F quid illo majus moliri nequiverit. Quid enim? num ille præcedentium operum labore fatigatus, ex cessatione otium quæsivit? Summus ille Opifex defatigationi non subest, cui qualecumque opus sola voluntate constat, quæ quidem nullo coarctatur limite, nulloque circumscribitur tempore. At ille etsi queat in singulos dies nova opera procudere, abstinet tamen, nec facit, quod si faceret, quanta putas

putas inde rerum perturbatio totiusque ordinis confusio sequeretur? Sic enim creaturarum census in immensum procederet, & infinitus hominum numerus communionem & societatem excluderet; adeo ut etsi Deus operam suam nemini negaret, ipsi sibi invicem penitùs inutiles evaderent: quorsum autem crearet futuros ab invicem alienos, & aversos? Quidquid summus Opifex molitus est, non id fecit, quo sibi aliquid commodi accederet; nec enim minor erat, antequam Mundum conderet, neque ab illo condito major evasit.

Cæterùm quum opera sua locupletare & ornare statuisset, ea numero, pondere & mensura architectatus est: & quamvis in ejus potestate erat, Mundi spatia ultra eos, quibus nunc continetur, fines amplificare, consilium tamen non probavit; auctâ quippe, ut dictum est, præter omnem modum habitantium multitudine, quæ tum disciplina turbam continere potuisset, vel a rectâ errantem in viam reducere, atque ab interitu, quò eam error traheret, vindicare? perturbato namque ordine, omnes omnia promiscua habuissent, adeo ut nec Justos tunc revererentur monitores, nec Prophetarum consiliis acquiescerent. Iterum si mundus centuplo major esset, quid agerent, quidve consilii caperent divini verbi præcones, ut amplissima ejus spatia pervaderent, circumlustratoque toto orbe omnes Gentes veræ religionis præceptis imbuerent? Hebræos Dominus in terræ meditullio collocavit, eo videlicet consilio, ut omnes circum regiones ab ipsis virtutum documenta peterent. Et sanè tum quando illos ex Ægypto eduxit, tum quando Babylone reduxit, eorum in utramque regionem deportationem, indeque subsecutum reditum mox ubique Gentium fama vulgavit.

Atenimverò etsi mundus laxiora, quam nunc, haberet spatia, nec sua quantalibet amplitudine suum Conditorem comprehenderet, & quamvis ipse ei præsens tum etiam adesset ubique, quum extra eundem in omnes partes sese sine fine diffundat, ipse tamen mundus in eam, quam fingis, amplitudinem productus, quo finges modo ab illo juvandum fuisse? Etenim si modò, quum talis sit, qualem habemus, parvus & angustus, erumpentibus undique hæresibus, velut irruentibus procellis agitatur & æstuat, qualem, putas, tempestatem sustinere cogeretur, si foret in eam, quam cogitas, amplitudinem prolatatus. Præterea nec Sol suos meatus ab ortu

A ortu ad occasum intra diurnum spatium perficere posset; horæ in dies, diesque migrarent in annos: hyems & æstas constitutam dimensionem excederent, laxarentque sua spatia dies & nox præter naturæ usum. Præterquamquod quousque tum expectandum foret, donec ad maturitatem segetes pervenirent, & poma mitescerent? Et hunc rebus ordinem statuere Conditori utique difficile non fuisset; nobis B contra gravissimum atque molestissimum. Quidquid ergo molitur ille rerum Incœptor & Perfector omnium, non suis viribus, sed nostra utilitate metitur.

Porrò ex hoc immenso sinu prodiit Unigenitus, quem nec perscrutari, nec attingere fas est, si tamen hunc adhuc pervestigare placet, docebo viam: conare prius ejus Generatorem comprehendere, C tuas hìc ante experire vires, & hoc sit initium, & meta prima laboris: dimetire, si potes, ejus spatia, scrutare, quàm longè latèque quaquaversus ipse se profundat; quumque substantiam principio & fine carentem metatus fueris, Prolis ex eâ genitæ scito te simul tenere modum. Age itaque Patrem tuâ ista decempedâ explora; nam si Generatorem percipere poteris, inde Genitum intelligere & D comprehendere pronum erit: atqui substantiam sempiternam & immensam capere non potes, ergo nec Filium ejus assequi potis eris; quorsum igitur ineptè maris immensi freta vadare obstinas? Ergo age & ad ea, quæ abjecimus, redeamus; nec enim debemus, quod compertum est, deserere, ut ad ea discenda, quæ arcana & abdita sunt, sine duce prosi- E liamus.

Recole quod dictum est prius, supremum Opificem non infinitâ suâ potentia, quæ molitur, opera definire; nec enim quæcumque potest, sed quæcumque decent, operatur; nam si operum suorum seriem sine interjectione prosequeretur, neque aptam in agendo distributionem modumque teneret, natura rerum informis esset, & ad proprium finem prorsùs inu- F tilis: id enim ex confusione partium necessariò consequitur. Quamobrem summus ille Artifex fluviis comparandus foret, qui sine lege vagantur, & causam, cur hàc, non illàc decurrant, ignorant; ipsos nimirum natura suis illigavit fontibus, & singulis peculiares alveos distinxit, adeo ut nec ratos cursus frænare, nec variare queant; nec proinde Deo integra maneret eligendi potestas. Non ita, sed ut nisi ille ad extra efflueret, nulla ejus erga

erga nos bonæ voluntatis haberemus indicia; sic, si semper eundem teneret cursum, summa, qua pollet arbitrii vis, minimè constaret. Quum itaque Deus rerum omnium Incœptor & Perfector sit, opera sua distinctè & ordinatè disponit. Et sanè si singulis diebus alios atque alios Cælos, terrasque novas conderet, rerumque factarum species perpetuò congeminaret, quid inde haberemus præter molem quandam indigestam & informem, nec inde profectò Opificis magnificentia commendaretur, a qua abesset sapientia. An non Oratorem in arte sua tenere modum oportet? nec enim quia eloquentiâ præstat, loqui semper debet; atqui magis operosum est Oratori dicere, quàm Creatori res quaslibet è nihilo educere; imo longè faciliora sunt sua summo Agenti opera, quàm sua verba loquenti; propterea qui omnia facere potest, non omnia facit, continuo processu operibus opera annectens. Quid enim? num qui hominem, utpote mente & ratione præditum, ordinem docuit, ipse nesciat, aut sciens minimè attendat? Ordinem ipse novit & servat, etsi per singula momenta opera, quæ fecit, congeminare possit. Quum itaque a Mundo condito integrum fuisset quolibet momento nova moliri opera, abstinuit, ut ea, quæ condiderat, disponeret & ornaret. Quænam autem qualiave opera edere potuisset, quis nostrûm divinare queat? Plura sunt, quæ fecit, restant adhuc plurima, quæ facere potuisset: sed nec ea, quæ creavit nobis percipere licet, nec ea, quæ prætermisit, nostrarum virium est indagare. Uti enim idem ipse, cujus nutu crevit Mundus, in obscuro delitescit; sic opera ejus nostram intelligentiam fugiunt, nec ea solummodo, quæ per se abdita sunt & retrusa, sed etiam, quæ nostris undique sensibus se offerunt & percipiuntur. Adeo nec ea, quæ reperit, nostræ facultatis est comprehendere, nec ea conjectare, quæ reperire potest: ille dumtaxat Unigenitus, qui in ejus conditur sinu, operum ejus modum & numerum novit; scilicet quum ipse idem abditus sit & manifestus, abdita & manifesta tenet. Cui autem Sapientiæ ædem vix è limine inspicere licuit, quem finges ad altissimos ejus fontes perveniendi aditum? Una potest humilibus & infirmis subvenire doctrina, alumnis hæc nempe suis saltus expedit celerrimos, denos denario multiplicat & centenos colligit, centenos iterum denario ducit, & millenos efficit; sic a millenario ad millenarium

A B C D E F [illegible]

A narium procedit, & a myriade ad myriadem. Hinc vim ejus cognoscito, eadem quippe celeritate in cæteris quibuslibet excellit.

Cogita mysticum pontem esse nobis arcana divina petentibus præparatum, thesaurique clavem egentibus oblatam. Doctrina senibus autoritatem conciliat, juvenes prudentiâ instruit, virginibus pudoris præsidium comparat, arcet pudicitiæ hostes, maria terrasque eadem subegit rusticis & piscatoribus, fræna navibus injecit, perque freta celeri cursu eas traduxit. Mare quadrigis submisit, classibus continentem lustravit, ægris commissa amissas vires restituit, impurè intemperanterque viventibus sociata, veræ laudis gustum ingenerat, ab ejus consuetudine mirum, quàm multa discant indocti; mutos & informes formatos & eloquentes facit: cum judice constantiam induit, & cum reo ad pedes se abjicit, illum ad vindicanda scelera informat, hunc supplici prece misericordiam captare docet. Cum disceptantibus disputat, cum doctis quæstiones proponit, eadem nodum stringit & solvit, ad ipsam pertinet utrumque, quum neutrum sine illa constet. Neminem cogit invitum, imperat tamen omnibus. Artificem ipsa docet rerum mutare formas, quo discat summam Dei potestatem, qui è nihilo, quidquid est creat & format, Creatorem proinde creatis opificibus longè præcellere, & ipsos quidem ex rebus præexistentibus alias componere, ipsum autem rerum Incœptorem Perfectoremque è nihilo educere, quæcumque creat.

Ohe, fratres, quieti satis somnoque datum est, soporem tandem discutite, insomnibus Angelis nostræ vigiliæ placent. Sacra sumamus arma fidei, & peccatum nostræ necis autorem è medio tollere studeamus, putrescentium membrorum nostrorum fœtor nostras implevit nares, Christo quippe graviter ipsi nos olemus. Fervet pugna nostris excita dissidiis, nosque vigilantes ipso soporat armorum strepitu. Scilicet quia Sacerdotes litigant, procurrerunt ad arma Reges: motum ab externis bellum durat, quia intestinæ civium discordiæ perseverant: pastores invicem se oppugnant, rectores inter se dimicant, eorumque discordia pascua cum ovibus perdidit. Quum Pastores subtili pabulo nos pascere obstinassent, proculcarunt suavem disciplinam, quæ sincero veritatis pastu nos sustentabat; quumque nos locupletes facere cogitarent, omnes, quas habebamus opes, abstulerunt. Texerunt veritatis

ritatis lumen, ut veritatem in tenebris quærerent. Orthodoxæ fidei laudes totus tonat orbis, quam isti in scissuris petrarum scrutantur. Ecce filii lucis in obscuro litigant, dumque veritas sole clarior ipsis se offert: queruntur amissam scilicet montem intra cavos rupium se reperturos sperant; veritatem terrâ cæloque majorem, quasi in crepusculo dubiam lucem captant. Veritatem omnia prætervolantem spatia attingere laborant, qui præsentem intueri abnuunt. Scilicet aliud quærunt, aliud invenire volunt, veritatem, a qua inventi sunt, perdere contendunt.

Atenimverò scrutator veritatis perire potest, veritas perire non potest. Cæcus lucem amisit, quamvis habeat præsentem: surdus item longè est a voce, etiam quum ejus pepulerit aures; sic indoctus etsi plurimos habeat prostantes codices, nullos habet. Omnes scientiæ humano ingenio expositæ sunt, nullæ dementibus & stupidis. Pontifices erroris veritatem agnoverunt, Antistites nostri adhuc scrutantur, sensere pariter Incantatores, postquam sua maleficia ejus vi soluta aspexerunt: confessi sunt Chaldæi, ubi suæ sectæ scita ejus decretis confutata viderunt. Arioli etiam & conjectores dedere manus, postquam ex ejus oraculis patuit ipsis suarum divinationum vanitas. Ipsi eam testati sunt Dæmones humanis corporibus insidentes, postquam ejus cantu ab immundo domicilio ejecti fugerunt. Gentes denique ex prisco errore saxa colentes veritatem amplexæ sunt, postquam Deorum suorum statuæ divina ejus virtute fractæ corruerunt. Orthodoxa fides per totum Orbem diffusa clamitat, & isti scitantur adhuc ubi ea moretur. Filii Dei hostes ejus præsentiam sentire se fatentur, quem sibi compertum negant homines ejus designati præcones.

Postquam Judæus Christum apertè negavit, intellexit, unde suæ gentis excidium fluxisset, suppressit tamen, causam videlicet propriæ ruinæ ipsum fateri puduit. Factum occultare conantem Ecclesia revicit, & Jerosolymam ideo repudiatam fuisse demonstravit, quòd ille novam sibi sponsam junxisset, proptereaque aliud Sacerdotium, abrogatis Levitici ordinis ceremoniis, ab eo fuisse institutum. Ejusmodi conversionem rerum testantur designati nobis Prophetæ, dum uno ore clamant, omnia Christi adventu perfecta & consummata fuisse. Tanto Ecclesiæ nostræ splendore offensus Diabolus, controversias inter homines contentionis cupidiores, quam verita-

A veritatis obtrusit, quæ tandem in discordias & odia erumperent. Nec vero latet hujus notæ homines externam speciem magis, quàm ingenium habere bonum, introrsum turpes, extrorsum pelle decora speciosos.

Filium Dei invenire rudibus concessum est, relictus eruditis quærendi labor: è longinquis venere locis alienigenæ, hujus disciplinæ famâ acciti, scholam intrarunt, B votique sui compotes effecti, mirabantur, indigenas quærere in alienis terris, quibus affluebant, opes. Adeo respondent postrema primis; olim Magi è longinquo sensere Regem in Betlehem urbe natum, candidæ simplicitatis homines existimabant se visuros, a sapientibus & Hebræis Filium Regis illic natum effuso sinu exceptum, & in ulnas sublatum ferri circum C per pagos & compita, deposuere errorem, postquam perspexerunt Hebræos nec animadvertisse præsentem, quem absentem externi in confusa multitudine discreverant. Rex scilicet versabatur ipsis ante oculos, illi interim futilibus quæstionibus tempus terebant. Natus fuerat Rex, eo modo, quo ei nasci placuit, ipsi nihilominus de ejus nativitate anxii & incerti disceptabant. Signum Regis nati tenebant exter- D ni, quum domesticos teneret cura nascituri, meritò itaque illorum obstupuerunt vecordiam advenæ & peregrini, quòd codices de futuro ejus adventu consulerent, perinde ac si ipse præsens non esset, quodve legatus ejus alienigenis ad ipsum venientibus præiret viam, contra indigenæ perinde ac si abesset, promissi ejus adventus expectatione torquerentur, nec ideo ta- E men a proposito destiterunt, sed ineptos sprevere disceptatores, inceptamque viam prosecuti sunt, Unigenito nato dona ferentes. Sic tandem Magis datum est manifestatam in carne Veritatem invenire, permissumque suas Pharisæis agitare quæstiones.

Vos itaque sanctæ Fidei alumnos haudquaquam moveat, quòd Judæorum magistri hucusque veritatem quæritent, F viâ eâdem, qua a Magusæis in urbe Betlehem inventus est, in sinu sanctæ Ecclesiæ ultro occurret purâ mente requirentibus. Tu verò Magusæos imitare, nato Regi munera ferto grata, castos & incorruptos mores: Filium Dei sincerâ & integrâ fide adora, qualem ipse reperisti, & qualem ille se tibi quærenti ostendit. Cæterum uti Magusæi illum fœneratâ sibi ab ipso luce deducente, repererunt; sic eundem invenient quicumque probant illud, quod

quod Simon instinctu divino concitatus, fudit oraculum. Nec ætas te præsens commovere debet, a priori nil ista discrepat; præteritus Filii Dei adventus futuro similis est, quare nil mirum, si quemadmodum circa primum ejus adventum inter eruditos plures exortæ fuere quæstiones; sic ante secundum variæ & contrariæ opiniones hodie quoque ferantur.

Asinæ pullo vectus, quum Jerosolymam Dominus venisset, præeuntes Gentiles lætis vocibus urbem ingredienti acclamarunt. Circumcisi præsentes eo clamore commoti, discendi, quæ ipsos scire maxime intererat, inde occasionem acceperunt; scitabantur itaque, quisnam esset, cujus nunciabatur adventus. Sic indigenæ ab advenis amissam Regis sui notitiam requirebant: sua proinde ab externis discere satagebant: Gentiles contra, qui ad festa Cæcorum convenerant, & ab iis erudiri volebant, vice versâ Hebræos erudiebant, sua ipsis narrabant; Incircumcisi ad Circumcisos clamabant: hic est Jesus Nazarenus. Vim hujus vocabuli ex Cæcorum libris notam, ipsi cæci Judæi ab Ethnicis repetebant: Barbari Hebræis traditas ipsis scripturas exponebant, & literas, quibus Deus testimonium suæ voluntatis ipsis consignaverat, interpretabantur.

Quisquis talia audis, habes unde intelligas, hominem cæterà doctum in hac hærere aqua; ac si literarum studium te delectat, utique commovere non debent de ejusmodi arcanis disputantium errores. At sicubi magistrum deceptum fuisse deprehenderis, libros divinitùs inspiratos consulito. Sæpe namque contingit curiosos falli scrutatores, ubi prudentes lectores inoffenso cucurrere pede, & præceptores turpiter labi, ubi auditores nec labare solent. Evangelium hominum autoritas non sustinet, quidquid humanum est, etiam caducum est, ejusque casus rerum ab illo dependentium ruinam trahit, Dei autem testimonio nititur fides & stat. Verbo, quod omnia portat, doctrina, quam didicisti, incumbit. Quisquis istud permiscuit fretum, ipse se, non illud turbavit; quisquis ignorat, quorsum suum intendat iter, huic perdita via est, hæc autem sapientibus, rationisque ductum sequentibus signat fixis lapidibus milliaria, ac diversoria præparat.

Cæterùm si populus universus commissa errata dolens, suos correxisset mores, & in sacco & cinere Deum orasset, ut afflictis rebus ferret opem, nunquam sanè

[illegible]

A sanè Altissimus Præsides his implicari tricis permisisset. Nunc verò Sacerdos talis evasit, qualis populus. Sacratorum hominum vita victuque mutato, mutavit mores promiscuum vulgus, unde partes ambæ se mutuò dilacerarent. Languidus inersque magister nullam ex discipulis requiem capit, ipsos ille pejores fecit, & ipse illorum fuligine imbutus, quod dedit, accepit malum. Gravem & moderatum Præsidem subjecti obsequentes relevant, ejus B ipsi protectione tutos se fore confidunt, & ille sibi de ipsorum obedientia gratulatur. Curam nostram nostri deposuere Rectores, nostros ipsi Rectores repudiavimus, nec illi nostris commoventur malis, nec illorum nos tangunt calamitates. Individuum corpus divisum est, a capite membra discordant; Feræ in saltu simul morantur, & communitatem servant, homi- C nes in Ecclesia litigant ac tumultuantur. Quotus autem quisque est, quem istuc angat commune malum? Postquam a via divertimus, ad indagandum ejus initium revolvimur, cursus nostri metam prope attigimus, & de ejus exordio sciscitamur. Postquam in schola consenuimus, ejus axiomata discutimus, & postquam in legendis libris ætatem trivimus, ad discenda literarum elementa revertimur.

D Interea pueri hesterno die intra limen Gymnasii admissi, Niniviticæ cucurbitæ miraculum geminarunt, emissis eodem, quo nati die, floribus, novum finxere fidei typum; scilicet quam sanctissimi viri pinxere tabulam, non probant: discordiarum tamen ille semen est, & civilis belli fax; quodque vehementer stupeas, sapientes & modestos a sensibus abalienat & furiosos E facit. Multorum ille ora mutavit in canales, nec paucorum aures in aquæductus redegit, quibus collectam errorum colluviem refunderet. Plerique postquam tale monstrum spectarunt, homines cæteroqui suopte mites ingenio subitò efferati, in rixas & jurgia efferbuere; amici & sodales alter in alterum exacuère linguam, & in mutua exarserunt odia; socii & contubernales discordiarum & dissensionum argu- F menta inde traxerunt: veteres amici inchoatam a pueritia necessitudinem abruperunt: casti ac temperantes suos exuère mores, & in contraria vitia se præcipitarunt. Salem veritatis corrupère sapientes, homines naturâ lenes, amisso repentè humanitatis sensu, arma sibi inde petierunt: sed & pueri impuberes sexagenariis senibus insultare didicerunt, & septuagenariis septuplo morosiores effecti, parem maledicentiam induerunt: pastores item sibi

sibi gregem tanquam domini arrogarunt; Agni mansueti & sine voce muti, oblatâ disceptandi occasione, Tigridum repentè ferocitatem deprompserunt. Columbæ denique propriam mutavere naturam, viperis truculentiores effectæ.

Geminas habet Unigenitus facies, alteram occultam, conspicuam alteram, nec ista velatur, nec illa prostat sensibus, aut ratione tenetur. Diabolus veterator vaferrimus ab altera oculis subjecta nostris nos callidè abstraxit, applicuitque ad alteram, non ignarus primam nobis salutis viam a cognitione Salvatoris pandendam fore. Illius intuere Patrem, duas item habere facies deprehendes; indeque factum, ut nemo hunc esse non teneat, qualis autem idem sit, nemo non ignoret, adeo abditus ille est ac retrusus. Prior ille prospectus apertus plane & facilis est, stolidis etiam ac stupidis expositus, posterior iste ipsis Cælitibus incomprehensus & impenetrabilis est. Quid? quod non illa dumtaxat Majestas, creatis mentibus per se inaccessa, duos habet aditus, sed universim res omnes ab ipsa conditæ; adeo nulla est, quæ ex omni parte aspectabilis sit, ut nulla ejus particula aspectum fugiat. Hinc omnium quidem existentiam percipimus omnes, singularum autem rationes explicare nemo potest.

Quod si de rebus factis utrumque statuendum est, & eas manifestas non esse, ubi manifestæ sunt, & rursus notas esse, ubi notæ non sunt, quam veriùs ipsum hoc judicium de illarum Opifice, ejusque Unigenito ferendum sit? utrumque igitur tibi certum ratumque sit, tum geminas illas habere notiones, alteram manifestam, arcanam alteram, tum idcirco in ambobus secernenda esse, quæ nostram intelligentiam non fugiunt, & quæ abdita & abstrusa sunt, ut omnes mentes supereffluant: scilicet notissimum esse, illos esse, qui autem, & quales sint, ignotum usque mansurum. Aliquem quidem patere aditum ad cognoscenda, quę Pater & Filius nobis latere noluerunt, nullum tamen ad ea, quæ decrevere nobis manere occulta; eos proinde vehementer errare, qui ad negatam sibi scientiam aspirant. An Filius existat, si forte rogites, in momento disces; sin tamen qualis ille sit quæris, quid ista demum tibi extundet quæstio? etiamsi videris quem pernoscere desideras, quid tamen ille sit nunquam attinges. Quod si ipsum postquam videris, discutere etiam attentaveris, nec eum vidisse videberis, sique gloriam, quam te videre dicis, scrutabilem

[Syriac text: illegible]

lem esse credis, liquet, eam a te nunquam fuisse visam.

Cæterum si istiusmodi arcana perquirere obstinas, pœnas præposteræ curiositatis in regno Cælorum dabis, tum quando pius quisque in Christo lætabitur, te autem eundem videndi sitis torquebit. Porrò magis credibile est, fontes sempiternis flammis summersos, inde extractum iri, quam eâ, quæ te fatigat, curâ liberandum, donec ipse hanc spontè deponas. Attamen si istam disceptandi cupiditatem frænare neglexeris, a regno Dei exclusum te serò dolebis, nec enim pugnæ & contentionis cupidum hominem illud admittit, ne forte lites serat in sede plenissimæ pacis. Hunc in modum cæleste regnum injuriam sanctæ Ecclesiæ irrogatam vindicabit, illos repellens, qui quum viverent, ejus statum perturbarunt. Nec verò consentaneum est, quietis ædem intrare discordiarum satores, cujus imago est vera, in qua vivimus, Ecclesia.

Utinam quemadmodum illud regnum otio utitur jucundissimo; sic sancta Ecclesia simili pace frueretur. Quod si ab illa Beatorum sede exulant disceptatores, unde huc confluxere scrutatores? ac si ab illa curia absunt lites, cur, cedo, forum nostrum litigantibus plenum est? & si in ea Ecclesia quies & pax summa est, in ista quare lis ex lite, & bellum ex bello seritur? Unum Genitum illic Cælites vident, atque per eum unum Generatorem, qui contendat, quive disputet nemo est, omnes nimirum Patrem & Filium adorant, & laudant. Atqui si Cælitibus id sufficit, cur ejectis & exulibus non sufficiat? ac si spiritus & ignis silent, profectò deridendi sunt limus & cinis, si quid moverint. Tremunt Cælum, Cælique Cives, fuiunt humus, humoque concreti mortales. Illum proinde lauda, qui talia crimina talibus calamitatibus ulciscitur.

Hostes ecce è longinquo adduxit, qui nos aperto bello aggressi, captivos abducunt, postquam propinqui simulata pace sibi nos fecere servos; Barbaris viam munivit, quum viæ duces nobis viam subverterent: sacras ædes cædibus temerarunt hostes, postquam nos ipsi sacra profanis, vera falsis miscuimus; quum Sacerdotes inter se confligerent, & se invicem impeterent, Ethnici extulere caput. Quis autem tantæ molis volumen expediat, ut omnia capiat, quæ de natis inter nos dissensionibus scribenda forent? Hinc porrò grave admodum nobis accidit malum, ut fratribus se mutuò odio insectantibus,

tibus, multos nostrorum ab hostium uno pelli fugarique videamus.

Quum mitis & misericors Deus miseriis & calamitatibus nostris opem ferret, ab eo ingrati defecimus, idcirco vicinis ludibrio esse cœpimus: scilicet quia quum loqueretur, ab eo fabulam nobis narrari suspicabamur, jam nos fabula sumus, & alienum ludicrum luimus. Artes considera, statim intelliges, solertem & præstantem artificem arti suæ decus afferre; negligentem contra pedibusque trahentem, quod exercet opus, passim despicatum haberi. Enimverò omnium ille Repertor rerum ipsis etiam artibus speciem quandam ultricis justitiæ immiscuit, adeo ut si quam ab suis artificibus injuriam tulerint, ipsis continuò referant: nec sanè aliâ lege ab eo agendum fuit, in quo tanquam in sua sede consistit justitia? Equidem non miror, si postquam ipsi nostram disciplinam despeximus, simul despectam vulgo fecimus, nosque Autor ejus Deus vicinorum sannis & obtrectationibus objecit: insultant nobis ecce Pagani, quò abiit, aiunt, illa, quam fidei vestræ arrogatis divina vis? Audin' quomodo ab externis traducatur potestas, qua nulla in terris major. Nos ejus existimationem gloriamque perdidimus, ex quo arbitrium, quo præditi sumus, inertiæ se dedidit, ac tuendæ ornandæque fidei curam abjecit, veritas enim vim suam contraxit continuitque, nosque Paganis irridendos propinavit.

Erupêre sævi scelerum vindices, latrones audacissimi nostros invasere fines; nimirum quia nos disputationum æstu jactati, & ab invicem divulsi, societatem dissolvimus, illi suas junxere acies, confertoque agmine certatim ad direptiones & prædas procurrerunt. Jam Filii Dei imperium non patimur, ejusque legibus apertè reclamamus, quum ducum illi suorum voluntati refragari non audeant; quia hìc jura contemsimus, illic jura suam obtinent vim; quia hìc sanctæ ordinationes proculcantur, illic majorum statuta nemo non reveretur. Nimirum illic revixere, quæ hìc periere leges; & quia nos ab invicem dissentimus; illi sibi mirificè consentiunt: secreta Regis consilia inquirit nemo, qualis ille sit, petulanter nemo explorat, quòve soleat ignotus hospes divertere; proh quantum ab officio descivimus, qui de generatione supremi rerum Domini disceptare ludum deputamus! Mortalis Principis nutus aulici & milites pavescunt, pedibus obteruntur in Ecclesia codices, in quibus suam nobis Deus mandavit voluntatem; nec enim placent

A cent iis, qui sua somnia narrant. Nos miseros, qui vitia nostra externis allivimus, nobisque dudum refusa hausimus. Impudentia & contumacia alibi extincta, apud nos flammam extulit. Furta, quæ illic decumbunt, hìc in dies convalescunt, atraque ingluvies, quam exteri moderato victu quadam velut tristitia contraxere, hìc hilarata triumphat. Languet illic malitia, nos ei vires geminavimus: si autem B quomodo valeat veritas rogas, quotusquisque est, qui in veritate stet?

Res coram agitur: certè videtis, ut per impios homines nos judicat Deus. Illic colitur Sol, nec quispiam rem factam scrutatur. *In Perside.* Hìc Opificem extenuavimus, dum quilibet ambit adorandum ejus numen rescire. Illic ignis adoratur, hìc Dominus ejus temerè investigatur. Ibi aqua honoratur, hìc noster C Baptismus despicitur. Illi inscienter pro Opifice opus colunt: nos prudentes scientesque pecuniam Deo anteferimus, & de hoc nobis plaudimus; vivi viventesque erramus. Atenim quando conscientiæ sepem nos sustulimus, nostræ urbis muros Barbari subruerunt; & quoniam mens nostra quietis impatiens æstuat, illi armis omnia turbarunt. Cor nostrum totis medullis venisque terram inhiat: D propterea nos inimici aggestis terræ tumulis obruerunt. Quia caritatem nemo sitiebat, omnes siti conficimur, quia ad aggerandam pecuniam à recta deflexìmus, civium nostrorum turba in servitutem abducta per campos & montes oberravit; pulvis fuimus, qui triticum esse debueramus, ideo repentinus ac violentus flatus ab Oriente coortus, nos dissipavit; quia per omnes partes discursando tempus E terebamus, ad omnes Mundi plagas disjecti sumus: quia in unicum salutis portū non profugimus, nec munitissimæ arces nos tutos præstare potuerunt: quia quum pace potiremur, vitam duximus inertem, velut jam vitæ lumine cassi, idcirco nobis per obscuros abactis calles, jam oculorum usus nullus erat: quia egenis inediâ miserè conflictatis victum negavimus, ideo avibus obscenis cadavera nostra præda data fuere. F Et quoniam pastores nostri inani ostentatione fastuque pleni summa petebant, humi jacuerunt, & Magorum in terras deportati projectique sunt. Ecclesias nostras nefarii homines incenderunt, quia in ipsis non, ut decebat, oravimus. Altare exciderunt, quia nec, ut par erat, coram illo ministravimus. Sacros Codices lacerarunt, quia eorum præcepta minimè servabamus.

Verum-

Verumtamen bonus Deus tametsi a nobis derelictus, nos haudquaquam dereliquit, emendare studet, utque plenos officii & religionis habeat, delinquentes castigat. Imminent ecce nobis conjunctis armis variarum gentium acies, mutuam vindicaturæ animorum conjunctionem nostris violatam discordiis. Incubuere nobis truculenti duces, tribunalia occuparunt Judices furaces: incidit ab extra bellum, quum intra domesticis seditionibus conflictaremur; nondum externa sagittariorum agmina nos invaserant, jamque suos arcus in nos nostri contubernales intenderant, antequam exertis gladiis nos hostes adorirentur, domestici suas adversus nos linguas acuebant: arcanis odiis, velut occultatis fraudulenter arcubus, acutissima tela torquemus, sodalem quisque suum impetit, omnes promiscuè se invicem confodiunt. Scilicet hujusmodi calamitates infert vindex pacis, ut istis graviora mala medicetur: arcus intendit, ut odia extinguat, sagittas sub aspectum cadentes vibrat, ut infringat jacula aciem fugientia. Gentem pulchrè pexatam adduxit, quæ nos ad exuenda vitia nostra provocaret, utque Barbarorum armis pulsati, veritatis arma sumeremus: nudatos gladios opposuit, ut obtrectatorum ora obstrueret: Assyriorum arcus objecit, ut suas libido sagittas contraheret, tum ut externo constricta nervo obtrectandi cupido obmutesceret, & superbus quisque Elephantorum horrenda mole aspectuque perterritus, contumaciam comprimeret. Quod reliquum est, demus operam, ut quoniam bella modò occulta, modò aperta nos undique exercent, pœnitentiam & humilitatem amplectamur, nostrisque cordibus inseramus.

[illegible]

SANCTI PATRIS NOSTRI

EPHRAEM SYRI
ADVERSUS JUDÆOS SERMO

habitus die Dominico in Palmis.

AD Panegyrim conveniſtis, Cariſſimi, præclaris refertam ſenſibus, Autori ejus ſapientiſſimo ferte munera plenis manibus, & ore pleno laudes concinite. Ad epulum triumphale veniſtis, magnanimi bellatores, agite nunc, ſtrenuos imitamini athletas, militiæ veſtræ ſignum prehendite, ſtringite utraque manu. Ad emporium hodierno die appuliſtis omnium dives mercium, hinc myſticas comparare licebit opes, in omne ævum manſuras, quare non pigeat ſpiritu dignam hìc facere mercaturam. Freta tranaſtis, jam portum tenetis, ſuccedite in tutam fidamque ſtationem, unde ſecuris, omnique metu ſolutis dabitur inſanos pelagi æſtus intueri.

Filius Regis noſtras invectus oras, nos jubet feſtos agitare dies, ergo ramos oleæ manibus præferentes adventanti occurrite, hymnos dicite, clamate, ſerva quæſo; & quoniam ad hunc celeberrimum diem feſtorum ac temporum caput, noſtrique computi epocham nos pervenire juſſiſti, & inſuper docuiſti in ſolennitate præcipuo jure tibi ſacra tuas hymnis celebrare laudes, necnon tua tecum beneficia loqui eo die, qui ad inſtaurandam iſtorum memoriam ſtatutus fuit. Angelos orare conſentaneum eſt, ut ſonantibus tubis, ſuas nobiſcum jungant gratulationes, imo verò omnium gentium populos excitare, ut conſonis vocibus ſuam nobis conteſtentur lætitiam, feſtivam de more geminantes acclamationem: ſerva quæſo.

Noſtrum quæſo luctum ſolvat cunctis lætificus dies: pii tui labores peccata noſtra obliterent. Largire pacem, otium concede, quod præteritarum calamitatum memoriam obruat, naturæ primævum reſtituat robur, ſua quippe vetuſtate conſenuit, quæque nobis obtigere bona, rata eſſe jube, & ordinario curſu fluere. Eccleſiarum tuere decorem: quique Cæleſtes ſpiritus ornas, animas noſtras purifica; generis, quæſo, noſtri propagines tui nominis invocatione revireſcant & floreant; non enim te piguit naturæ noſtræ cogna-

cognatum fieri. Expia, precor, animos scelerum conscientiâ oppressos, nullaque posthac concede maculari culpâ, dirutos muros restitue, tuoque adversus oppugnatores præsidio in posterum præsta tutos. Quæcumque nobis bene constituta sunt expolire & ornare ne, quæso, absistas, donec ad primum, quem dedisti decorem reducas. Te, Domine, Superi Inferique, Terra Cælum, resque omnes laudent & magnificent. Quæcumque tuo è nihilo crevere nutu, tuam prædicent magnificentiam, cujusque numine constitutus ordo rerum perseverat. Gloriæ tuæ serviant flatuum ac ventorum non unâ ex causa, nec una ex parte mirabiles occursus & concursus. Profectò pulcherrimus iste Celestium orbium concentus de tuis laudibus nunquam conticescet. Gaudeant Superi de tuo descensu, exultent Inferi de tuo adventu, ac utrique bonitatem tuam extollant.

Tuis calcatum pedibus gestiat mare, tuisque dimensum passibus lætetur continens. Animus noster Majestatis tuæ templum tuam testetur gloriam, tuas mens mea meditetur laudes, & profundo loquatur ore. Gaudeat Prophetarum chorus, pueros audiens tuarum laudum buccinatores, & Apostolorum cœtus exultet circumsonantibus promiscuæ plebis vocibus. Hodiernus dies Cælum hilaravit, & omnes Cælitum ordines incredibili lætitia affecit, quam etiam testati sunt, quando suis singuli argumentis illius gloriam declararunt, qui majestatem suam ad nostra isthæc infima deducebat: lux eadem superas etiam aquas & inferas, fontes simul & maria ad prædicandas gloriosi & præpotentis nominis tui laudes excitavit, personuitque circum ubique faustum illud ferva quæso.

Exultet Firmamentum, illumque demiretur, qui nostri non indigens, nostra tamen delectatus cosuetudine, Cælum inclinavit, ut terram quæreret. Sed & Sol serenato die lætus nunc prodeat radiis septus hilarantibus, sic decet apparere magno illi luminum Principi, cujus splendor omnes Mundi pervadit ætates, ipsumque lætificat Universum. Solis accensa radiis Luna exempla sequatur, aliorum etiam luminum fulgore decora, illum & vere summum, sanctè verum adoret in sua regia morantem, tum obstupescat, quod ad locum tam humilem, tamque abjectum suam sponte demiserit celsitudinem. Omnia Cæli astra suo, quo semper renident decore, numen summi Opificis deprædicent, qui talem ipsis fœneratur lucem. Exiliat item

[illegible]

A item novo terra cumulata gaudio, saliant quasi agni ardua montium juga, sentiant Filii Regis præsentiam, qui Terrigenas invisurus ad hæc ima descendit. Lætentur simul maria, quasque cingunt insulæ, communisque Domini adventu exhilarata triumphent, tum ejus admirentur bonitatem, quæ a cælesti domicilio eductum, ad sordidam regionem, humanæque naturæ exilium abduxit.

B Jam nemora & patulæ arbores sibi mutuò gratulentur frondium honorem, postquam hodie in triumphantium insignia transierunt. Quid? quod nec excludere fas est jumenta & animantes mutas ab ejus diei lætitia, quâ vectus asinæ pullo nostras ambit oras ille cælestium orbium Architectus. Tu verò cum primis adesto civitas David, quippe cui nulla C magis fausta dies effulserit unquam; magna scilicet habes inde voluptatis & lætitiæ argumenta, ubi rerum Dominus ad te venire parat; interim cæteris circum civitatibus officiosa recantat echo carmen puerorum, illas modulantium voces, *Benedictus qui venit*. Matth. 21. 9.

At quid inde futurum est? Vinea Dilecti natali avulsa solo in alienas migrabit terras, illic deserta & inculta, despe- D cta pedibusque proculcata cunctis gentibus fabula fiet: continuò superba illa turris, quæ puerorum hodie vocibus pulsata labare visa est, aliquando tandem vineæ sepe disjecta extirpatisque vitibus & ipsa corruet, urbisque Jerichuntinæ exemplum suo casu geminabit; nam & illa clangore tubarum concussa cecidit. Consentaneum quippe videbatur, ut vites longo senio fractæ exscinderentur, & aliæ E insererentur novis propagatæ surculis, ex vite Gentium in agro natâ resectis. Sic demum quum effœtam vineam depascerent agrestes feræ, eaque non uvas, sed quos ferunt labruscæ racemos, produceret, facti indignitate commotus Dominus, degeneres palmites flammis addixit, præcepitque nubibus, ne tempestivis in posterum pluviis illam irrigarent, dum inculta F ac deserta ad omnes proventus inepta redderetur. Idcirco non mirum, si divinus Prophetarum suspensus est imber, ac mysticus Videntium ros penitùs fuerit sublatus, fons Jacob & Israëlis rivi exaruerint.

Geminas Deus virgas sacro delibutas unguento abscidit ex agro Abrahami, periere regnum & sacerdotium Israëli. Ille diadematum Dispensator coronam tribui Juda datam abstulit, sustulitque prætorem, virum-

virumque verendo ſpectabilem ore, ſapientem ſimul & conſiliarium, Prophetam ac Ducem. Triſtis in luctu jacet Synagoga, illa feriarum amica, & quoniam feſtivum Filii Dei diem aſpernata eſt, ejus ipſe ſolennitates ſprevit & abjecit. Continuò defluxit Iſraelitarum gloria, & hodie inclyta quondam natio acerbo pudore ſuffuſa ſqualet, perque externarum gentium oras vagatur, qualis extorris & exul a fraterna cæde Cainus. Poſthæc domum Jacob multiplices undique quaſſarunt machinæ, dum qui ejus extruxerat mœnia Faber, angulorum ejus capita demoliri inſtituit. Jam inde ſuum Synagoga caſum inter gentes plangit, flebile illud reſumens carmen. *Adduxit mihi Deus luctum magnum; dereliquit me Dominus deſertam, & Dominus delevit me ex hæreditate ſua, reputavit me ſibi quaſi alienam, & quaſi viduam deſolatam.*

Bar. 4. 11. 19.

Interea dum illa ſuam queritur vicem, noſtram ipſi nobis gratulemur ſortem: Prophetarum cantibus juvat componere quaſi ſerta hymnos, carminaque fundere, quaſi viridi coma vernantes ramos, & lilia plenis dare manibus. Ad hunc ſcilicet triumphum nos hodierna lux provocat, & ad carpenda ex Prophetarum hortis poma invitat; horum quippe guſtus animum mirificè oblectat, & recreat. Huc ergo adeſte populi omnes, Dominoque triumphanti applaudite; æquum enimverò eſt, eum a vobis excipi feſtiva cum acclamatione, qui feſta veſtra coronat. Hic Jacob vitem & aſinæ pullum vobis exhibet, & David infantes & lactentes ad recinendas Domino laudes provocat. Tum Zacharias Hjeroſolymam ad gaudium & lætitiam appellat, & Eſajas Chriſti Diſcipulorum adventum, quem prædixerat futurum, præſentem oſtendit, dictaque priùs repetit: *Ecce ſuper montes pedes evangelizantium juſtitiam*. Nemo ſanè hìc non videt triumphalem hujuſmodi in urbem Hjeroſolymam ingreſſum, cum inuſitato occurſu acclamantium puerorum, magnum eſſe argumentum lætitiæ, ſed & Myſteriorum, & arcanorum ſenſuum plenum. Agmen ducunt pueri ſimplices & ingenui, in manibus olivarum ramos deferentes, divinum illud accinentes hoſanna; latus Magiſtri Diſcipulorum pia corona ſtipat, ornant Sanctitas, Regnum & Sacerdotium, pompam augent Prophetarum inprimis tubæ, quorum nemo hodie ſua non recinit de illo vaticinia, dumque Regem ſalutant, ei regalia munera offerunt odas & hymnos; diverſæ proinde reſonant

Gen. 49. 11. Pſ. 8. 3. Zach. 9. 9. Iſ. 52. 7.

[illegible]

A resonant voces, dum multas multisque coloribus descriptas ejus imagines referunt.

Hic ait, ille ipse est, quem prædixi in fine temporum venturum in terras, & cum hominibus conversaturum. Resumit alter, & hunc stantem, ait, vidi super scalam. Excipit alius: hic ipse est, qui mihi in Rubo in specie ignis apparuit; & alius: hic est clamat, quem miraculum nuncupavi, & potentem sæculorum. Hunc B egomet vidi, renunciat alius, Cælo delapsum in montis cacumine consedisse; meminique ad ejus conspectum increpuisse tonitrua, coruscasse fulgura, & horrendum quiddam resonuisse tubas. Quousque igitur subjicit alius, in luctu jacebis Sion? quin, posito mœrore, Deum tuum laudas? quin citharis cinarisque festiva venienti modularis carmina? Hic Racemum agnosco regerit alius, quem reli- C ctum iri prænunciabam finitâ vineæ Israeliticæ vindemiâ, talia dicentem assequitur alius, & hunc, ait, vaticinabar *expectationem Gentium* fore. Hoc scilicet gramen est, alius prædicat, quod è terra nullo ante gravidata semine oriturum prædixi: hæc utique est illa virga, alius reponit, quam de radice Jesse egressuram prænunciabam; & hoc est, addit alius, signum levandum D in nationibus. Sed & hunc ipsum, alius narrat, sibi præmonstratum sub specie agni tacentis, ipsum pastore tondente. Dicentem interpellat alius sciscitans, an illum agnoscat præsentem, cujus vultum videre desiderabant Gentes? Nunc repeto dicta subdit alius, ipse est Dominus, qui descendere mihi visus est, & super montium altitudinem ambulare. Alius admi- E randa ejus opera retexit, ecce, clamat, adest, qui vinctos resolvit, & contritos corde sanat. Alius ejus facta relegens, ejus percontatur nomen, quove vocabulo nuncupandus sit, quærit, qui ventum pugillo continet, & quî vocetur Filius ejus? Vultum agnosco, ait alius, ipse est, quem radici de terra sitiente progerminanti similem fore prædixi; recinit alius, quod ante cecinerat: illius nomen sole antiquius esse. F Puer iste hodie genitus est, alius renunciat, cui alter, imò antiquus dierum ipse est, estque primogenitus ante omnem creaturam. Recognosco, ait alius, quem olim conspexi alto muro insidentem, ipse est, quem Angelum appellavi, visusque mihi est Patris sui nuncia perferre; nec ego designabam quempiam ab isto diversum, subjicit alius, quando specie sciscitantis illa protuli, *verene Deus habitat cum hominibus*? cui alter respondet etiam hic est ipse Dominus Deus noster. Jero-

Bar. 3. 38. *Gen.* 28. 13. *Exod.* 3. 2. *Is.* 9. 6. *Ezech.* 1. 12. 11. 23. *Soph.* 3. 14. *Is.* 24. 13. *Gen.* 49. 10. *Is.* 53. 2. *Is.* 11. 1. *Is.* 5. 26. *Is.* 53. 7. *Is.* 62. 2. *Is.* 2. 2. *Is.* 51. 1. *Prov.* 30. 4. *Is.* 53. 2. *Is.* 9. 6. *Ps.* 2. 7. *Ps.* 71. 17. *Dan.* 7. 6. *Eccl.* 4. 17. *Amos* 7. 7. *II. Par.* 6. 18. *Deutr.* 6. 4.

A Jerosolymam alius jacentem excitat: *Surge*, ait, *illuminare*, *quia venit lumen tuum*, (Es. 60. 1.) cui accinit alter, *Exulta*, *filia Sion*, (52. 1.) *tuba cane*, *& clama Jerusalem*. *Orientis* vocabulo (Zach. 6. 12.) quidam illum nominat, alter *Stellam* (Num. 24. 17.) vocat, aliis alia placuere nomina; *Virgam* proinde appellarunt, & Israelis *Pastorem*, *Regem*, *Ducem*, *& Consiliarium*: (Es. 9. & 53.) *Agnum & holocausti Victimam*; *Lapidem sine manibus ex alta rupe abscissum*, (Dan. 2. 34.) *æquitatis pacisque Principem*. B Hunc ipsum alius nube vectum sibi visum fuisse renunciat; (Jer. 4. 13.) Cherubico alter insidentem currui, (Ezech. 10.) & alter in excelso solio sedentem in Templo sibi apparuisse narrat, ipsumque Templum extremâ paludamenti orâ complentem. (Es. 6.) Alia alii vates arcanis licet comprehensa notis sapienter prædicant. Testatur alter suis aliquando auribus insonuisse divini Patris vocem: C *Venite descendamus Babylonem, & habitatorum ejus linguam dividamus*. Aures meas, subdit alter, increpuit sævæ minantis clamor: *Tibi dicunt Nabuchodonosor*. (Dan. 4. 28.) Ego verò, subjicit alius, divinorum arcanorum olim designatus interpres, jussus fui isthæc Domini ad suum Unigenitum verba ad omnes divulgare: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. (Gen. 1. 26.) Alius Filii Dei descensum, symbolo cadentis sine sono pluviæ adumbratum sibi fuisse referebat, (Ps. 71. 6.) D & Mariam in nitido puroque vellere descriptam. Ejusdem item Filii Dei conceptionem, & nativitatem (Es. 7. 14.) alius aliis figuris se præsagiisse dicebat: imo & ejus itinera alius se designasse affirmabat, quando illa dicebat: *Rectas facite semitas Dei nostri*. (Es. 40. 3.)

Tales habuit Dominus laudum suarum buccinatores, quum Jerosolymam intraret, E hisque modis Prophetæ celebrarunt ejus ad Sionem adventum, quum velut ex condicto pueri, & Discipuli simul illuc convenissent curaturi, ut ejus ingressus pompæ plenus foret, ut illustris, ut splendidus, haberetque summam speciem ac dignitatem. Ut verò increbuit rumor, pepulitque aures Ecclesiæ Gentium, illa statim accurrit, Regumque Regem adoravit. F Quid interea fecerit Synagoga, si rogitas, audi: meretrix ex omnium scelerum colluvione nata, furere cœpit, tantum abfuit, ut Prophetis gaudere & exultare jubentibus obsequeretur. Magnitudinem Altissimi præsentis extimuit, exhorruitque sanctitatem impura, cujus omne tempus ad omnes libidines fuerat divulgatum: vilem corporis assumti habitum conspicata, contemsit personam: nec recognoscere studuit, vili pallio tectam naturæ

[illegible]

[illegible]

A turæ ejus gloriam in ejuſdem Divinitate reconditam ; nec enimverò Davidem attendit, quum occultam ejus publicaret amplitudinem, & hunc, quem illa modò præſentem habebat, *in ſplendoribus Sanctorum ex utero* ſubſtantiæ ingenitæ fuiſſe genitum aſſeveraret; eundemque licet nudo invectum jumento tunc cerneret, ante omne tempus ex Patre fuiſſe natum B penitus arcanâ & plane ſingulari naſcendi ratione, temporali verò nativitate nobis cognatum & congenerem factum, ſe omnium oculis obtuliſſe ſpectandum: *Juravit Dominus*, ait, *& non mentitur* (alloquitur autem dilectum Filium ſuum) *tu es unctus à Spiritu Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech*. Hiſce ſiquidem coloribus veram ejus depinxit imaginem in ſuis Pſalmis David, humanam ejus naturam perſpi- C cuè deſignans; de humana quippe natura talia commemorat, quam ille induit factus homo: in hac enim ei Sacerdotium decernebatur futuro Pontifici omnium ſæculorum, & regalis dignitas nullum penitùs habitura finem. *Tu es*, inquit, *Sacerdos in æternum*, *poteſtas tua in ſæculum*, *& regnum tuum in generationem*, *& progeniem*.

Ps. 109. 4.

Mirâ hujuſmodi formæ venuſtate nitentem, quæ ab occulta utique divinitate D manabat, filiæ Jeruſalem David repræſentavit auguſtam hujus Regis majeſtatem. Cæteri ſimul inſtabant Prophetæ, illam ei regerentes parænesim. *Audi*, *& vide*, *inclina aurem tuam*, tum animum tuum, ut pueros ſequaris cantantes: obliviſcere tuos, populique tui mores, gentiſque tuæ contumaciam exuito, *& concupiſcet Rex decorem tuum*, deque gloria tua nunquam non cogitabit. At illa Propheta- E rum voces contemſit, & Apoſtolorum repulit monita, nec puerorum & parvulorum cantibus perfida meretrix commota eſt. Poſtquam verò nec beneficio lætata eſt, nec beneficii Autorem laudavit, ingratam ille repudiavit; quum videlicet ipſa ſe deſpicabilem feciſſet, & criminoſam: confeſtim capiti amictum abſtulit, fronti pudorem, reliqua deinceps ornamenta, veſtes & murenulas, annulos & in- F aures ademit, proſtitutæque pudicitiæ convictam expulit: ecce autem nuda jacet, aperto capite, peſſimis ubique deſpicata modis.

Ps. 44. 11. 12.

Quò abiit, narra, ſi potes, eximia oris ſpecies, quæ te juvenem ornabat? Quomodo illa nuptiarum thalamique pompa evanuit? Siccine repentè florentiſſimus ille rerum ſtatus concidit, defluxitque regni majeſtas, & auguſta corruit domus,

domus, quam Rex Salomon magnificentiæ opulentiæque tuæ testem excitavit? Quod crimen, aut quæ culpa multatur tua, quòd sola deserta, undique afflicta jaces? Nullus jam tibi Sacerdos sacro fungitur ministerio; sublata jam sunt rationale præcipuum illud tui Pontificis ornamentum, pretiosa tunica purpureo stringenda baltheo, aureæ torques, byssinæ & coccineæ vestes, auroque nitentia tintinnabula & punica mala Sacerdotalis habitûs insignia, gemmarum ordines, & pretiosis ex lapidibus globi? Jam amissa doles mensam auream, eique superimpositos propositionis panes, propitiatoria thura, holocaustorum hostias, Arcam & huic inclusas lapideas tabulas, calices, & patinas. Abrogatas ecce videmus tuas solennitates & festos Noviluniorum dies, statasque tuorum sacrorum ceremonias. Tecum omnia communi luctu obruta jam cernis, postque ruinam tibi, natisque tuis perpetuos questus esse poscendos.

Scitare filia Jacob, quodnam fuerit crimen, quod tanto debuit vindicari supplicio? infame scortum, & exhausto pudore meretrix, Regem Regisque Filium graviter offendisti, alterum in deserto, Jerosolymis alterum. Patrem vitulo primum, deinde aliis monstris posthabuisti, Filium etiam latroni & sicario: natique tui spiritum Domini exacerbaverunt exteris commisti gentibus. Scilicet insanæ matris progenies insanire cœpit, simul ac sempiternam Trinitatem sprevit & ejuravit; Deos, quos fecit, amavit, malosque Dæmones coluit, fortunæ fana frequentavit, simulacra, quæ finxit, adoravit, honoravit Saturnum, quæ Verbum Patris nec flocci pendit, Chamos inanem Deum amplexa est, quæ probris & contumeliis Filii Dei majestatem violavit. Adonidem in oculis tulit, quæ Cæli Dominatorem infra lutum depressit. Veneris simulacrum cum pompa vehebat, quum Mundi Conditorem abjecisset. Idolo Baal mactatis hostiis litavit, Christum gens impura negavit & occidit. Noctuas & lemures domi adoravit, quæ postea publicè Filium Dei per fora alapis cecidit Cælum Terramque suis librantem ponderibus. Quis audivit talia, qualia acta sunt adversùs Salvatorem? *Propterea conteram vos, ait Dominus, & faciam vos in opprobrium magnum.* Sed & illa ex ore Prophetarum Israel audivit. *Ecce Cusæis similes vos estis, filii, qui transgressi estis legem meam, Cognovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe domini sui, populus autem meus non cognovit Deum suum, & Israel non*

Jer. 19. 11. 23. 40.

Is. 24. 5. 1. 3.

non intellexit. Si populus meus, ait, *cognovisset me, & Israel in viis meis ambulasset, adhuc modicum & adversarii ejus consumti fuissent, & super inimicos ejus convertissem manum meam. Tunc locutus est ad eum in indignatione sua magna, & in ira sua dissipavit eos, & implevit facies eorum ignominia. Et iratus est contra Jerusalem, & fecit eam desertam:* Jerosolymam item spectant illa Esajæ præsagia. *Sicut umbraculum in vinea, & sicut tugurium a custode relictum, dereliquit Dominus Jerusalem propter iniquitatem ejus. Et nisi Dominus exercituum reliquisset semen Synagogæ domus Israel in radice Jesse mox germinatura, quasi Sodoma essent, & Gomorrhæ similes fuissent.*

Ps. 80. 14. Ps. 82. 17. Es. 5. 6. Es. 1. 8. 9.

Nunc verò populus, qui omnibus actis gestisque suis Dei indignationem hucusque provocare non cessat, ambit petitque restitutionem in pristinum, & quasi pro merito præmium reposcit, queriturque hujus solutionem in tempus trahi. Prophetarum scripta volutat, sensa non explicat, jamque velut de eversæ reipublicæ restitutione certus, sibi gratulatur & plaudit: inde ingeminari sibi somniat, Jerosolymam fore instaurandam: idque enimverò vehementer desiderat, causam verò, ob quam illa fuerit eversa, Hebræa progenies necdum satis compertam habet: jactat ejus urbis gloriam, mirum in modum amplificandam fore, quomodo autem id transigendum sit, explicare non potest; quin & ejusdem famam totum pervasuram Orbem sibi persuasit, cujusnam autem virtute ducis tantum honorem adeptura sit, non explicat. *Salvatam* nominari Jerosolymam prædicat, a quo autem ei salus paranda sit, non exprimit, subditque delirans, eandem magnum nomen & splendorem habituram, quis autem, quave via talem conditurus sit civitatem, reticuit, quia de mente discessit: *Incrassatum* siquidem *est cor ejus, & Israel aggravavit aures suas*, ne audiat quæcumque scripta sunt. Ecce salutis nostrę Reparatore Jerosolymam intrante, clamat Prophetarum chorus: hic est, quem venturum tibi præsagiebamus, habes jam præsentem, & cernis; Asinæ pullo vectus te petit. Quid cunctaris? quin festina occurris, & illo solenni *Hosanna* salutem exoras, quinve crepantibus tympanis venientem excipis? Faceret, si saperet, atqui planè desipuit. Ut ergo rumor increbuit, ejusque aures pepulere voces ultro citroque discursantis turbæ, excanduit, puerosque clamantes compescere conata est; sed nec ille clamor puerorum singularis & unus erat; Apostoli nam-

Es. 35. 37. Deut. 23. 15. Zach. 7. 10.

namque suas ad eum cantum conjunxerant voces. Sic enim decebat, ut vetus, & novum Testamentum ad dignitatem Salvatoris sustinendam conspirarent, quum Prophetarum senatum parvuli repræsentarent, & Apostoli per se adessent. Unde simul etiam intelligeremus, Christi adventu geminum Prophetarum atque Apostolorum ordinem fuisse perfectum; quin & Autorem esse utriusque, qui ab utroque laudaretur.

Quid interim Judæi? non illi modò gemina rejecere Testamenta, sed & Patrem ignominiosè tractarunt, necarunt Filium, nulla causa necis extra invidiam fuit. Israelis populum ad celebrandas ejus hodie laudes invitat Propheta, cogitat ille vitam ei etiam adimere, jamque impotenti furore præceps facinus parat: *Cæli gloriam ejus enarrant*, sprevit Cælorum concentum Synagoga Judæorum. Filii Dei humilitatem admirabundus Orbis terrarum suspectat, Judæus nec advertit quidem; antiquarum figurarum præsagitiones eventus oculis expositus vanas non fuisse revincit, ille negat præteritis prædictionibus consequentia facta congruere; quamobrem ea, quæ prævisa fuere futura, jamque ad exitum perducta cernimus, ipse necdum inchoata pejerat; & quamquam manifestè liquet, adumbratas a Prophetis rerum futurarum imagines, Salvatoris nostri adventu perfectas fuisse universas, negat & pernegat Judæus, id esse verum asseverans, nihil hactenùs actum novi, sed omnia de Christo a Prophetis præsensa ac prævisa, in posterum rejecta latere, suis singula implenda temporibus. Quousque miseri, vos trahet hic error, nec tamen invitos? Prophetarum vaticinia ante oculos sunt, ad trutinam, agite, expendamus singula, inde patebit, utrùm sanctè & verè prædicta, vera & magna facta consecuta sint.

(Ps. 18. 1.)

Jacob filio suo Judæ ultimum amplexum, & suprema mandata daturus, sic præfatur; *Non auferetur a te sceptrum, nec a tua stirpe interpres, donec veniat Pastor, cujus est regnum, illum expectabunt Gentes*, tanquam prisci erroris expulsorem; *alligabit ad vitem pullum suum, & ad palmitem, fili mi, asinam suam*. Agedum Judæe, & quoniam nostræ non acquiescis sententiæ, hunc nobis solve nodum, ac si quidem sustinere potes, manere adhuc posteris Judæ regalia insignia, & apud eos hodie quoque florere divinorum arcanorum Interpretes, & vates futuri præsagos, fatendum utique erit, ea, quæ sacris consignata sunt tabulis, oracula, adhuc suspensa manere, nec

(Gen. 49. 10. 11.)

[illegible]

A nec porrò suum hactenus habuisse exitum; sin autem diffiteri non audes, Judæis ablatum fuisse sceptrum, atque apud eos audiri desiisse Prophetas, jam hinc suæ pudeat impudentiæ Judæos, qui nec sua hodie jactare somnia absistunt. Profectò si is, quem credimus salutis humanæ Reparatorem, pullo asinæ vectus non fuit, sicut Zacharias futurum prædixerat, nec ab infantibus & lactentibus laudatus B juxta Davidis vaticinium, ac si idem a Prophetis comminatam Ephraimitis regni sui ruinam effectam non dedit, & ne multa, si ea, quæ a Prophetis præsensa atque prædicta fuerunt, ejus adventu impleta non sunt, nemo mortalium, per me licet, credat promissum hunc esse Regem sine fine regnaturum.

Zach. 9. 9.
Ps. 8. 4.

Atenimverò si Christus omnia illa C ad exitum perduxit, & cuncta universim vaticinia & prædictiones exhausit, erubescere discat Judæus; tum verò maxime postquam Deum audivit illa suis popularibus severe denunciantem: *Vos non populus meus, & ego non ero vester Deus. Gentibus populus mutatus est, & longinqui propinquis successerunt. Dispersi te in gentibus, dicit Dominus ad Israel, & sine pretio vendidi te, nec addam redimere te,* D *quia commistus es inter Gentes, & didicisti opera earum. Ecce ego ejiciam te, & vocabo Gentes, & in Sion ponam lapidem probatum, lapidem offensionis, quicumque crediderit in nomine ejus, non confundetur, dicit Dominus.* Propheta pariter se vidisse, ait, Dominum stantem super murum adamantinum, in manu habentem lapidem adamantinum, eundemque simul audivisse E se sibi talia proloquentem: *Ecce ego ponam adamantem in medio populi mei Israel,* quibus plane consentiunt illa Davidis: *Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput ædificii.*

Os. 1. 10.
Jer. 9. 16.
Ps. 43. 13.
& 105. 35.
Es. 28. 16.
Amos 7. 7.
Zach. 3. 9.
Ps. 117. 22.

Hìc porrò, Judæe, observa, & ex collatione textuum disces, Jerosolymam a Domino reædificatam jam fuisse, ejusque muros fuisse refectos, & ejus habitatoribus pacem, & multa bona data fuisse. F *Recordatus est Dominus misericordiæ suæ,* ait Propheta, *& in multis miserationibus suscepit Jerusalem. Sicut filium consolatur mater sua, ut obliviscatur afflictionum suarum; sic consolatus est Dominus Jerusalem, dicens: In magna indignatione percussi te, & in miserationibus æternis suscipiam te. Pro opprobrio abjectionis tuæ & ignominia indignationis tuæ, attollam caput tuum inter Gentes, & magnificabo gloriam tuam, & decus tuum,* sed & in ea urbe, quam vocaverunt *infidelem, &* plenam

Es. 54. 8.
Es. 66. 13.
Es. 60. 10.
Ezech. 16.
Es. 61. 3.

plenam abominationum effundam Sanguinem meum, & auferam iniquitates, & peccata ejus. Quoniam orbata es Israele, *quem ego projeci a facie mea. Aperiam portas tuas in lætitia, & ingredientur ad te virtutes Gentium, & erunt in te populus electus: Et regnabit Dominus super Sion, & venient gentes plurimæ, & laudabunt eum in Jerusalem; Et sicut terra dat fructum suum, & sicut hortus profert germen suum; sic proferet Dominus justitiam suam coram universis gentibus: & dicent gentes in illa die: Ecce Deus noster Salvator: ecce Dominus in fortitudine veniet, & salvabit nos ab angustia. Nomine novo vocabunt te, quod os Domini imponet tibi. Dixit Sion amarè flens: dereliquit me Dominus, quia ad iracundiam provocavi eum: & Deus oblitus est mei, & ejecit me. Numquid obliviscetur mater, ut non misereatur dilecti sui? aut non blandietur, nec amplexabitur fructum amabilem, quem peperit? Et si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui in sæculum. Ecce in vola manus meæ descripsi excelsos muros tuos Jerusalem. Amodò remissa est iniquitas tua, humiliata statim exaltaberis. Ecce ego faciam omnes lapides tuos gemmas, & fundamenta tuá electa faciam lapidem Zapphirinum, & turres tuas faciam quasi Jaspidem eximium, atque portas tuas faciam ex lapide Crystallino, & murum excelsum tuum faciam ex lapidibus electis. Implebo, Jerusalem, interiora tua divitiis, & gazis ac thesauris, chalcedoniis & margaritis, & vitris & beryllis: & sardio implebo thalamos tuos, & auro electo ædes tuas. Filii tui omnes, & filiæ tuæ erunt docti a Deo, & multiplicabitur pax in turribus tuis, & justitia in plateis tuis: & in conspectu multarum gentium sanctificabo te, & in te habitabo. Ecce venient populi in lumine tuo, & gentes in splendore ortus tui. In honorem meum dedi te in populis, & in gloriam meam in gentibus. Ecce tetendi in te tabernaculum meum, & fixi in te clavos meos, ampliabo & dilatabo angulos tuos, & producam in te tentoria. mea Habitabo in te, & sanctificabor in te, & ero Deus tuus in æternum. Hic habitabo, quia concupivi eam, & pabulatoribus ejus benedicam. Et producam cornu ipsi David, & salus mea non auferetur ab ea.* Pro eo, quod commota est Jerusalem clamore puerorum, Ecclesia congregabit parvulos, & confitebuntur mihi in Hosannis suis; & quia convocavit infantes, ut me laudarent in plateis suis, adducam ad eam fortitudinem Gentium, & cantabunt mihi in Hosannis, & clamabit Jerusalem, & filii ejus: *Benedictus, qui venit, & qui venturus est: Hosanna in excelsis*, & imis

Margin references: Jer. 7. 15. — Es. 60. 11. — Es. 43. 20. 21. — Es. 61. 11. — Es. 62. 2. — Es. 49. 14. 15. — Es. 49. 16. — Es. 40. 2. — Es. 54. 11. 12. — Es. 54. 13. — Es. 60. 3. — Es. 43. 7. — Es. 54. 2. — Ezech. 37. 23. 26. — Ps. 131. 14.

[illegible]

[illegible]

imis Filio Altiſſimi Patris. Benedictus, qui ob nimiam caritatem, qua dilexit nos homines, pro noſtra ſalute ad hæc ima deſcendit. Benedictus Rex ille ditiſſimus, qui paupertatem adamavit, ut pauperes locupletaret. Benedictus, qui adventu ſuo ad exitum perduxit Prophetarum prædictiones, & vaticinia. Benedictus, qui Patris ſui donis, & inexhauſta munificentia Mundum implevit, & exhilaravit. Benedictus, cujus laudes in Hoſannis ora cecinere muta. Benedictus, cui parvuli canticum novum modulati ſunt. Benedictus Rex novus, cui noviter dato noviter editi novum canticum cantaverunt infantes. Benedictus, cui juncti Diſcipulis pueri balbutientes ſymphoniam conflarunt.

Quiſnam interim, Domine, factum non obſtupeſcat, ſecum reputans locum, ad quem tuus te dimiſit amor? Scilicet, quem Cherubicus currus in ſummis cum pavore ac tremore vehit, hujus in imis magnum & ſanctum numen vile jumentum portavit, poſtquam noſtras ille miſeratus ærumnas, ſe nobis ſociavit, ut pace factâ nos in ſublime proveheret. Quin inde tuam in nos profuſam beneficentiam enarret os meum? Id certè repoſcit hodiernus dies uſquequaque fauſtiſſimus; quidni tuas mea laudes moduletur lingua? hoc etiam congruit diei tuorum in nos beneficiorum ampliſſimo teſti. Quidni etiam gaudeam eo die, quo Mundus exultat: ſique ramos non præfert manus, lingua pios proferat hymnos, recinat lingua carmen, quod pueri majeſtatem tuam jumento vectam deducentes cantarunt, & juvet cum parvulis acclamare Filio David Hoſanna. Infantes perinde, ac ſi loquendi facultatem haberent integram, modulati ſunt in Hoſannis triumphale carmen, quod nemo Prophetarum ante cantaverat. Atenimverò quum pueri Filio Dei pleno ore canerent, ſtupidos tum fuiſſe ſenes oportuit, qui viſi ſunt nec illum animadvertiſſe præſentem, nec enim laudarunt.

Laudent te, Domine, cogitationes meæ, nec tamen, ut pueri rationis uſu carentes, ſed affectu & gravitate Diſcipulorum præſentium tuæ munificentiæ teſtium; illudque mihi impertire gaudium, parvulorum quale replevit corda, & ad illa tibi canenda carmina lætiſſima concitavit. Ita eſt, hodie Jeroſolymam ingreſſus eſt Dominus Regum urbem, regalem ipſe diſſimulans majeſtatem, humili vectus jumento, afflictum nempe genus noſtrum relevare volebat: idcirco etiam Angelorum choros ſublime illum ſanctum unâ cum Patre prædicantes dere-

dereliquit, nec humi a pueris & infantibus laudari recusavit. Sionem intravit Dominus asinæ pullo vectus, ingressum præsensit, prædixitque Zacharias, & populum ut venienti occurreret admonuit. *Ecce Rex tuus* ait, *ad te veniet justus, humilis nudo insidens jumento*. Nec verò ad alium refertur illud puerorum melos: Hosanna Filio David, Benedictus, qui venit, & qui venturus est, ipsi, & Patri, a quo missus est, laus tribuatur & gloria. Cælitum agmina magnitudinem ejus admirantur & clamant. Benedictus Dominus de loco suo, puerorum chori ramos olivarum præferentes urbem ingredienti præeunt, & Hosanna proclamantes, magnificâ illum prædicatione venerantur. O memorabilem diem, in quo omnium Conditor sæculorum prætulit ima summis, & alta Angelorum subsellia vilis jumenti dorso posthabuit! O admirandam Domini Prophetarum potentiam, qui illorum vaticiniis effectum præstitit, & auctoritatem vindicavit, pueros & simplices Discipulos præsentes humilitatis suæ testes, suarum etiam laudum statuit buccinatores: usque adeo parvuli sermonis humani adhuc ignari, Dominum pullo insidentem intuiti continere se nequiverunt, quominus in sinu matrum exultabundi in ejus laudes erumperent.

Alius tamen Solymitis sensus erat, populus humani sanguinis sitientissimus Dominum conspicatus eo, quem dixi, habitu & comitatu venientem stomachatus est; inutilem videlicet credidit Regem modestum, nihil excelsum, nihil non summissum præseferentem. Tu autem mirare, & lauda rerum Dominum ab omni fastu pompâque remotum, nec recusantem ad minima se submittere, ut sibi potius duxerit jumento vehi omnium vilissimo; Sionis contra vecordiam condemnato, quæ Regis sui voluntariam demissionem derisit, eundemque venientem exclusit: jam & illam vicissim condemnat supremus Cælitum ordo; fatetur enim se hujus Regis lucem sustinere non posse, nec sibi licuisse oculos aliquando in ejus vultum intendere; etsi nunc pueris, & Discipulis daretur eidem Hosanna solenne modulari carmen. Cherubim agmina numen ejus contremiscunt, jungique ad ejus currum in lucro deputant. Quid igitur isthuc est, quod pullum asinæ Discipuli magistro præparant, & ille sibi decorum putat vecturâ uti adeo vili? Omnem profectò vincit admirationem voluntaria submissio Regis nostri nobiscum conversantis. Quid enim hoc facto magis obstupescendum, quod igneos ille fugiens jugales,

[illegible]

A jugales, oblatum asinæ pullum admiserit, eoque vehi statuerit circum per loca urbis frequentissima; vel quod ille, quem tremunt in supremi Patris regia morantem Angeli, quos ignem urentem Conditor fecit, aures præbuerit infantibus piè canentibus Hosanna Filio David.

Israelitides feminæ Davidi futuro Regi tympanorum cantu applauserunt, quidni ergo Filio David pueri gratularentur, festivum B geminantes Hosanna, atque præsens turba vestes Regis Regum jumento substerneret? Equos ille recusavit & currus, ac vile jumentum delegit: tanti videlicet intererat, Zachariæ prædictionem impleri, a quo filia Sion ante audierat: *Ecce Rex tuus veniet sedens super pullum Filium subjugalis*. Lusit ante Dei Arcam Rex David, figura fuit: rem ipsam præstitere C pueri, quando Davidis Filio honoris causâ præeuntes cum vernantibus olivarum ramis solenne refudêre melos. Irrisit Michol Davidem ludentem, cantantes pueros increpuere sine corde senes; turbæ plaudenti suos invidi opposuere clamores, turbare volebant pium populi, ac Discipulorum concentum, atque præconia supprimere publicantium Regis Regum adventum in speciem despectum, atque ob D vilis jumenti vecturam etiam despicationem.

I. Reg. 18. 6. 7.

Zach. 9. 9.

II. Reg. 6. 14.

Ibid. v. 16. 20.

Interea verò, dum Rex suam ingreditur civitatem, ea cum pompa, quæ ipsum decebat, Synagoga sciscitabatur, *quis hic, vel cujas*? confertamque videns vulgi multitudinem cum vernantibus palmarum ramis ei occurrere, & plaudere, eâ specie & splendore offensa, pueros ad silentium redigere tentabat. Mirum sanè, acceden- E te rerum Domino, eamque præferente mansuetudinem, animique submissionem, Sionem aspidem illam mœchorum amicam veternum, quo premebatur, haudquaquam discussisse: magna proinde debetur laus illi, qui gentem superbam reliquit, populis proculcandam subjecit: quidni ergo a Judæis repulsus populo impuro sanctam Ecclesiam subrogaret? id certè jure factum F declarant præconia, quibuscum hodierno die ab eadem excipitur.

Huc adeste, precor, Prophetæ, quicumque referta habentes pectora, æterno sensu & mente isthæc facta prospexistis futura; videtis certe Regem, ab eâ, quam ei instruxistis viâ minime deflexisse: frontem attolle tu primus David, Nepotem agnoscis præsentem, qualem prænunciasti futurum? En pueri & lactentes festivis acclamationibus ei plaudunt; audis laudem illam,

illam, quam a Senioribus populi, ac Pharisæis corruptam, parvuli integram a veræ disciplinæ præceptoribus simpliciter hauserunt ? Pueros intuere tuæ sapientiæ alumnos ingenuè clamantes, Hosanna Filio David . Scilicet postquam Judæorum senatus Regi suo meritum triumphum negavit, senum errorem correxere innocentes & simplices parvuli, illumque solenni cum pompa Hosanna clamantes, deduxerunt. Somno satis usque datum, o fili Jesse, nostra jam conjungamus tripudia, tuque, si placet, tuam instrue citharam ad cantum , atque illum sanctæ Ecclesiæ gratissimum modulare carmen: *Obliviscere populum tuum , & domum patris tui, ut concupiscat Rex decorem tuum.* (Quia videlicet a filia Hebræorum rejectus fuerat, a filia Gentium excipiendus fuit.) Quàm dulce melos tua mihi fundit lyra! opidò quàm jucundè sonant voces citharæ tuæ , quæ simplices etiam pueros docuit , vocem ad hosce modos numerosque moderari ! Sionem ingressus David pulsabat citharam, puerisque prosequentibus præcentor factus, sacra præibat carmina; *Benedictus , qui venit in nomine Domini*, præcinebat David, succinebant pueri simplices, *Benedictus, qui venit, & qui venturus est*. Nec te , Zacharia Propheta , pigeat cum istis symphoniam componere, quandoquidem dies præsens præterita tua vaticinia vana non fuisse testatur, quod enim prædixeras jam impletum cernimus, Regis nempe Filium vectum Filio subjugalis . Sique tibi libet, prodire jube obviam sponso Synagogam suis infamem stupris, sique illa recuset, hortare, ut pueros mittat, qui venienti occurrant, solenne Hosanna cantantes.

Ps. 44. 11. 12.

Zach. 9. 9. 10.

Tu filia Jerusalem sancta , non ita , *quin exulta & lætare, quoniam ecce Rex tuus venit*; jubila, filia Sion hunc hodie receptura Filio subjugalis invectum: hic ipse certè est, qui equum ex Ephraim perdidit , & currum ex Israel , gentibus autem in eum credentibus, affert salutem & pacem. Tuque Jacob optime senex , tuum simul junge cantum laudaturus illum , qui tuarum benedictionum arcana effecta dedit, *ligans ad vitem asellum suum , & ad palmitem filium asinæ suæ.* Sed neque tibi, sancta Christi Ecclesia, hodie cessare licet, quin ergo trepida accurris sponsum exceptura venientem ? quinve pueris ejus laudes cantantibus te adjungis, & omnes gentes ad illum laudandum invitas ? Id enimverò tui officii est præstare in ea solennitate , in qua recolis pio adventu Salvatoris nostri, a prisca Gentium superstitione te fuisse liberatam .

Gen. 49. 11.

S. P. N.

[illegible]

A

SANCTI PATRIS NOSTRI

EPHRAEM SYRI

NECROSIMA,

Seu Funebres Canones.

CANONI.

B

MOrs natam ex multiplici corporis ægritudine pugnam dirimit, Justisque restituit pacem, & victores athletas coronat. Virtutem namque studiosè colentibus ab infantia incumbit bellum, gliscitque magis in dies, & ad ultimum usque senium eos fatigat, nec alius militiæ finis, quam vitæ fuit; adveniente siquidem reddendæ mercedis horâ, mors operarios, C velut sub occasum diei ad quietem reducit, tandiu duraturam, donec supremus vitæ mortisque Arbiter illos è tumulis, velut discusso sopore, excitet, & morti exemtos ad vitam traducat immortalem. Quamquam & Justi à nostra sequestrati consuetudine, ac nostris ab oculis conspectuque remoti, nobiscum agere non cessant, sed somno licet sopiti ferreo taceant, nos erudire pergunt; corpora namque ægritudo, quasi vestes detrivit, & absum- D sit, animas non item; illis extinctis, istæ permanent, suumque habitum conservant; nec prohibentur, quominus nobis præsentes fiant, & loquantur, ac suis præceptis & institutis nos ad pietatem informent. Animæ scilicet, permanente vitæ & rationis usurâ, voluptatis sedem obtinent, corpora condit humus, velut creditum sibi depositum aliquando tandem reddi- E tura. In nobis igitur hæret omnis dolor, qui Curatorem amisimus; nostrum tamen ille damnum suum deputat compendium, quandoquidem fœneratam pecuniam auctam in duplum recepit: idcirco minimè expavit, quod ei indicebatur iter.

In Funere Episcoporum

Mors illum simili, quâ olim Mosen, ornavit coronâ, & ex alto in portum invexit, vitæ mortalis ærumnis ereptum, & F molestâ cum ægro corpore luctâ defunctum. Vir mitissimus, & in hac parte Mosi comparandus, populum sibi commissum docuit & rexit: divinarum Scripturarum codicem ei pro columna ignis proposuit, & pro nube legem obtendit, quæ sacro rore simultates & odia extingueret. Sacratam Deo plebem ab inanium Deorum superstitione prius oppressam vindicavit, in hoc etiam Mosi comparabilis, qui populum suum fraudulenti Regis jugo sub- traxit.

traxit. Hic nos solicitat gravis cura, ignaros, qualem posthac simus habituri Pastorem. Hæc enimvero nos cogitatio acerbissimè cruciat, non quod navigium ad portum, Pater, appuleris, & vitâ defunctus, adeptus fueris coronam. Quidni enim tui desiderio vehementer angatur Ecclesia, cui fame laboranti Eliam restituisti provisorem, depulsâque annonæ caritate, errores & profanos cultus etiam sustulisti? Nunquam profectò non dolebit amissum Artificem, qui inchoatum a Paulo ædificium terminavit, idemque perfectum consummatumque puro suarum institutionum auro illuminavit; lugebit utique semper siccatum sacræ doctrinæ fontem, quem sensit usque suis plantariis mirificè salutarem, cujusve fluentis irrigatus ager earum frugum copiam exuberavit, quas rerum divinarum scientia afferre solet.

Ita certè gravis mœstitia & acerbus luctus viduam derelictam subitò occupavit, quum cogitaret tuis posthac institutionibus sibi carendum, tuamque conticuisse vocem, peccantibus, vitiorumque veterno oppressis datum divinitùs vecordiæ desidiæque remedium. Tuam posthac frustra opperitur videre dexteram suis obtensam filiis, eisque crucis signum imprimentem, unde omnis pendet nostræ salutis spes. Nil ergo mirum si templum ingredienti continuò suboriuntur lacrymæ, quod prohibetur te sedentem ad januam interioris adyti spectare, atque intueri vultum illum placidum & omni suavitate temperatum. Iterum ubi illuxit dies statis precibus vacatura, procurrit ad templum in spem reportandi tuarum benedictionum inde beneficium; sed postquam in conferta confluentis populi turba diù requisitum minimè reperit, tui jam certa obitus, dolore discruciatur, divellitur, opprimitur.

Enimvero quum omnes boni Pastoris partes erga gregem tuum impleveris, sibique tuis ille precibus salutem redditam fateatur, & mansuetissimum Mosen imitatus, Ecclesiam item moderato mitique regimine sine tumultu gubernaveris, illa utique non dubitat, quin pari, quo Moses, exitu tuis fueris defunctus laboribus; quare, ut dictum est, non tuâ angitur felicitate, sed quod tibi decedenti nemo hactenus suffectus est Apollo similis. Mors siquidem quum Mosen Israelitis abstulisset, eam jacturam suâ virtute compensavit successor Josue, & conceptum ex legislatoris obitu mœrorem omnino detersit; tum eò rem perduxit, ut nec salvatorem, nec ducem

[illegible]

[illegible]

cem populus adhuc desideraret. Quum autem Ecclesia tua alterum tui similem hactenus nacta non fuerit, non sine causa luget, qualis vidua tori consorte subitò destituta, quæ quidem, antequam trunco recisum reddatur caput, victu utitur duro, & amaro luctu divellitur, donec altero potiatur conjuge, qui res domesticas studiosè curet, suâque sapientiâ ejus dolori modum statuat & finem.

Interea quandiu hoc jactamur æstu, tuæ, precor, Pater, Ecclesiæ tuis succurre precibus, quas exauditum iri non dubito: nam & pro populo suo oravit Moses, ita & tu pro tuo grege precare, ut ei Josue similis rector obtingat; certè multo ante Ezechiæ tempora obierat David, ipsius nihilominus deprecatio periclitanti multo post Jerosolymæ subvênit, & Sennacheribi armis oppugnatam defendit. Sacerdotem te experti sumus Aaroni similem, & Sacerdotum Principem, qualem prædicamus Mosen: Joseph item Patriarchæ pudicitiam, & Eliæ zelum in te suspeximus, tum Davidis sanctimoniam, & Abrahæ integritatem & innocentiam, ideo nec temerè credimus, singulari te prærogativâ, qualis Jeremiæ concessa fuit, ex utero matris propter decorem tuum a Domino fuisse electum: illius certè Prophetæ vestigiis ingressus, ab adolescentia jugum Domini portasti, grave idem & leve, seu labores cogites, seu præmia. Illum interim supremum rectè factorum remuneratorem oramus, qui dum ageres nobiscum, egregiis factis rebusque præclarè gestis nomen tuum illustravit, ut in choro Justorum pro bene gesto pontificatu tibi coronam reddat.

Cæterùm etsi sanctæ animæ tuæ aspectu prohibemur, tuo te in corpore intuemur, & quasi in pixide odorato unguento plenâ etiam olfactu percipimus. At tu tui non immemor gregis, tuis ei succurrito precibus, eique salutem & incolumitatem exora, & præsta, ut frequens populus, qui ad tuam renovandam memoriam convênit, tuis adjutus precibus, felicitatis tuæ consortium obtineat, tibique in illa Beatorum sede sociatus illum laudet, qui te in eorum ordinem cooptavit.

CANON II.

In Funere Episcoporum.

ERit ne aliquis, cui jucundum & gratum non ſit, quòd Beatus iſte perveneritad palmam? At neminem fore puto, qui non vehementer doleat nobis ereptum poſt victoriam ducem, quem myſticum animarum noſtrarum habebamus ſalem. Sed quoniam definitum tranſmigrationis momentum perſtat ratum & immobile, veſtras, oro, cohibete lacrymas, potiùs contendite voces; amplum quippe laudationis argumentum ecce vobis exhibet pugil magnis certaminibus glorioſè defunctus: quapropter majoribus dignas ſubſelliis ſumite tibias, ſupremum vitæ mortiſque Arbitrum laudaturi, qui eum ſibi abſtulit, nobiſque ademtum in ſinu ſuorum Juſtorum collocavit. Socius, ò Beate, fuiſti Sanctorum, & hominibus abſolutæ perfectæque virtutis par, antiquorum Heroum exemplum, & conſummatæ ſanctimoniæ ac integritatis imago, quidni igitur illis adjunctus Beatorum ſedes obtineres? quidni tibi tuus Dominus ſempiternum domicilium attribueret? quidni juberet ob ſpretam in ipſo ætatis flore jugalis tori jucunditatem, in horto deliciarum illâ liquidâ & liberâ voluptate frui? Natalem ille tuum noverat unus, omnes ſenſere obitum, qui, ſecretis malis omnibus cumulatam bonorum complexionem tibi comparavit.

Jam nulla tibi ex corporis contagione moleſtia incumbit, jam obtines locum, ubi Beati ſempiterno ævo fruuntur. Supremi Domini iſta laus eſt, qui te hac felicitate beandum præſtituit. Hæc enimvero tuis ſemper obverſabatur oculis, ad hunc ſcopum ſtudioſè dirigebas omnem vitæ curſum, qui verò portum monſtravit, etiam tenere fecit. Talem verò exitum quis lugeat? imo quis non ſummopere gratum habeat, tibique tuam non gratuletur coronam, & ſummum rectè factorum Remuneratorem, qui te tali dignatus eſt honore, non laudet?

CANON III.

In Funere Episcoporum

QUI agitur nobis dies Juſtis ſolummodò jucundus accidit atque gratiſſimus, iis videlicet, qui immutabilem æternitatem cogitantes, commodum ad tam prolixum iter provident ſibi commeatum, & veſtes nuptiali convivio decentes præparant, eaque in promtu habere ſtudent. Quidni proinde, Pater, te Beatum dicamus,

A

[Syriac text illegible]

B

C

D

E

F

[illegible]

A mus, cui pro exhaustis laboribus reposita conditur merces, tum reddenda, quum sempiternum ævum inieris, & in statum immortalium, inque Beatorum sedes fueris translatus; expertus siquidem vix tractabile pondus a mortali manu impositum, ad suave Domini tui jugum profugisti; promissâ, precor, hunc felicitate beari, Domine, jubeto, ut ipse piè tibi decretas vigilias constanter exegit, & sponte B suscepta jejunia cum assiduo precandi labore sanctè conjunxit. Ita sanè locum huic in tuo accubito minimè negabis; nec enim adhuc lugere debet, qui dies noctesque lugendo transegit. Et quoniam ad Beatorum requiem se perventurum credidit, tu Domine quæso, prohibe malum, ne ab ea exclusus doleat, sua se spe fuisse deceptum. Et ipse quidem pulcherrimam ejus C felicitatis speciem quasi veritatis speculum oculis suis propositam semper habuit, obducto licet velo tectam, sed bene noverat, aliquando tandem sibi Angelorum cœtibus adscripto fore detegendam. Tuam ille justitiam, severam scelerum vindicem, velut actuum suorum testem perpetuò cogitabat, solitus idcirco suarum noxarum a se ipse pœnas exigere. Qui ergo tuum nunquam non extimuit judicium, hunc, precor, D tuo demum tribunali sistendum clementer absolve. Suetus per omne tempus suam in conspectu tuo effundere animam orando, perpetuo oculos addixerat fletui, & hæc quidem modò nobis ignota, lumine gloriæ tuæ in fine pandentur. Jejunium sibi indixerat duplex, sic, ut cibos ab ore, & a corde peccata removeret, ac temperantiam cum innocentia copularet: ne committas, oro, ut a convivii tui hilaritate E repellatur.

CANON IV.

In Funere Episcoporum

Mors nostras irrupit ædes, abscíditque corporis nostri membrum & abstulit. Dolori aliquis statuendus est modus, nullus lætitiæ de bono omnem excedente modum; tale nimirum credimus, ad quod F beatum hunc virum transtulit mors, exemtum enim vitæ fragilis ærumnis, voluptatis in æde locavit. Sacerdos fidelis caritate tuâ, quæ est plenitudo legis, floruit, & excelluit; tua, Domine precor, fidelis caritas clientis sui patrocinium suscipiat. Sed & quoniam longis jejuniis, & inopi victu effrænatam vim corporis debilitare studuit, precor, ei inviolabile robur infunde ad perpetuam lucem ituro. Conticuisse vides, o salutis Reparator nostræ, citha-

citharam, verba Spiritus sancti tuis ovibus resonantem; hanc, oro, tuo in convivio intermissos jube continuare sonos: obmutuit vocalis lyra legis interpres tuæ, mors abstulit vocem; hanc tu nostris flexus precibus, in ea, quam inhabitas, æde eidem restitue.

Quem tanto dignatus es honore, ut in loco sancto sacerdotali fungeretur ministerio, tuumque tuis ovibus propinaret Sanguinem, hunc, precor, tua jube purâ & divina jucunditate frui. Et quandoquidem ille languentem labantemque populum ad firmam in te fidem excitavit, & a falsis opinionibus deduxit, tua ipsum, quæso, fides defendat, tuaque veritas, instante tuæ manifestationis hora protegat. Obsecro Domine, os illud, quod Spiritus sancti hymnos cantare non destitit, piisque jejuniis & precationibus se incessanter exercuit, tui Regni consortem efficias, Justorumque choro ad concinendas laudes tuas adjungas. Omnium ab ævo Justorum spe erectus, concessos vitæ annos transegit, relevandis miserorum calamitatibus semper intentus; hunc, oro, Deus, placidus aspicias, & ad paratum Justis portum jubeas appellere. Sic precor, nostris faveas votis, ut te, Domine, semper laudare justum est, tuumque honorare Patrem, & sanctum adorare & exaltare Spiritum. Amen.

CANON V.

In Funere Episcoporum

SEnem videtis rebus in vita gestis venerabilem, castum moribus, pudore integrum, qui nulla impeditus cupiditate ab officio recessit: nihil unquam in vita deliquit; quo nemo fuit magis severus, mitior nemo, atque ab omni oris & oculorum contumacia remotior, quem nullus superbiæ æstus in susceptæ Ecclesiæ administratione rapuit in contrarium cursum. Ita sanè Mosi comparandum habetis virum, eâ ad propitiandum Deum gratiâ prædiditum, ut unus ipse ruinam reipublicæ impendentem suspendere, & avertere potuerit. Quid? quod & divinitus sibi fœneratam lucem, nostris etiam regionibus communicavit; ejus quippe virtutum splendor nostras etiam collustravit terras, & illustria ejus acta vice Discipulorum sidera fuerunt nostris accensa regionibus. Adeste igitur animis, magna de magno Sene dicenda sunt; nec enim decet cum imis summa confundere, aut mediocribus maxima componere. Enimvero quemadmodum nos lutum in iis,

[illegible]

A iis, quæ ad lævam pertinere dicuntur, & vitia sunt, omnes absolvimus numeros; sic ille, quæ ad dexteram contra referuntur, & virtutes sunt, altissimum & supremum gradum obtinuit. Hìc porrò, precor, quæsoque Deus, ut nos iis, quos ad dexteram tuam adstare jussurus es, digneris adjungere.

Næ ille egregiè fallitur, qui hujus beati viri gesta dicendo se credit assecu- B turum, aut propositæ laudationi vires habere pares. Morte sopitus ecce silet, ejus tamen silentium omnem Oratorum facundiam superat, nec mirum, quum ipsos custodes fugiat thesaurornm ejus notitia, adeo nostri Patris opes nemo numerare potest. Unus rerum inspector Deus suscepta & confecta ab eo bella spectavit, alterum quidem manifestum, quo Mundum vicit; C occultum alterum, quo ipse se fregit, animique pravos impetus repressit. Qui talem bellatori victoriam dedit, ipsum oro, mihi huic Victori coronam texere meditanti, orationem sufficiat parem. Sed enimvero nullum, ut arbitror, hìc petendum supplementum, ubi nullus quantumlibet disertus Orator victorem tot laudibus ornare potest, quot ipsum suamet coronat victoria, cujus magnitudinem so- D la triumphi gloria declarat. Dicta, vel dicenda factis rarò sunt paria, nec historici commentationes rerum veritatem semper exæquant.

Beatus Senex in omnibus vitæ partibus similis sibi, rectum & confirmatum sensum nunquam deposuit: quod ab initio sibi propositum habuit, precandi studium, ab eo nunquam recessit, in eodem E adeo infixus, ut nec mortis jam præsentis conspectus prohibere potuerit, quominus animam à corpore abeuntem sanctæ precaticnis hostia sequeretur. Vos autem, Carissimi, obsecro, ut pro me oretis; oratio namque multorum, si ex caritate fiat, admodùm efficax, & communes populi preces Dominum populi non mediocriter movent. At tu vicissim, Pater, id precor exorato mihi, ut gaudii con- F sors effectus tui, ei, qui te, beneficâ suâ voluntate, ista sorte beandum præstituit, laudis & gloriæ hymnos decantem.

CANON VI.

In Funere Episcoporum

QUin te hodie, Pater, beatum dicam, qui Eliam eremi gloriam æmulatus, adolescentiam in solitudine transegisti? Rursus magni imitator Mosis senectam mansuetudine & lenitate decorasti, & integram conservasti penitùsque inviolatam. Utrinque Deo magna profectò habenda gratia est, & quòd adolescentiam tuam custodivit, & quòd canitiem gloriosè coronavit. Filii Dei Discipulorum nihil possidentium exemplo doctus, terrenorum bonorum pauperrimus esse præoptasti; qua in re tantam cum Christo gratiam inivisti, ut gloriæ suæ vicissim te consortem habere statuerit. Davidis item dilectionem erga Jonathanem intuens, omnes homines perfectâ & sincerâ caritate complecti didicisti, suetus absentibus juxta atque præsentibus omnia christianæ caritatis officia exhibere. Quodve similiter apud justum Job idoneum visum fuit, tibi summo studio exequendum statuisti: idcirco & egenis victum subministrare solebas, & erigere afflictos. Luxuria corpori tuo nunquam imperavit, aut aliquam allevit maculam, nec turpis voluptas animi tui constantissimam continentiam labefecit. Quapropter Spiritus sanctus in mentem tuam se totus infudit, tuisque in membris habitavit, & Dominus, cui fideliter serviebas, tuo capiti coronam imposuit, adduxitque diem, qui te a labore ad requiem transtulit. Quidni ergo tuam, Pater, animam beatam prædicem omni in posterum metu vacaturam? qui enim infestus premebat hostis, fugit, fugæque dedecus ipse quidem tulit, victoriæ decus tibi congeminavit.

Atqui naturæ jura jubent, pios filios parentis funus solenni comploratione efferre; nam etsi gloriosus exitus illos lætificavit, haud leviter tamen afflixit, quòd ejus consuetudine sibi posthac carendum intelligunt. Humanus sermo, Pater, tuos persequi triumphos desperat; vicisti Diabolum, contrivisti laqueos ejus, nullæ in anteacta vita à pueritia ad extremam usque senectutem hæsere tibi ex corporis contagione labes, per omnem ætatem severus & continens omnes voluptatis illecebras superasti. Et juvenis quidem Patriarchæ Joseph in thalamo insigne factum æmulatus, ruentis luxuriæ & licentiæ vitæ incitamentis invictè restitisti ea virtute, quam tibi occultus in eo certamine adjutor

[illegible]

A adjutor suppeditabat. Laborum perinde patientissimus eandem benè vivendi rationem persecutus es, non vigiliæ, non longa jejunia, non assiduum precandi studium à proposito vitæ cursu te depulerunt. Eam morum integritatem servare studuisti, quæ omnibus Justis in primis placuit, & summam attulit gloriam. Spes, Caritas, & Fides, o beate, te usque ad tumulum individuæ comites secutæ sunt.

B Hodiernum ecce diem obitus tui reddidit Deus illustrem & gloriosum tuis de teterrimo hoste triumphis, ex hoc die tua per omnes annos recoletur memoria, honore pari, quali celebrantur illorum Justorum nomina, qui simili virtute claruerunt. Dominus, cui servisti, justus est, ingenuâ quippe naturæ suæ virtute talis est, nec tibi mercedem usquequaque in-

C tegram negare potest, qualem Operariis ad excolendam vineam conductis in Evangelio promisit. Stat ratum ac fixum ejusdem accubito esse potituros, qui Mundum & omnem ejus speciem despexerunt.

[illegible]

CANON VII.

[illegible]

In Funere Episcoporum

Quis dabit, carissimi, acerbissimo funeri næniam componere, & in tanto

D luctu lamentabile meditari carmen? aut ferreum cuinam pectus erit, ut conceptam ex hujus sanctissimi viri obitu ægritudinem sustineat; aut quibus cum questubus ejus efferendum sit funus? quum doloris magnitudo stuporem induxerit, sustuleritque fandi facultatem. Sicubi contingat, regem in castris morbo decedere, vel alto confossum vulnere in acie cadere, continuò

E dilabitur exercitus, & castra vacuata milite squalent, quid ergo hodierno die, suo extincto præsule, nostræ jam erit urbi statuendum? Ingens profecto iis, qui sapiunt, incubuit luctus, postquam talem mœnia nostra passa sunt labem, conciditque columna totius ædificii molem sustentans. Lampas ecce extincta est, quæ nobis ubique, & semper sua luce præibat viam; cecidit corona capitis nostri, quæ fratrum

F decorabat coronam: animarum nostrarum medicum supremus sustulit dies, ejusque myrothecam subvertit.

David Rex divino afflatus spiritu, canebat. *Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Quod si Deus justorum mortem singulari dignam honore dixit, quis nostro de grege peccator, (tales porrò sumus omnes) lacrymarum suarum obsequium deneget morti, quæ e medio armenti sui deripuit Pastorem? Christe, no-

Ps. 115. 5.

noſtras inſtaura ruinas, labefactatum hodie murum, quæſo, reficito, noſtra, precor, tuere caſtra, poſtquam noſtri ductor exercitûs in acie proſtratus occubuit; noſtrum mors immanis ad inſtar feræ gregem invaſit, oveſque præteriens, corripuit Paſtorem, & rapuit. Lugeant oves, Paſtores quoque magno animi dolore extinctam Paſtorum gloriam deplangant, & avulſum optimum a ſuo grege paſtorem. David Abnerem militum pro corporum ſalute dimicantium ducem, magno cum luctu funeravit, regemque plorantem ſecuti ejus familiares & ſervi, uberes profudêre lacrymas, quantò acerbiùs plorandum nobis & mœſta imo de pectore ducenda ſuſpiria, qui ſpirituum noſtrorum ductorem occubuiſſe cernimus?

II. Reg. 3. 32.

Notus ille Propheta ſui collegæ deceptor, ejuſdem letho ingemuit, violati licet præcepti pœnam hoc eſſe ſciret; cui ergo lugendus non ſit Sacerdotis interitus, quem munere ſuo ſanctiſſimè functum fuiſſe novit. Propheta ille ſuo ſodali & Collegæ ſuprema ſolvit, extinctum amarè deplorans ſcepelivit, eundemque ſibi optavit patronum, quapropter etiam animadverſionem & ipſe reus evaſit; videat quiſque ſuæ quomodo ſaluti conſulat. Joſephi oſſa munimenta fuere caſtrorum, venerabilis poteſtas, qua functus es, Pater, terras noſtras, precor, quaſi firmiſſimus murus cingat & protegat; urbibus & oppidis ſecuritatem mœnia afferunt, Chriſti Eccleſiæ ſanctorum Sacerdotum præſidio muniuntur. Nunc vero, quum vox tua, Pater, in conventu noſtro audiri deſierit, tuæ, quæſo, benedictiones nobis fluant uberiores, & quandoquidem conſpectus tuus noſtris oculis ademtus eſt, clara tui memoria animis infixa noſtris nunquam obliteretur. Orphanos nos, Pater, reliquiſti, tuam, oro, precationem præſta nobis eſſe matrem, ſitque adoranda Trinitas noſtræ præſidium ſalutis.

III. Reg. 13. 26. 29.

Tibi interim, Pater, ex animo hanc gratulamur gloriam, teque felicem ac fortunatum nunquam non prædicabimus, quòd naufragiis infames ſcopulos enavigaveris, tutumque appuleris portum, unde trucem pelagi faciem ſecurus tui intueris; tuam ſiquidem animam quaſi margaritam Chriſti regis diademati inſerendam in illud Beatorum regnum receptam fuiſſe minimè dubitamus. Quod noſtri officii eſt, recipimus nunquam non recolendam fore tui memoriam ſuper ſancto altari, cui caſtè & pie miniſtraſti. Pater, Filius & Spiritus ſanctus, Deus quem ſanctè confeſſus

[illegible]

A fessus es, tuo, Pater, spiritui quietam vitam, & ab omni cura vacuam, fructum, quem meruisti, retribuat.

[illegible]

CANON VIII.

In funere Episcoporum:

REM novam narro, Fratres, Ecclesia nostra ad felicem beati patris obitum vestem mutavit, atrata funus prosequitur. Quæ nobis infesta vis, inquit queribunda, sustulit afflictarum mentium consolatorem? aut quis violentus adversi flatûs B turbo lampadem nostram impulit, & extinxit? talibus excitæ questubus Ecclesiæ convenere propinquæ, dictis amicis solaturæ lugentis dolorem. Non te, Soror, angat optimi parentis excessus, sua illum comitantur præsidia, quæ sunt precum vestrarum suffragia. Equidem confido, fore C ut quemadmodum ille vigil & insomnis sua me administratione ornavit, (rector quippe fuit mitissimus & moderatus, meque sine fine dilexit,) sic suis me lætificaturus sit officiis. Sacra virgo es, perfecta tui præsulis imago, non est, cur ejus tumulum tuis urgeas lacrymis, & natos tuos conturbes, quin illum, qui ipsum elegit, laudare magis tibi consentaneum esse ducito. Notus ille plurimis fuit, ejusD que integerrimæ vitæ cursus sub multorum oculis versatus est, omnium porrò sensus est, nunquam fortè similem præsulem tibi aliquando obventurum. Euge ergo, patronum habere cœpisti, cujus patrocinio munita incolumitatem, atque securitatem tibi promittas. Mosen meritò prædicamus heroum maximum, justitiâ & mansuetudine præsertim insignem; vitam E tamen reliquit, mortemque gustavit & ipse: pœnæ communi tuum parentem haud fuisse exemtum, certè ægrè ferre non debes.

Affectus varii, & curæ tristes corripuere me statim, ut vidi coram positum cadaver filii & sponsi mei, & adeo graves, ut afflictam erigere nulla jam consolatio possit. Davidicos percurre Psalmos, incidet in limine apta dolori tuo mediciF na locus ille, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, quem quum legeris, lauda eum, qui suâ singulari providentiâ illos ad hanc sortem destinavit. Squalet ecce domus, Filios meos video intùs lacrymantes, & quis potis erit cohibere fletum: dulcis vita fugit, irrupit truculenta mors, meas desolavit ædes, meque viduam reliquit. Ad mortualem conjugis lectum accedam, permittite, antequam efferatur cadaver meisque subtrahatur oculis.

Ps. 115. 5.

lis. Minimè id abnuimus; at priùs veniat in mentem Moses, hujus exemplum te ad priſtinam animi æquitatem referre debet: ille mortuo Aaroni fratri ſiccis oculis tumulum compoſuit, vide, ut rectè factum imiteris, & pro lacrymis pſalmos Domino decantes. Mors id prohibet, quæ filiorum meorum gloriam abſtulit, mihique coronam detraxit, hoc ictu labefacta atque convulſa cecidi, tu, Domine, dolorem relevato meum.

Jeſus ſummi Patris Unigenitus rebus afflictis feret opem, confide, Sanctorum adſtat chorus pro ſalute tua ſupplicantium, ſupplices exoratus audiet Deus. Omnis vicinia caſum collacrymatur meum, nati mei orphani facti ſunt, & ego vidua; tua, Domine, clementia cauſæ patrocinetur meæ. Ohe deſolata conjux, tuus ſic affatur ſponſus, lethum noli flere meum: Etenim ſi te ſine liberis reliquiſſem, jure meum fortè querereris deceſſum, ſed quum domi habeas viros probitate & ſapientia claros, conſolatores jam deſiderare non debes. Oro, Domine Deus meus, ne deſeras me in viduitate mea, prohibe, quæſo, malum, ne videlicet nati mei domeſticis diſtracti ſeditionibus diſſipentur. Sublati præſulis ſuppleto vicem, populum miſeratus, qui a lacrymis ſibi temperare nequit, dum clericos in Odæo congregatos cernit, recolitque ipſorum occubuiſſe caput. Veniet olim dies ille, quando Cælitum agmina, & Angelorum chori ſua fundent tonitrua, tum verò tu, quæ nunc viduata luges, novo colluſtrata ſole, feſta inchoabis nullum habitura finem. Si ſic res eſt, faceſſat mors, & in antrum relegata ſuum contremiſcat; de ipſa nempe queror, quòd modò, ſubtracto ſtatumine, mei labaſcunt pedes. Tu, Domine, confido, mihi priſtinam animi æquitatem reſtitues.

CANON IX.

In funere Presbyterorum.

OBteſtor vos per Deum, ſodales & Fratres, ut quum in ſacro miniſterio contigerit conſiſtere pſallentium choros, mei memineritis: veſtra mihi oratio ſubveniat, oculiſque meis aſperſum tergat pulverem: tum iterum adſit e ſepulcro reſurgenti, verbaque ſuggerat, quibus mortuorum ſuſcitatori vitam mihi redditam gratari ſufficiam. Orietur, nullus dubito, Inferorum regionibus Sol Juſtitiæ, & offuſam mortis interjectu noctem diſpellet, meque excitabit è tumulo. Evigilabunt utique, quos mortis ſomnus

[illegible]

nus oppreſſit, & redivivi teſtabuntur acceptam à phoſphoro gratiam, ut qui fauſtiſſima ſua luce mœſtos exhilaraverit. Proh quantum imminet ignavo ſervo malum! qui inerti otio utilem laborem poſthabuerit, quod heu doleo à me commiſſum: quum venerit illa dies, in qua operarum conductor ſtipendia cuique juxta ejus opera rependet, juſtamque pro merito ſingulis mercedem ſolvet; mea, quæſo, Domine, ſuſcipe vota placatus eâ clementiâ, qua preces Latronis in Cruce pendentis ratas effeciſti.

Cunctis mortalibus tritam ecce viam ingredior iturus in regionem vivorum, in qua Juſtis præmia pro meritis redduntur, ubi te quoque, Pater, tuorum laborum mercedes manent; te, pie genitor, ſupplices oramus, ut nobis in eo termino conſtitutis, ubi de ſalute dimicandum erit, tutum ſub precum tuarum alas perfugium exhibeas. Ita, Pater, juſtis tui ſimilibus definitum ac certum eſſe locum credimus, ubi perpetuis pleniſque gaudiis beatam vitam ducunt nullo malorum interventu perturbatam, ubi metu ſolutus animus ab eventu non pendet, unde nullus reflantis fortunæ impetus, nullus deficientis naturæ labor, illum diſpellere poſſit, illic obſecro te, Fili regis, tuo me beari aſpectu jubeto.

Miſerum me, cui, quum bonorum operum vacua fluxerit ætas, nullæ hactenus comparatæ ſunt alæ, & quæ me levent in aëra, pennæ præſto non ſunt. Quid inter has anguſtias poſitus conſilii capiam, incertus hæreo, quandoquidem tempus inſtat, quo mihi ſuccenſi ignis pelagus trajiciendum erit? Quî potis ero ſupervolare flammarum vortices, aut immenſum tranare fretum? Piarum precum alæ aëre leviores, & Angelorum pennæ, quibuſcum conſueviſti, Pater, te ad ſummi cæli confinia comitabuntur, quò nec levis vapor cuncta licet infra torrentis ignis pertingere poſſit.

[illegible]

CANON X.

In funere Presbyterorum.

Vitæ ecce meæ ſupremus appetit dies, meaque defluxit ætas, jamque funeratores mei quaſi ſtrenui venatores approperato gradu appulêre. Certus itaque me hinc propediem abiturum, proindeque has, quas habeo ſedes deſerendas, & in loca mihi penitus ignota migrandum, mecum ipſe ſtatui doloris mei teſtamentum conſcribere, calamoque & atramento, quæ mihi dicenda ſunt, conſignare.

Juſtum

Justum namque est, hæredes partem sibi ex hæreditate obvenientem cernere: bona itaque meo mihi labore quæsita, & fœneratas mihi pecunias hæredibus suo singulis jure decernam; vereor namque, ne fœnerator improvisus me opprimat, repetatque sævus exactor traditæ pecuniæ rationes. Video itaque mihi minime cessandum, sed naviter & strenuè commissæ negotiationi insistendum, & animarum salutem, (hoc enim negotium mihi commissum est) sine cessatione curandam.

Appetit messis tempus, arista sum, in aream subire necesse est, vindemiæ venere dies, quasi racemus vinitoris incuriâ fortè hucusque relictus, & ipse colligendus sum, amicos idcircò obsecro & notos, ut pro me orent, eo, si placet, affectu, quo ego ipsos votis omnibus supplico obtestorque: equidem vehementer timeo, ne fortè illic lolium deprehendar, qui hìc triticum dicor, neve arguar labruscæ racemus, qui cum electis uvis cælestem bibi rorem, ne illic perferenda mihi lampas extinguatur, oleumque in mea lucernula desiderem, neve sordido involutus palliolo sistar invitus cœtibus divina luce coruscantibus. Actutùm e casa mihi ad breve tempus concessâ eò migrabo, unde remeandi nulla relinquitur spes, sic mihi desperatus est reditus, nec vos, carissimi, iterum revisam, nec vestro conspectu alloquiove fruar: vera etenim locutus est justus Job, tum quando in sterquilinio doloris positus, ajebat: *Qui descenderit ad Inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus, & donec atteratur Cœlum & terra, non resurget.* Tum verò dormientes expergefacti deferent lectulos, in quibus eorum jacuere corpora in regione silentum. Negotiator patrium solum relinquens, celerem sperat reditum, agricola post sementem præstolatur messem: mihi autem, Fratres, certum est, animam meam haud quaquam suum repetituram corpus, aut suis decorandã membris ante supremum diem omnium mortuorum restitutioni præstitutum.

Job. 7. 9. 10.

Equidem obitum haud molestè fero, nec mortem obire piget, quæ me a meis vitiis absolvit; utilis siquidem est peccatori approperatum lethum; profectum namque suum negligenti concessa longiora vivendi spatia, tristiorem è vita exitum parant. O quales gemitus ciebit morienti imminens mors, quæ fratres a fratribus dividit, amicos a sodalibus separat, parentes à natis, ab ovibus pastores, & ab auditoribus magistros. Vos ego præceptores

[illegible]

res & patres semper reveritus sum, & impense colui, & nunc supplico obtestorque, ut mei vos subeat memoria eo tempore, quo Sanctum dispensatur; nam etsi omnium mortalium deterrimus sim, Orthodoxam fidem, quam professus sum, inviolatam servavi. Lolium in agro ejus non seminavi, nec ullam Christi Regis nostri Evangelio aspersi maculam, neque aliquando de trino Numine dubitavi, aut impiam aliquam cogitationem suscepi adversus eum, qui me condidit & ornavit. Nunquam Patrem temerè pervestigavi, nec Filio unquam in corde meo detraxi, vel incidit mihi aliquando de Spiritu sancto ambigere: horum nempè trium nomina Patris scilicet, & Filii & Spiritus sancti in mente habui, cultuque pari complexus sum & adoravi. Quid enim? num cæcus, quo Solem vituperat, eo vilem reddit, aut deterit laudem excellentis atque præstantissimæ naturæ stultus tantæ majestatis scrutator? In sua cæcus orbitate se contineat, vitium oculorum esse intelligat suum monitorem, sua item protervo scrutatori confusio sufficiat, quòd Conditoris sui magnitudinem allatrasse dicatur.

Dixi. Post hæc vos, omnes adstantes, obsecro obtestorque, ut mihi a Deo veniam & pacem impetretis, eundemque mihi in imminente judicio propitium faciatis. Faveat, oro, ille votis meis, & eos, qui funus meum curaverint, seu mihi propter Sacerdotii prærogativam aliquem honorem operamve detulerint, ad sanctorum felicitatem pro sua bonitate mecum in fine perducat. Jamque iterùm oro vos, fratres, & amici, vosque omnes, qui Ecclesiam frequentatis, lacrymansque precor, perque Deum obtestor, qui me a vobis discedere jubet, ut, quum ad statas preces peragendas conveneritis, mei memoriam habeatis, Dominum obsecrantes, ut in die judicii misereatur mei, proque sua clementia mihi quæcumque coram eo admisi peccata, remittat.

Ecce autem Frater, quum tempus sit, tritam mortalium viam ingredere, neve porrò molestè feras, quòd te a nostro convictu separat mors, aliud ac longè præstantius domicilium tuus, qui te a nostro conspectu removet, Dominus parat in luce & in regione Justorum. Fratres & parentes tui vitâ pridem defuncti, te suo mox accensendum cœtui opperiuntur, respectantque suis locandum sedibus. Cæterum etsi apud nos in sacro

ſacro miniſterio os tuum nunc ſileat, in choris beatorum Spirituum certè non ſilet ; & licet quod fundere ſolebat ſuave melos , noſtris ſubtractum ſit conventibus, Superûm tamen adjunctum cœtibus ſymphoniam profectò canit longè jucundiorem . Et quamvis poſtquam a noſtro te abſtraxerit Dominus contubernio , tui quidem pedes ejus limina terere jam nequeunt , obtines tamen ſupernam illam ædem omnium bonorum complexione beatam . Quapropter vere dicimus , diem obitus tui mœrore ſimul & gaudio nos affeciſſe ; mœrore quidem , quo te a nobis ille ſeparaverit ; gaudio autem , quo ad lucidas Sanctorum ſedes tranſtulerit. Nec ſanè ſecus fieri poteſt , ut tui nos non angamur deſiderio , & doleamus abſentem , ac ſimul etiam gaudeamus , dum te Cælitum numero adſcriptum cogitamus . Rerum omnium Dominum interim oramus , ut te quidem cumulatâ bonorum omnium complexione Beatum efficiat , nos autem ſuo præſidio nunquam deſtituat , teque in ſupernam domum introducat , nos verò in ſancta Eccleſia ſtabiles conſervet Deus , cui debetur honor & gloria a vivis & mortuis . Etiam , Domine , juſtum eſt , ut omnes de te loquantur mentes , nullæque ætates de tuis laudibus conticeſcant .

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

CANON XI.

In funere Presbyterorum & Monachorum.

Portus eſt mors Juſtis ſuo perfunctis labore ſtatioque tranquilla , unde pericula amittendi quæſitas opes ſecuri proſpectant: quumque piè viventibus perpetuum ſit cum Diabolo bellum , mortem deputant laborum & militiæ finem . Enimvero , quorum anteactam vitam commendant pia divinarum Scripturarum lectio , vigiliæ , jejunia , & aſſiduum orandi ſtudium, iis profectò jucundiſſima accidit mors, ſomnuſque videtur ſuaviſſimus ; quapropter imperatam e corpore migrationem minimè perhorreſcunt ; quippe qui promiſſam poſt obitum operum mercedem præſtolantur . *Mors* tua , Pater , *pretioſa in conſpectu Domini* , tuus e corpore exceſſus gratiſſimus Superis eſt , cunctiſque Beatorum ſpirituum ordinibus admodum jucundus conſpectus convictuſque tuus . Mortem mortali naturæ tuæ cymbam eſſe puta , pontem , trajectum viamque minime ſale-

[illegible]

E [illegible]

F [illegible]

A ſalebroſam nullis tentationibus, morbiſve infeſtam: eadem tamen quò te a noſtro conventu ſeparavit, magnum luctum nobis attulit & dolorem acerbiſſimum, abſentes juxta atque præſentes perculit, torſitque vehementer amicos & familiares; quippe qui tuo ſe orbatos conſortio cernunt, & longum tibi indictum eſſe ſilentium. Heu quònam illa ſacri theſauri vena defluxit? quòve receptus ille ſuavis ſapientiæ fons B ſe condidit? quis illud os aureum obſtruxit talium aquarum ſcatebram? dulce melos citharæ tuæ conticuit, cantum dura mors abſtulit, & cantorem in regionem ſilentûm deportavit, ſublatoque fidicine, fides araneis veſtiendas reliquit. Lethifer æſtus hanc profluentem ſiccavit, lampadis hujus lumen extinxit inexorabilis mors, quæ furtim irrepſit, & oleum C ſubtraxit.

Venatores tui, Pater, acceleravere gradum, migrationiſque ſimul tibi appropeaverе diem, eripuere vitam, teque in ordinem mortuorum redegerunt. Ehu caſtrum eras magnarum dives opum, magnificum divinæ bonitatis opificium, quis muros tuos diruit? quis firmiſſimas portas perfregit, agrum feliciſſimum & amœniſſimum hortum quis ad hanc vaſtitatem & ſqua- D lorem adduxit, ſuppoſitoque igne, ejus ſepta cremavit? quis navim freta alta tranantem, ac ingentes gratiæ & ſapientiæ vehentem theſauros diripuit, ejuſque pulcherrimum inſtrumentum arenis alliſit? Portum ecce tutiſſimum fidamque ſtationem laborantibus nautis apertam decumani, morte ciente, fluctus ſubverterunt. Sertum multa arte contextum, & multiplici florum varietate illuminatum validam mor- E tis impreſſionem non tulit, diſcuſſum diſjectumque eſt, extabuit, & omnis ſpecies ejus evanuit.

Eheu quid accidit nobis miſeris! vitale flumen, quis tuum ſiccavit alveum? Talentum tanto cum fœnore receptum, quis nobis tuas deripuit opes? arbor pulcherrima, quis tua decuſſit poma nobiſque abſtulit? magnus ſapientiæ theſaurus, & F ſacrarum inſtitutionum bibliotheca, quis eruditionis tuæ fluenta oculis ſubduxit noſtris? columen fuiſti & decus Eccleſiæ noſtræ, Prophetarum tuba, præco Apoſtolorum, utriuſque teſtamenti oraculum, doctrinæ divinitus inſpiratæ interpres, naturæ in novam vitam rediturae nobis allegatus nuncius, felix agri noſtri cultor, diligens vineæ cuſtos, & noſtrorum proventuum amplificator, en quæ colebas arva, tuum queruntur interitum, & abſen-

tiam amarè flent. Vir bonus segregatus in Evangelium, qui nostrum habitantibus orbem, quasi novus lucifer exortus fueras, quis tuum extinxit lumen, tuorumque certaminum conatus elisit? Euge nunc optime & docte nauclere, qui hæreditarias opes & luculentum patrimonium conservasti constans & immotus adversus tumentes idolomaniæ fluctus. Jam Superi Inferique inter se certant, & accenso ex æmulatione studio contendunt, quo qui te ampliori honore afficiant, & utrique suo quique in ordine per triumphum te ducunt.

[illegible]

CANON XII.

In funere Presbyterorum & Diaconorum.

[illegible]

AUdivi mortuos quandoque redituros ad vitam, indeque perspexi suis eos in tumulis, nec semper, nec diu moraturos. Audivi rursum, fratres, animarum in propria corpora reversionem secuturum judicium. Talia prospiciens, alta enimverò duxi suspiria, & criminum scelerumque meorum conscius expavi, quoniam si in vitæ exitu condemnandus eram, mihi potius erat nunquam aspexisse lucem: sed etsi revocatus a corpore, tum igne probandus sum, quæ mihi salutis spes esse potest, qui fœnum me esse novi? Et si vitam hìc vivo miserrimam, & illic me manet formidabile judicium, quo meo bono in lucem eductus sum, aut quid mihi profuturus est ad illam reditus? Quid enim? si severus est Judex, num parcat nocenti? ac si ejus tortores robustissimi sunt, levia ne tormenta erunt? si gladios stringunt igneos, corpus utique &, animam occident. Si abdita atque retrusa manifestanda erunt, quis me proteget locus? si intimas cordis cogitationes discutit Judex, quis ejus conspectum feret? si oculorum idem examinat nutus, quis inter natos homines non erit nocens? & si hìc nemo integer, quis illic purus erit? & si inquirit in verba, quis non offendit in verbo?

Atqui si nihil illic clementiæ loci est, utinam e sinu matris nunquam prodiissem. Profectò si adolescentiæ meæ peccata vindicanda sunt, senectutis meæ pœnitentia nulla est. Si in tenebras abjiciar, quid tum me meæ juvabunt preces? Jam si mihi contingat, è sepulcro ad pœnam vocari, indeque apud inferos derelinqui, doctus parabolâ divitis & pauperis satis intelligo, eum in carcerem detrusis nec quantulamcumque humoris guttulam concedendam, quantam videlicet extrema minimi digiti pars capit, nec ad brevissimum oculo-

oculorum nictum, aut concessum avi ad explicandas alas momentum, laxandas fore damnatorum pœnas, nec ulli parcendum reo, quominus meritas dependat pœnas. Tartarum quis oculis subjiciat meis? si ejus tormenta absens non timeo, fortasse discam timere præsens? Aut quis mihi dabit cernere a longè iniquorum carcerem, ut tristi commotus aspectu, Jeremiæ planctum concipiam, scelerum memor meorum? Aut quis beatas Piorum sedes mihi describet, ut in ea cogitatione defixus, damna fleam mea, mecum revolvens, a quali quantoque bono me mea voluntas prohibuerit? Non inutiles, nec vanæ fortasse fluent hìc lacrymæ, illic namque nec preces, nec vota curabit Judex, nec gemitibus commotus remollescet, & remittet iram.

Cęterùm non unum est Gehennę pœnarum genus. Circumstant reos undique tortores, & alium quidem in lacum demittunt, aliũ triclinio exclusum in tenebricosum carcerem detrudunt: hunc scelerum conscientia exagitat, & illum vincula coërcent, alter torretur flammis, & alter ferreis manicis, & duro compede constringitur, alius immortali vermi arrodendus traditur, & alius in immensæ profunditatis baratrum præcipitatur: alium non suscipit Pater, & alium non confitetur Filius. Talibus ego si adjungendus sim, malè dispereant voluptates & opes, dignitates & honores, mihi tanti causa futura mali. Equidem si mihi compagibus corporis incluso vita ducenda est plena lacrymarum atque mœroris, inops, despecta, humilis; & hinc eductum excipiet terribile judicium, vermis, ignis, nox; sepulcri tenebras evasisse gratia non fuit, nec mortem cum vita commutare beneficium erit; supremus namque dies decretoriam feret sententiam; quidquid in eo judicio statutum fuerit, id ratum & immutabile constabit, nulla vi, nullâ regiâ etiam potestate infringendum: qui piis semel fulsit dies, nunquam contenebrabit, nec impiis semel offusa nox aliquando dissipabitur, nec illorum beatitudo minuetur, nec illorum mitigabitur luctus, nec illa felicitas deficiet, nec ista pœna finem habebit: lux justos excipiet, flamma nocentes: luxuriosos sitis, esuries, hisque mala graviora manent, piis Christi gratiâ esurientibus & sitientibus omnium bonorum copia & saturitas præparatur: in impios igneus acuitur gladius, piis corona lucis proceditur.

O qualem triumphi materiem supremus mundi dies a corporum restitutione

Piis dabit! quàm amplum ovandi gaudendique argumentum ſubminiſtrabit tempus, quo regalia dignitatis ſuæ inſignia aſſument, in quales erumpent voces, auditâ Judicis ſententiâ! quàm rapido ferentur volatu ad proviſa ſibique patentia amœniſſimi illius horti limina! quali rursùs exultabunt lætitiâ corpora reſumentes ſuis educta tumulis, Chriſti in primis Martyres, quantove dices eos gaudio triumphaturos, quando res ipſa loquetur, corporum tormenta in argumenta gloriæ ceſſiſſe. At contra quàm acerba reis ad lævam in judicio locandis accidet decretoria illa ſententia: *Diſcedite a me maledicti in ignem*, in gehennam, in tormentum! Ego verò, fratres, quid faciam, præſente illâ, quam ſemper extimui, horâ? In tartarum utique videor mihi protrudendus; nec enim circumſtantes lictores mihi permittent ad ſanctorum chorum profugere, nec iſtos inexorabilis Judex in mea cauſa deprecatores admittet. Quorſum evadam? num in propinquum Juſtorum agmen clanculum irrepam? facerem niſi adſtantes Angeli id prohiberent; quid igitur? num ad januam ſupplex conſiſtam? ſed ſat ſcio, eò appropiantem me inde protinus abigendum.

Matth. 25. 41.

Atenimverò dum hæc mecum ipſe revolvo, miſerum me exclamo, cui ſua omnia tunc maleficia objectabuntur; Angelis namque & hominibus occulta quæque & ſecreta tunc pandentur. Reus itaque convictus carceri perpetuo addicar pœnâ exercendus nullum habiturâ finem. Quoniam è corpore excedentem animam nullæ ſequentur opes; mors quippe rerum humanarum ultima linea eſt, idcirco quum ad ſepulcri limen ventum fuerit, omnia quantolibet labore parta dilabuntur. Viribus pollentes & divitiis cernis utique bene multos, neminem tamen ultra ſepulcrum: hucuſque facinoroſi excurrunt ſueti vivere rapto, nec hanc tranſcendere metam licebit indoctis doctiſve, præceptoribus, aut auditoribus, quin ſtatim eos excipiat ſtatera juſtitiæ ſingulorum exploratura rationes, atque tribunal neſciens graduum ac dignitatum diſcrimina: ſua proinde reges diademata ante fores deponent, ſuaque exuent magiſtratus inſignia; qui ante ſederunt judices, tunc ſtabunt, actore & Judice præſentibus, cauſam dicturi, quique nocentium immeriti tulere probrum, reſciſſo priore judicio gloriam rectè factorum fructum referent: quibus ante familiaris res copioſiſſima fuit, potus aquæ frigidæ negabitur; mendicis contra bono-

[illegible]

bonorum omnium copia suppeditabitur. Valentes opibus & imperio claros ignis involvet & atra nox; lucis contra Paradisus excipiet humiles ascetas; nituit ille quondam bysso & purpurâ, nunc mutatâ sorte torretur flammis; hic sacco olim sordebat, nunc regiis fulget insignibus.

Divisis hunc in modum sortibus, detrusi in Tartarum impii Pios conspicati præstitutum sibi regnum & Paradisi gloriam adeptos, mœstis ipsos vocibus fatigare non desinent, suis ingemiscentes malis, & horum quantulumcumque levamentum flagitantes: quemadmodum igitur dives ille Abrahamum sublato ab Inferis clamore rogasse fertur; orabunt indidem iniqui justos: nostram, dicent, miseremini vicem, nobisque quantulumcumque levamen impetrate, saltem ut ad momentum nostra mitigetur pœna. O voces saluti suæ desperantium, nullam afflictis allaturas consolationem! O preces intenso licet cum clamore, & profundo cum gemitu effusas, nullam tamen impetraturas opem! sunt namque discreta quibusque pro actuum suorum ratione supplicia vel præmia; nec enim justum est immeritos plectere, & criminosos impunitos dimittere, nec decet eâdem sententiâ innocentem involvere cum improbo, qui hunc fictis caussis oppressit.

Atqui si sic res est, dicite, Fratres, quis me hinc excedentem excipiet locus? quosve tum socios & contubernales sum habiturus? nam si me manent, quæ sceleratis & perfidis statuta sunt supplicia, & flagrans ignis, inanes ergo & inutiles fuere meæ mihi hostiæ & preces, nihilque meis profeci concionibus, nec me soluta statarum horarum pensa juvabunt. Ne me, quæso, Domine, cum impiis constituas, sed contra qui te piè confessus sum, tu me vicissim confitere; neque me ad lævam tuam abigas, qui Diabolum fugi. Æquus es, ne, precor, meam in flammis doleam vicem lamentis, gemitu, mœstoque ululatu, qui tibi nunc pia verba & gratum fundo melos, neque suis in tenebris vociferantem audiat me Tartarus, qui statâ horâ nocturnos tibi decanto Psalmos: Justus es, ne me, obsecro, confundas cum rectæ fidei hostibus, quem ex severa Ascetarum disciplina rerum divinarum studio vacare non piguit. Neque me tuæ mortis auctoribus accenseas, qui Cru-

Crucem dixi præsidium & perfugium meum. Peccatorem me esse fateor, quia tu solus sine peccato es: quisquis corporis expers non est, nec item culpâ vacat, alioquin nec tu Corpus induisses. Parce corpori, parce animæ quoque, quandoquidem corpus tuum corpori nostro immiscuisti, & spiritum tuum spiritui nostro infudisti. Baptisma tuum nostra retinent membra, Corpus tuum vitæ origo nostræ in nobis manet; in nobis, Domine, pars magna tui est, ne nos partem sui habeat ignis, precor; gratiâ tuâ miserente, quidquid reos nos facit, umbra fit.

Tuum est sine provocatione judicium, supremum est tribunal tuum, nec licet tuâ damnatum sententiâ alium appellare judicem. Si quis ficto crimine se oppressum queritur, rescindi judicatum a Principe postulat, sique salutarem ab eo referat sententiam, evasit & causam obtinuit: quem Deus absolvit, huic humanum judicium nil officit. Ultimum porrò judicium erit simile primo, illi, inquam, in quo dimittitur protoplastus reus, scelerisque pœnam terra maledicta luit, illi ignoscitur, plectitur ista. Non hoc novum, quòd Diabolus ejusque satellites damnantur ad ignem, & homines gratiâ & misericordiâ digni deputantur. Diabolo ille rogus præstructus est ab initio, ex quo tempore manare cœpit homini peccanti misericordia, atque ad supremum usque diem fluet. Mitis es, Domine, & valde misericors, ne, quæso, desinas esse talis, qualem te tuus prædicavit Filius, quando tibi proprium & verum discrevit nomen, teque solum *Bonum* nuncupandum edixit: ratam, precor, habeto Filii tui sententiam, neve committas, ut tuum istuc cognomentum occultum passim ignoretur. Tuum est, Domine, egentium miserari conditionem, & peccantibus ignoscere: quin ergo supprimis criminum nostrorum notam, & scelerum nostrorum memoriam obliteras? Num confundes manum, quæ sanctum Corpus tuum participavit cum manu militis, qui impertitâ sibi a te dexterâ, tibi alapam inflixit? Num os, quod te manducavit, illius ori conjungas, a quo derisus & consputus fuisti, & ambo pari affecti supplicio frement?

Cæterùm si statutum est, nos semel è nihilo eductos, in nihilum nunquam reverti, persuasum tamen nobis est, nos huc aunquam redituros; noster

A nofter enim ex hac luce abitus futuri reditus fpem omnem, & in omne tempus abfcidit. Reftat igitur, ut nifi noftra hîc mora ufque ad abfolutam perfectamque pœnitentiam protrahatur, tu, Domine, quod debemus tibi de tuo ipfe dependas. Ne, quæfo, tuos cultores cum inanium Deorum adoratoribus confundas, fed è tumulo prodeuntes tua nos excipiat clementia. B Talia me diu noctuque meditantem rerum meliorum expectatione fuftenta, Deus meus, refugium meum; neve committas, o magnus judicum Judex, ut a judicio tuo triftis demifsâ fronte recedam. Ne me, precor, illudat Gehenna, nec mea involet in membra. Converte me, ut convertar ad te, & cognofcam te, ad te confugiam, atque indulgentiam obtineam, C tuâque miferante clementiâ Inferni pœnas evadam.

CANON XIII.

In funere Diaconorum

EN videtis abfciffum è corpore noftro membrum, atque a turbido ac turbulento domicilio ad tranquillam lucis æternæ ftationem translatum: noftrum eft, qui rectè fapimus, orare Deum, D ut cui deceffum imperavit, mitem eidem & mifericordem fe præbeat. Vir modeftus ac temperans mores ad virtutis normam exegit, animo utens optimo: placidus & mifericors nullâ in fratres malevolentiâ fuffundi vifus eft; hunc, oro Domine, jube in triclinio tuo beatè agere. Cujus oculi ad tua excubantes limina, noctes traduxere infomnes, & uberes orando profudêre lacrymas, E præteritæ vitæ noxas fibi dimitti rogantes, hos, precor, à tuo confpectu nunquam prohibeas; fed quem juffifti in Sanctuario tuo facris fungi minifteriis, tuumque Corpus, tuumque Sanguinem gregi tuo porrigere, ipfum ad communem cum tuis agnis paftum vocari, quæfo, jubeto.

Qui fe planè benignum, facilem, & blandum fratribus præbuit, & eximiâ F in peregrinos & advenas caritate excelluit, hunc ne tua caritas à carorum tuorum confortio excludet? Quem fapientiæ tuæ præcepta legere magnoperè delectavit, & pios de te fermones audire fumma voluptas fuit, huic ne beatæ refurrectionis tubam audire negabis? Siccine Sapientiæ tuæ divitiarum perpetuum admiratorem, qui à fancti Spiritus tui præceptionibus didicit, animi corporifque puritatem tueri, à Sanctorum tuorum

rum choro repelles ? vel planè potiùs deliciarum contemtorem , & inertis otii osorem tuo exceptum triclinio , tuâ item luce frui cum Justis tui amantibus decernes .

CANON XIV.

In Funere Monachorum.

SIT Deo gratia , qui ob suam in dilectos suos caritatem ad immortalis vitæ convivium eosdem invitavit ; quorum proinde post vestigia quum aliquando cogitationes curæque meæ per semitas mortis provectæ fuissent, rem visu mirabilem vidi , impressum singulis immortalis vitæ præsagium . Nostræ siquidem Reparator salutis sibi obtemperantibus fidem reddendæ immortalitatis dedit , datamque fidem secuta , descendit illius gratia , & in ipsis conquievit. Fidem , inquam, dedit , & ex parte præstitit, priusquam omne, quod pollicebatur, exhiberet ; promisso vim quandam conjunxit , quæ illicò eos in sacros transformavit fontes , unde cunctis mortalibus in posterum vita manaret ; postquam enim gratiæ suæ donis illos ad societatem Sanctorum transtulit , hausitque Orbis terrarum profluentem ex ipsorum gestis suavem liquorem, continuò rerum Dominus cælestis Regni inter mortales constituit politiam , & in hominibus imaginem quandam Angelorum adumbravit . Angelorum enimverò regimen sancti Dei homines induxerunt in Ecclesiam , & ad terrigenas Cælitum mores traduxerunt , correxere pravas , quæ ex proprii Corporis contagio oriebantur affectiones, & laborum patientiâ domuerunt, suaque membra in vasa sanctitatis conversa , sui Conditoris consecravere voluntati . Interiores verò animi facultates in contemplationem curamque rerum divinarum conjecerunt , studueruntque animum a quovis alio negotio feriatum, rerum omnium Moderatori talem præparare , ut ipsum delectaret inibi velut in sua sede morari .

Quidnam hìc magis mirabitur , qui mentis & rationis compos admiranda mirari potest , vel quis hominem dabit eâ dicendi facultate pollentem , ut quod jure miratur , pro dignitate eloquatur ? Et sanè quidnam majorem nobis admirationem creare debet ? an singularis in servos suos Dei bonitas , an invictum animi robur eorum , qui limo concreta corpora in vasa sancta mutare potuerunt ?

A runt ? quam tamen jure sibi primam vindicat divina in suos caritas laudem & gloriam ipsi tribuamus, ut omnes in omnibus ejus testemur majestatem.

Ad sanctorum contubernium, hominum causâ, ejus gratia descendit, quò collata suis servis beneficia, faceret communia universis. Quamobrem sancti Dei homines divinorum consiliorum conscii, B ejusdem caritatem per vitæ præstantioris calles deducentem secuti, ad promissa bona per objectas ex corporis contagione difficultates sibi enitendum statuerunt, quod ut ad effectum perducerent, illud etiam fixum animo habuere, justitiam colere, servare ordinem, & quæ sui officii essent, explere; sic demùm veræ pietatis ope in portum invecti, mutatâ ibi- C dem conditione, vitam oppidò quàm tranquillam adepti sunt.

Istorum ego progressus sedulo mecum animo revolvens, intellexi tandem, quampridem occidisse mortem, rediitque in mentem illud in eandem jactatum cavillum: *O Mors, ubi est morsus tuus*, tu, quæ corpora quæque rapere & vorare solebas: ecce autem nomen tuum ipsis etiam mortalibus memoriâ excidit. D Quale porrò dices ab ea responsum te laturum fuisse, qui hoc illam scommate perstringeres. Valete mortales, eam dicturam fuisse imaginor, concidit regni mei status, cuncta periere mihi: Adæ peccatum sibi posterisque me peperit malum, regnavi usque dum mortalium natura noxâ liberaretur, & restitueretur in pristinum, quo peracto, mors fui & E esse jam desii. Hæc, & hujusmodi a morte fuisse reponenda mecum cogito, tacente tamen; nec enim seu sermonis, seu silentii compotem esse dico. Mors audiri cœpit, postquam capitalis sententia in naturam lapsam lata fuit, illa rescissa est, postquam ista restituta fuit, gradu reposita pristino. Quo autem Dominus rerum mortem mortalibus intimavit & intulit, generi videlicet nostro cau- F tum voluit, ne quis in posterum auderet legem infringere.

Vitam per hunc modum æviternæ similem nactus homo, incredibili ejus amore exarsit, suscepitque contra mortem irreconciliabile odium, ejusmodi porrò odium, & amorem ille homini dedit, tanquam corporis custodes, qui dederat vitam, quo videlicet præsidio acceptum vivendi beneficium a contrariis quibuscumque tueretur; ut autem amor vitæ ad con-

consulendum ejusdem incolumitati ipsum solicitat; sic meminisse jubet, quantùm debeat muneris hujus largitori; mortis profectò metus depravatum ejus ingenium a noxa cohibet, dum in mentem reducit, hinc ei ingens fluxisse malum, rei videlicet sibi carissimæ jacturam.

Istuc scilicet præstantissimæ mentis consilio dispositum est, eâque statutum potestate, cujus nutu omnia administrantur, ut ærumnas vitæ præsentis experti, mox secuturæ donum pro sua præstantia æstimaremus. Vitam ille dedit immortalem, quam interjecta mors ad tempus interrumpit: mors quidem dicitur, quies tamen est & somnus brevis, eo ordine ab illo dispositus, ut hoc qualecumque interstitium vita perennis exciperet, & temporali servitio libertas æterna succederet: vitam cum vita ita commutavit, ut mortem inter utramque collocaret, indeque vitæ usura præsens ex præteritorum laborum ærumnarumque recordatione fieret jucundissima. Sic summus ille rerum Constitutor operum suorum cursus exitusque sapientissimè gubernabat, ut per ea, quæ gerebantur, quibusque de genere nostro ille optimè merebatur, ad sui nos cognitionem adduceret: mortis formidine malos frænavit, ne ab honesto discederent; peccatum & mortem tandem etiam sustulit, & genus humanum ab utriusque tyrannide liberavit.

Porrò restitutæ generi nostro libertatis & vitæ documenta in corporibus sanctorum nobis in terris proposita, ævum adhuc illud sempiternum plenissimæ felicitatis otio exaggerat & absolvit; absunt siquidem a Sanctorum sedibus lacrymæ & gemitus; omnes quippe dolores procul arcent concentus, quibus illæ resonant, & gaudia nullum habitura finem. Justi namque ut in mortis portum appulere, statim resedisse vident excitatos a corporis contagione motus, seque brevi trajectu ad cernendam promissam regni cælestis hæreditatem transvolasse: quamquam ipsum hoc regnum adhuc post obitum filiorum lucis in ipsorum reliquiis quodammodo perseverat, id videlicet testatur liquor credentibus inde scaturiens. Scilicet intemerata fides, quam Justi in suis membris prodiderunt, ex eorum tumulis per singula momenta se pandit, & vera caritas, quâ in proprio corpore exhibuerunt, quum viverent, eadem nunc ad hominum utilitatem se fundit. Fons vitæ facta sunt Justorum quiescentium corpora: mirabiles cujuslibet morbi

A morbi curationes ubique gentium ab iis factas prædicat Orbis univerſus.

Jam ſi hæc mirabilia præſtant Juſtorum inanima corpora, qualem putamus vim & dignitatem adeptura, quum ſupremo mundi die proprio ſpiritu iterum animata reviviſcent. Laus proinde illi & gloria tribuatur, cujus caritate confirmati ſancti Dei homines, corporeas affectiones ſubjugarunt, iiſquè debellatis, **B** in beatæ vitæ portum invecti, ſuſceptæ navigationis curſum felici exitu coronarunt. Rursùs ei habeantur gratiæ, qui vivis contulit gratiam, ut juſtitiam colerent, & mortuis poteſtatem, qua cæteris mortalibus prodeſſent. Mirare tantæ majeſtatis inexhauſtam bonitatem noſtræ naturæ profuſam, quæ nos morti pridem addictos ad novum vitæ genus ex- **C** tulit, & amplitudinis ſuæ vim numenque vivis in mortuis oſtendit, atque utroſque ad gratiæ ſuæ familiaritatem iuvitat: cunctis illa impertit vitam, & caritatis ſuæ magnitudinem omnibus declarat, etſi beneficiorum ejus copiam mentes, quas ipſa condidit, minime comprehendant. Pium iterùm generis noſtri Reſtitutorem admiremur, & amplificemus, qui vivis quantumlibet imme- **D** rentibus vitam conſervat, & mortuos a cinere ſuo revocat, & immortalitate donat, cunctaque ordinat, inſtaurat & gubernat; qui univerſo generi noſtro ineluctabilem conſiliorum ſuorum vim in vivis & in mortuis prodit, qui extinctorum ſervorum ſuorum memoriam magnificat, adeo extingui non patitur.

E

CANON XV.

In Funere Monachorum.

O Quàm acerba nobis tua, frater, accidit mors, quàm grave auribus nuncium, quàm triſte & lacrymabile ſpectaculum oculis! Ecce autem dum ærumnoſum anteactæ vitæ curſum & præſentem beatæ mortis exitum intuemur, animis contrario æſtu diſtrahimur. Quantùm enim tuus obitus nos perturbavit, tantùm læ- **F** tificare debet tuus de proſtrato hoſte triumphus. At vero quibus argumentis populus ad tui funeris pompam excitus comprimere ſe queat; nec enimverò poteſt, ſed cogitur inter gemitus & lacrymas talibus ſua damna querelis utcumque ſolari. O cæleſtem Negotiatorem, ait lacrymans, qui dum nobiſcum verſaretur, animum a rerum caducarum ſtudio ad vera lucra convertit, & hinc tandem bene opulentus diſceſſit, ad Beatorum

torum ſemperque viventium regionem profecturus. Sed non te ſanè ſicut cæteros, dura mors nobis abſtulit invitum, ille, cujus poteſtas Superos & Inferos continet, mortem, quæ omnes ſibi ſubegit mortales, cum imperio legavit, juſſitque de medio populi noſtri te deripere, commodatum ei ſpeculum, quo conſulto diſceret ſua corrigere vitia, & ad juſtitiam, pulcherrimum animi ornamentum quærendam inflammaretur. Improviſa mors lucem extinxit, eripuitque nobis diem, teque tuus Dominus a noſtro convictu avulſit; quocirca tibi potiùs beatum otium gratulamur; quid enim? num tua nos felicitas offendat, qui non ignoramus, mortem tibi meliorem multò, quam qui in vita fuit, attuliſſe ſtatum? Noſtra magis querimur damna, quòd repentè nobis ereptus fuerit ſolertiſſimus Proviſor, & ad ferendam noſtris miſeriis & calamitatibus opem paratus.

Et ſanè quidni te beatum prædicemus, qui vigiliis & jejuniis, perpetuoque precandi ſtudio hoſtem proſtraſti, & coronam adeptus es, cæleſtibus mox ſedibus locandus, & regalibus ornandus inſignibus? Vera ſiquidem & certa narramus, ſi te prædicamus virum plenè ſanctum, & cum viris perfectæ cumulatæque virtutis comparandum cenſemus; quippe qui inter æquales, morum tuorum integritate, velut inſigne aſtrum fulſiſti, quique animo excelſo & alto Chriſti operariorum exhauſiſti labores, inter ſpectatæ probitatis aſcetas integerrimus, adeo ut jure merito affirmemus in te uno collectas multorum Sanctorum virtutes, Samuelis conſtantiam, Eliæ caducarum rerum deſpicentiam, Eliſei modeſtiam, Mathatiæ zelum, caſtimoniam Joſephi, & mitiſſimi Moſis manſuetudinem.

Prophetarum ſiquidem & Apoſtolorum longè latèque pervagata documenta virtutum in tuis deſcripſiſti membris, & externa corporis ſpecie adeò exactè repræſentaſti, ut quiſquis te præſentem ſpectaret, illos habere ante oculos ſibi videretur, adeò perfectè ipſorum mores in te formaveras, expreſſeras modeſtiam, atque ſeverioris diſciplinæ indueras habitum, & erga calamitoſos miſericordiam tam alte imbiberas, quin, & illorum abſtinentiæ corpus aſſuefeciſti, unde fluxit illud, quod modò memorabam, aſſiduum precandi ſtudium, inde fiebat, ut virtutum tuarum fama erudiret

[illegible]

A ret abſentes, & præſentes tua exempla inflammarent; & quoniam domi foriſque probitatis expertæ exemplar fuiſti, tibi tuus ubique labor cæleſtes colligebat opes, & ad ſimiles theſauros ſibi comparandos ſocios ſolicitabat. Sic remotos tuarum virtutum notitia, & oculis obverſantia facta vicinos recreabant, tuaque tyrones monita, perfectos documenta conſiliaque juvabant, B ſuſtinebas labantes, & lapſos erigebas, ſtrenuos ſuoque operi intentos commendabas, caſtigabas ignavorum deſidiam: omnis generis virtutum exemplaria omnium oculis ſubjeciſti, ut quæ ſpectare eos delectabat, imitari non pigeret, laudans imitantium ſtudium, & increpans negligentium ſegnitiem.

Quid, quòd cupiens omnes homines C habere tui ſimiles, doctus ab Apoſtolo, qui omnia omnibus ſe faciebat, cum magnis magnus eras, cum parvis parvum te feciſti, ad eos deſcendiſti, ut tecum aſcenderent, tuoſque in ſe mores formarent. Et licet aſſiduus oculos obſideret fletus, haud tamen aberat in uſu familiari modeſtus riſus, & ſermo ſuavis, qui tuum luctum, quem dixi, perpetuum temperarent. Sic è duplici theſauro duplici ho- D minum generi divinas opes diſpenſabas: ſpeculum namque, ut ajebam, populo noſtro datus es, & forma plenè ſancta: in te quiſque ſe inſpiciebat, reſpectanſque ipſe ſe tibi diſſimilem accuſabat. Conſuluere deſidioſi, tuoſque labores admirati, ſuam correxerunt inertiam, ſuum languorem damnavere ſocordes, proſtratos tuus ad perfectionem conſe- E quendam ardor erexit, fortiter certantibus tui in virtute proceſſus magnos ad eandem attulere ſpiritus; in ſtudio abſtinentiæ multos poſt te reliquiſti, ſingularem inde conſecutus gloriam; non erubuiſti morum innocentiam, pudicitiam & honeſtatem cunctis approbaſti. Magna illa duo mandata, *Diliges Dominum Deum tuum*, *& proximum tuum*, ad normam novæ legis indiviſa obſervaſti; ambo pa- F ri caritatis ardore complexus, ſua utrique jura integrè cumulatèque reddidiſti. Sic ſanctorum virorum exempla audiebas, ut ad exequenda audita paratus accederes, ſic exequebaris, ut cœpta perficeres.

Proſtant adhuc ubique miſericordiæ tuæ, atque religionis monumenta, accedentibus & participantibus non modò utilitate proficua, verùm etiam aſpectu jucunda. Precationem ajunt eſſe currum menti, non ſenſui notum, media inter

Cælum

Cælum ac terram ſpatia permeantem; tuam hanc, Pater, quadrigam clam conſcendebas, ut olim ſuam Elias palam, illâ vectus ad contemplandum non aſpectabilem Deum ferebaris, talem, precor, Pater, nobis filiis tuis ſcribito hæreditatem; hujus namque præſidio obtentos ab adverſario laqueos, & objecta offendicula nos facilè evaſuros confidimus. Vigilandi precandique labore aſſiduo attritas corporis vires, nec balneum, nec unguenta recreabant, ut qui ſtatueras ſordibus undecumque in cute contractis internas, ſi quæ animo hæſiſſent, labes abſtergere. Inſomnes oculi tuas tibi cuſtodiere divitias, ſemperque tibi præſens animus tuos tibi theſauros conſervavit, cæteris quippe inerti otio languentibns, ſomnoque ſepultis, tuum tibi ſemper fervebat opus. Quum verò patientiam & duritiam vitæ adamaſſes, non te nives Cælo cadentes a ſatione prohibuerunt, vel æſtus ab excolendis, quæ ſeminaveras, remoratus eſt, ſemina, quæ terræ commiſerat jejunium, vigilia mox lacrymis rigabat, uſque adeo nullum tibi otium, ſanctiſſime Pater, ſine negotio fuit. Quis theſauros tuos non participavit? quis tuis non eſt locupletatus opibus? ſedenimverò, cui conſpectus tuus jucundiſſimus non fuit, & acerbiſſimus obitus.

Oculi tui ſomnum vigiliis & jejunio expugnarunt, & quandoquidem in domo dormientium inſomnes Angelos æmulatus es, Angelus dormientium è medio te ſuſcitabit. Sic porrò tuam curvaſti frontem, Deum precatus ut tua ſuſciperet ſacrificia, ut ipſe te faceres hoſtiam, teque ipſe offerres victimam. Eſcam ventri ſubduxiſti, cordi nequitiam, perfectum jejunium tibi indixiſti, quod os & animum contineret; ciborum ſapores, & condimentaguloſis renunciaſti, lugentium victu contentus carnes appetentium intemperantiam ſimul & maledicentiam reprehendebas, ut qui carnes comederent, & dictis amicos morderent. Vini uſum & cætera ſenſuum oblectamenta fugiens, ori injeceras frænum, tanquam domeſticæ pacis & quietis firmamentum, labia inſuper canticis, Spiritu ſancto dictante, ſcriptis obarmaſti.

Porrò cujus hi conſtant triumphi, quomodo obitum non doleant amici? vel cujus laudantur tam præclara geſta, quemnam trophæa offendant? Noſter enimverò mœreat conventus, & prodeat atratus, lugubri veſte ſuum teſtetur dolorem, tua

A B C D E F

[illegible]

[illegible]

A tua consuetudine & colloquio repentè privatus. Cæterùm inter obitùs luctum, ac triumphorum lætitiam ancipites hæsere tuorum discipulorum & filiorum cœtus; scilicet quanto eos affecit mœrore decessus tuus, tanto gaudio tua cumulavit victoria. Et sanè quum ingressi conventum fratrum inde te abesse sentiunt, lacrymas & gemitus continere non possunt, mox verò tuum illustre B certamen & felicem exitum recogitantes lætitiâ exultant. Quis te, sanctissime Præses, sanctæ Ecclesiæ cœtibus abstulit? Quis te, venerabilis Pater, a nostra consuetudine separavit? Quis in tuam lucernam insiliit flatus, tuisque lumen eripuit oculis? Quis te ecclesiasticæ disciplinæ purum fontem obstruxit, qui lætas segetes in cordibus piorum audientium rigare C & augere solebas? Quis te populi coronam rapuit, & locum tuum ex improviso vacuum reliquit? Atqui profectò nunquam te, Pater, è corpore excessisse pigebit; inde quippe ad Beatorum domicilium tuus te Dominus trajecit.

Jure itaque Beatum te prædico; quippe qui Sanctorum socius adlectus cælestis regni felicitate frueris. Restat igitur, ut, quod nostrum est, maximas, quas D possumus illi agamus gratias, qui tibi militiæ vacationem indulsit, deditque frui pace & otio sempiterno. Ora & deprecare pro nobis, Pater, ut detur nobis aliquando te in superna domo videre, ut cæleste regnum adepti Dominum tuum in omne ævum laudemus, qui jure laudandus est a viventibus & mortuis in sæcula sæculorum. Amen.

E

CANON XVI.

[illegible]

In Funere Monachorum.

JUstitiam & pietatem colentibus, mors est laborum & miseriarum jucunda quies, luctum parit peccatoribus, impiis etiam desperationem. Probis & honestis nec metum nec dolorem affert, magnas incutit formidines scelestis, obje- F ctâ impendentis judicii imagine: imperatam a corpore separationem dolebunt omnes, qui cum ipso naturali nexu conjuncti fuerunt; consortis quippe absentiam ægrè ferre a natura inditum est. Qualem quisque peregit cursum, talem sentiet exitum & vitæ finem, quorum ergo vitæ socia virtus fuit, mortis comes est lætitia, utque hi beati, sic contra illi miseri, qui se vitiis mancipa- runt.

Talia

Talia reputantes tuus nos, Pater, obitus magnopere exhilarat, quamquam aliunde vehementer discruciet: quem enim tuus a nobis discessus non angat? quem contra tuum de sperata felicitate gaudium non recreet? Sacerdos optime, qui sacra in Templo ministeria sanctè obibas, te altare reposcit, cui ministrare solebas, tuumque ad consueta officia reditum opperitur, sacra squalet ædes, te absente, & nostra conticuere odæa: tuam collegæ consuetudinem usumque familiarem desiderant. Siccine cinyra tua audiri desiit, obmutuit cithara divinis sueta resonare laudibus? Quænam invida te nobis deripuit manus, ævo dignum instrumentum intra Templi adyta repositum? Os illud ad canendas Deo laudes datum, quis obstruere non dubitavit? Quis contraxit manus sacra ministeria usque ad defatigationem obire solitas. En video pedes per sanctuarium ingredientes, perque tritam Templi viam discurrentes, subita mortis impressione prostratos omnem amisisse motum. Tui videlicet clementissimi Domini voluntate mors delegata venit, te hominem integerrimum in Paradisum deportatura. Sacerdotalem quippe dignitatem, quasi fœnebrem pecuniam tibi a Domino ad negotiationem traditam, in duplum auxisti fœneratione & contractibus.

At tu quidem istam Cæli dominam nec vi fraudibusve rapuisti, neque numeratâ pecuniâ, aliove pretio tibi comparasti; divini quippe Spiritus donum est, nec illam adeptus luxuriæ ancillam addixisti, nec mancipasti avaritiæ, aut lasciviæ fecisti sociam, nec verò quidpiam ei æquale & comparabile duxisti, nec unde illa te super omnia exaltabat, licere tibi inde putasti per fas & nefas illam invadere; Chore & Dathan atque Abiron ambitionem nunquam non abominatus fuisti, qui noveras, qualem quàmque tristem illi tulissent exitum: nec tu Præsulibus, sicut illi Mosi & Aaroni sanctissimis viris, fastum & superbiam objectasti, qui non ignorares, eos qui talia ausi fuerant, incendio absumtos male periisse: divinas contra scripturas a puero versare suetus, inde miram per omnem vitam morum integritatem hausisti & servasti; hac nimirùm sapientia te imbuerunt sacri codices, quos accuratè legere, & assiduè meditari solebas. Sed in primis animum perculit, quod tibi occurrit in Pentateucho, qui quidem salutarium documentorum ærarium est, homi-

A hominem ab eo, a quo ad suam imaginem formatus fuerat, accepisse legem, eamque quum fregisset, in lutum, de quo fuerat fictus, recidisse.

Prophetarum itaque & Apostolorum oracula mente & cogitatione complexus, quæ legeras, opere præstabas, quæ alios docebas, ipse observabas, tuamque prudentiam intelligentiamque ad aliorum utilitatem conferebas, apprime solicitus de B filiorum filiarumque tuarum salute; verebaris nimirum, ne tanquam acceptæ pecuniæ dissipator in fine deprehensus, multam subire cogereris. Omne vitæ tempus lucrandis fratribus contrivisti: nec enimverò ore docebas uno; ora quippe plurima tibi tua sufficiebant opera, hæc, te tacente, præcepta dabant: adeo tuum quoque silentium disciplina fuit. Carissime fratrum, C quis te sustulit? quis te nobis subduxit vir probitatis optimis quibusque invidendæ? quis impedivit currentem? concionantem quis interrupit? quis disertissimum oratorem fecit infantem? præpositum & socium multorum quis te ab eis avulsit? quis Oeconomum domini sui exauctoravit, eique administrationem ademit? quem modo grex tuus opperietur diligentem & providum pastorem? quem D consolatorem in luctu & dolore prensabit? Prudente curatore subitò destitutus, cultum funebrem protulit, maximâ, qua poterat, pompâ cadaver elaturus ad tumulum, noluit nimirum in sordido luctu te minus ornatum relinquere, mœstitiæ insignia explicuit; sic tamen ut splendidis vestibus, cum quibus vivus sacra faciebas, te exornaret, tanquam Ecclesiæ E sponsum; ne tuorum te laborum præmio fraudare velle videretur, tibi post mortem persolvit amplissimum. Feretrum gradu sacerdotali dignâ cinxit coronâ Patrum & fratrum, tuorumque filiorum & filiarum confertâ choris, qui etiam solenni cum pompa cadaver efferrent, & ad tumulum cum hymnis & canticis prosequerentur: næ id factum bene, ut qui psalmos divini Spiritus instinctu com- F positos tuarum commentationum materiam delegeras, quum viveres, rebus sublatus humanis cum eorundem concentu ad regionem mortuorum deducereris. Sic de terris peregrinorum in Ecclesiam translatus requievisti, ut e fatiscente domo in ædes sempiternas migrares.

Adstant ecce tibi Sacerdotes primi, latera stipant ministri, adest populi conventus universus, spiritualibus cantibus simul omnes funus prosequuntur; confluxere videlicet

omnes Præsuli suo parentaturi. Habes hìc sacrum ministerium, divinarumque scripturarum lectionem, & sacros hymnos, ea scilicet, quæ, quum viveres, unice dilexisti & complexus es. Non hìc audis nænias & ejulatus, sed psalmos & carmina prophetarum, non inanes fletus & tristes gemitus, sed divina oracula; opportuna scilicet doloris levamenta, & magnæ argumenta spei. Ecce autem defluxit omnis exequiarum honor, funeris pompa peracta est, tuorumque fratrum vox conticuit; defecit amicorum fletus, & famulorum sublatum est obsequium, fletus quidem, quia post ejusmodi discessum desperatur reditus; exequiarum verò pompa, quia sepulto cadavere funeratio transacta est.

Sed enimvero nos alter jam excipit luctus à tuo ad paratum tibi domicilium transitu; hinc enim triste tui desiderium nobis suboritur, & gravis cura, nec enim hujus temporis leges permittunt vivis ad suos vitâ jam functos commeare, videre, colloquiove potiri. Quamquam, vir optime, mortuus non es, vivis adhuc & loqueris, somnus, non mors opprimit viros sanctos, *qui in Christo moriuntur*. Scilicet illa dies adfuit, qua mortalis quisque suum cogitur repetere domicilium, tibique proinde necesse est, tritam inire viam ad sepulcrum commune generis nostri receptaculum, nec puto tibi molestum fore a carissimorum fratrum convictu abesse, aut ab hominum gubernatione curaque vacare. Non te invitum violenta rapuit mors; Domini illa tui executa est mandatum, corpori tuo finem laborum attulit, ille misso viatore accersivit, suavissimè tecum agens, & longe secus, quam olim cum Dathan & Abiron, quos immisso igne consumsit; non enim tu sacrificium, nullo temporis servato ordine, Regi regum obtulisti, nec thura sacrorum lege rejecta in interiora Templi adyta intulisti; quod quia filii Aaron ausi sunt, incendio periere. Hophni & Phinees Dei ædem violarunt, cæsique in acie occubuere, longe a te fuit ut scelus, sic pœna sit sceleris. Non tu Hozæ levitatem imitatus, qui, quòd pius videri vellet, ad sustinendam Arcam temerè prorupit, & virtute, quæ vincit omnia, prostratus concidit: non tu peregrini servi falsa delatione oppressus, sublatus es letho, quo insontes Sacerdotes impius sustulit Saul. Alium tu, Pater, habuisti exitum, qualem summus Sacerdos Aaron, agmine patrum & fratrum stipante, elatus, & qualem tulit Moses, quem Deus

A Deus, cujus est omne, quod est, è corporis custodiis eductum, suo excepit sinu. Et quandoquidem in obitu pacem & honorem consecutus es ab eo, à quo naturam acceperas, placeat corpori tuo usque ad communem corporum restitutionem tantisper quiescere, donec præstitutus reddendæ sibi mercedis adveniat dies.

Interea verò Deum exora, Pater, ut carorum tuorum remuneretur lacrymas, quas B ingenuus de tua morte dolor elicuit. Suorum eis delictorum veniam ab eo deposce; preces quippe tuas curat, & votis benignas applicat aures. Attolle manum tuam super populum, qui tuum extulit cum honore cadaver, & quę ante solebas, bona a Deo optimo ei precare; Justi siquidem morientis deprecatio accepta est, & ad impetranda, quæ petit, admodum efficax. Valedicito gregi tuum C ploranti exitum, pacem apprecare conventui, qui funebri carmine tuas exequias prosecutus est, veniat in mentem sacrum altare, super quo sanctè sacrificabas, in generali illo sanctorum consessu res sanctæ Ecclesiæ curare memento, quippe quæ materna caritate te funeravit, deduxitque ad tumulum eo cum luctu, quo majore fratris funus neutiquam illa duxisset, cujusque amor vicem parentum, consanguineorum, D & affinium supplevit. Atque tunc illa quidem tuum obitum vehementer doluit, sed nec certè minus nunc tui angitur cruciaturque desiderio. Enimverò quum vacuam cernit exedram tibi in consessu filiorum suorum designatam, simul ei redit in mentem tuus è corpore excessus, simul exaggeratur dolor, quumque filios suos videt congregatos, ac te non videt, E erumpunt lacrymæ, undique luctus gemitusque audiuntur, & inde reor discedere nunquam non recusaturam, nisi cura funeris eam ad se revocaret. Naturæ scilicet leges prohibent mortuum cum viventibus commorari, idcircò domicilia geminavit, alterum viventibus dedit, seposuit alterum mortuis. Nec vivum sub humo, nec mortuum super humo manere permittit. Veniet olim illa dies, in qua F mortui resurgent, unusque omnes recipiet locus: istam respectat Ecclesia lucem, in Paradiso & in deliciarum sede sperat te sibi reddendum: interim dum medium istud effluit tempus, jubet te agere vitam a curis & ab omni labore vacuam, dum porrò vacat, precare, ut tu illam in cælesti ac beata domo revisas.

Patres & Fratres valete, mea desideria, salvere vos jubeo, a vestro convictu nunquam rediturus discedo. Non sic

A vitâ privari diſplicet, ut non magis pigeat a veſtro ſeparari conſortio, ſique moleſtum eſt in alias migrare terras, a meis avelli fratribus adhuc multo gravius eſt; mea in hac regione mora contracta eſt, hoc non doleo, ſed quòd terra obrutus ex univerſo Eccleſiæ conventu neminem ſum ampliùs viſurus, hoc enimvero me cruciat. Pro me, quæſo, orate, cariſſimi, nec vos aliquando prætereat memoria mei. B Dies Judicii magnam mihi affert formidinem, terretque vehementer me mihi decretus poſt obitum ad hujus lucis uſuram reditus. In multis peccavi, quæ autem perpetravi mala, me ad Judicis tribunal præſtolantur, lex lata docet, & promulgata ſupremi Domini edicta ſatis apertè declarant, fore ut ſervus, qui compertam ejus voluntatem contempſerit, nec imperata fecerit, vel non eâ, C quâ oportuit, curâ ejus mandata exhauſerit, multùm vapulet, duriſſimamque ſuſtineat quæſtionem. Et ego quidem, qui iſta legeram, alioſque docueram, ac recta & honeſta eſſe ignorare non poteram, nil minus quàm ea præſtare curavi; quamobrem magnopere formido, ne à ſevero Judice graviſſimè plectendus ſim, & pœnas hauſurus ſim acerbiſſimas. Acceptam pecuniam abſcondi, nec eam juſto D fœnore augere & geminare ſtudui, quæ mea ſumma ignavia fuit.

Conjectare porrò difficile non eſt, qualia immineant mala mihi ſceleſto & inerti ſervo; ſat ſcio me illâ ſeverâ objurgatione ſtatim in exitu excipiendum. Quanam objectâ curâ pecuniam traditam fœnerare detrectaſti? cur talenta magnum paratura quæſtum, in terram defodiſti, E quo facto negotiationis lucrique viam interrupiſti? ſatius erat inepte, tibique conducibilius oblatum argentum recuſare, quàm acceptum recondere. An cenſes, te conſtitutam tui ſimilibus pœnam evaſurum? Et ego quidem te in ordinem Sacerdotum adlegeram, ornaveramque Levitarum honore, qua, cedo, ſpe illectus ſtatuiſti à propoſitis piorum Sacerdotum exemplis diſcedere? Talia, fratres, dum F mecum attentè revolvo, imminentis judicii tela magis, quam hora mortis me perturbat.

Cæterum quandiu vita manebat, uti ſupremi diei, quo corpori reſtituendus ſum, judicioque ſiſtendus, nulla ſuberat recordatio, ita nullus gehennæ & ſupplicii metus; at poſtquam vitæ exitus appropinquavit, incubuitque neceſſitas in aliam migrandi regionem, tum vero in mentem venere mihi peccata mea, inde-

que

[illegible]

A que subortis lacrymis invocavi Deum, & anteactæ vitæ malefacta dolens, precor, dixi, quæsoque te, Deus, laboranti mihi succurre, fer opem afflictis rebus, neve januam miserationum tuarum occludas supplici servo, tu, qui latronis ad tuam dexteram è cruce pendentis vicem miseratus, violatæ majestatis tuæ reum absolvisti; miserere mei in exitu meo, proque tua summa clementia integrum me con-B serva; malum averte, ne fiam alienus à beato Ecclesiæ tuæ coetu, unde gaudeant extranei intuentes me flammis gehennæ addictum, & irrideant me propinqui domestici Fidei. Sed aspice me, Omnipotens, qui flecteris precibus hominum, & præsta, ut quoniam Sacerdotum collega fui, & in prædicanda gloria tua socius, eorundem consors & socius in tuo regno C fiam, ne inde rejectus, atque a dilectorum tuorum societate divulsus, apud inferos pœnarum atrocitate cogar furiosis vociferationibus insanire, ego ipse, qui quondam tuis laudibus omnia complere solebam; istud, oro, prohibe malum, nec unquam me deserat facultas prædicandi nomen tuum. Æquissime Judex, meam, precor, causam eâ, qua soles clementiâ, dijudica: peccasse me fateor, ac si pro merito ple-D ctendus sim, despero me gehennam evasurum; quumque vita me defecerit, morsque mihi imperaverit silentium, nec proinde scelerum veniam deprecari licebit, meam tua caritas causam peroret, quæ me e luto formavit: illa mihi peccata mea ignoscat, & modò a gehennæ incendio me liberet, quem me habere locum voluerit, suo jure decernat.

E Reliquum est, ut quod nostri officii est, pro defuncto fratre Deum supplices oremus. Sanctissime Deus, qui diligentium te preces clementer exaudis, nec vis mortem peccatoris, sed magis ut vivat, famuli tui miserere bonitate tua atque clementia: non intres in judicium cum servo tuo, pie Domine, quia nemo mundus a sorde: ne memineris multa, in quibus peccavit, & graviter deliquit. Sed F peccatis absolutum, ad dexteram tuam adstare jubeto: ne despicias preces ejus, qui te moriens invocavit, & opem tuam imploravit, flevit, & pro delictis suis oravit: ne, precor, despicias vocem orantis, nec avertas faciem tuam ab eo, cui in Evangelio tuo indulgentiam spopondisti: *Invocate me*, dixisti, *& exaudiam*, *pulsate misericordiæ meæ fores*, *& illico aperiam*: en promissis tuis confisus te inclamavit, & Evangelii tui fide fretus clementiæ tuæ januam

Math. 7. 7. Luc. 11. 9.

januam quatere non destitit, ratas habeto preces eâ pietate, quam semper calamitosis adhibere consuevisti, eique regiam tuam aperi, & gratiæ tuæ dono regnum Justis promissum cum ipsis obtineat, atque unà cum Sacerdotibus hoc ministerio rite perfunctis, ad lucidas sedes translatus, communi felicitate potiatur, tuamque inexhaustam bonitatem Sanctis & Justis sociatus amplificet. In tabernaculis dilectorum tuorum lætetur, exultet & munificentiam tuam prædicet, carmen illud Eucharisticum decantans: Laudem dicam ei, qui gratiâ suâ misertus est mei.

CANON XVII.

In Funere Monachorum.

CUjus labia Spiritus sancti cecinêre psalmos, tu, Domine, peccata dimitte, & concede, precamur, ut in eo loco, ubi Beati ævo sempiterno fruuntur, illud tibi moduletur carmen: Optimo Maximo, qui mei misertus est, sit honor & gloria. Qui ab adolescentia sua suave jugum tuum constanter portavit, hunc tu, Domine, delictorum suorum vinculis exemtum, illam maximè optatam securitatem habere jube. Cælibem, quique a nuptiali hujus temporis thalamo abstinuit, & alium viris perfectæ virtutis paratum expetiit, ipsorum numero adscribito. Et quoniam dissidentes fratres habere studuit, mutuâ caritate conjunctos, remotisque odiis ad bonum conspirantes, huic tribue hortum voluptatis adire: tum quia tuis obsecutus mandatis, sociis servire & parere fategit, atque infimum locum semper appetiit, tu, Domine, tuo ipsum dignare convivio; & quandoquidem te confessus est coram hominibus, tu, quod pollicitus es, confitere eum coram Patre tuo.

Hominis afflicti, oramus, misericordia, Domine, te capiat, eique mala, quæ gessit, ignosce. Tu, qui solus bonus es, & extra quem nemo peccata dimittit, hunc miseratus, reum absolve. Frequentibus ille morbis in senectute tentatus; tu, Domine, in horto voluptatis domicilio locatum, juventuti restitue senem, repubescet utique in tuam receptus domum. Et sanè qui ægro corpore defectisque viribus ædis tuæ curam nunquam deposuit, æquum est, ut Justis sociatus, & illâ cumulatissimâ bonorum complexione potitus, laudes tuas ore pleno persequatur.

[illegible]

A

CANON XVIII.

In Funere Clericorum.

FRatres Ecclesiæ filii, oratum ite Deum, ut res mihi faustè feliciterque eveniat, neve me a fidelium in Cælo degentium consortio excludat. Pie frater, quem abstinentia aluit, & educavit oratio, in superna illa Jerusalem nos te spectatum venturos speramus, tuamque tibi gratu- B laturos felicitatem. Illum propitiate mihi, qui me a vobis avulsit, jussitque ad diem generalis mortuorum resurrectionis in sepulcro manere. Ne, precor, mei oblivio vos capiat sacro ministerio, statisque precibus piè vacantes. Cave, putes nos tui unquam immemores fore, quos rata spes tenet futurum, ut dies illa, quę a malis est segregatura bonos, eadem te C nobis iterùm repræsentet, conspectuque tuo nos recreet. Me mors a vobis, carissimi, divisit, conticuitque cithara mea divinas sueta cantare laudes, id videlicet mortis jura vetant. Jesus, quem quum viveres unicè amasti, in suas te recipiet ædes, ubi cum Angelis in Cælo ejus munificentiam prædicare prohibebit nemo. Verumtamen Judici æquissimo in ea, quam peto, regione ante sistendus sum. Vestris, oro, D precibus illum ad misericordiam flectere contendite, remollescet, spero, ejus adversus me ira, mutabit sententiam. Quia paternæ domûs commoda deseruisti; & Christi amore plenus, eidem constanter adhæsisti, in ea, ad quam tendis, te regione beabit. Interim vero mihi lux hodierna lucis usuram auferet, cogetque totos desidere dies. Atqui, bone frater, hoc E eodem die coronam idem imponet, quem dilexisti, Jesus, atque in suas introducet ædes. Hoc equidem spero, at proh quam amarum est poculum, fratres, quod haurire cogor, ut, quem sim habiturus receptorem, ignorem!

Impiis & sceleratis in eum diem paratur malum, tibi contra magnum reservatur bonum, quia ejus corpus sumsisti. Labascit mens severæ quæstionis perculsa F metu; quippe qui audiverim, Deum judicaturum per ignem. Justi, quorum gesta præclara tuis expressisti moribus, causæ tuę patrocinium in eo judicio suscipient, crede. Scelerum meorum me piget pudetque, parce, quæso, fatenti reo, neque me prohibeas die adventus tui ab aspectu lucis pulcherrimæ, & inoccidui solis. Sponsus unica tui cordis cura suas tibi reserabit ædes, suisque amicis paratum obtinebis hortum voluptatis. O beatum hominem, fra-

fratres, qui talem se esse novit, caducum & mortalem, atque his angustiis, quas natura dedit, non contentus, commeatum immutabili æternitati idoneum sibi providit. Quin ergo te beatum prædicemus, qui hujus vitæ evaseris ærumnas, tibi thesaurum in Cælo comparaveris, nullo temporis decursu defecturum. Quo die omnium iniquorum scelera, juste Judex, vindicabis, eâ, quâ latronem complexus es clementiâ, me quoque Crucis tuæ merito prosequere. Dies, qui Superûm Regem in terras reducet, ille te è mortuali tumulo extractum, immortalis gloriæ insignibus decorabit. Mors, carissimi, mœrore me complevit, quum a vestris abscedere tectis compulit, & omnem huc remeandi facultatem ademit. Atenim cithara, quam in tua exedra confidens, apud nos pulsabas, etsi ad tempus cantum intermisit, in cælesti tamen illa Jerusalem Deum laudare nunquam absistet. Interea verò dum tantum respectamus bonum, etiam atque etiam te, Domine, rogamus, ne aliquando faciem tuam avertas a servo tuo in illo supremo die, tum quando tuam patefacies majestatem. Cave, frater, ne credas Christum merita tua conveniente mercede fraudaturum; ratum quippe est tuis laboribus amplissima parari præmia in ea, ad quam profecturus es, regione.

Sedenimvero, quotus quisque est, qui non contremiscat timore illius diei perterritus, in quo seu pœnam, seu præmium pro merito quisque suo recipiet? Dominus ille optimus, cui te conjunctissimum professus es, cujusve mandata fideliter exhausisti, dignam laudabilis vitæ moribus factisque sedem tibi designabit. Ignem, quem fecit Deus, iniquis reservavit, hinc mihi horror, hinc metus, ne fortè in eum sim ego conjiciendus rogum. Tuo, Domine, adventu aperi mihi diem, & cum Justis, qui te dilexerunt, regni tui sorte dignare me, precor. Tua me gratia dulcis calamitosorum spes, & grande afflictorum præsidium in suam me reum convictum suscipiat clientelam. Ille, qui spe rerum meliorum per dies & noctes te hactenùs sustentavit, in generali mortuorum ad vitam reditu in hortum voluptatis transferet. Fer opem supplici mihi, Salvator meus, cum tua miseris affulserit misericordia, & præsta, ut erecta fronte & hilari vultu bonitati erga me tuæ gratias, quas potero, agam maximas. Illa utique Beatorum sedes te nobis, speramus, conspiciendum dabit in subselliis Justorum, qui eximiæ fortitudinis

[illegible]

A nis ſpecimen illuſtre ediderunt, & Martyrum, qui, hoſte debellato, conſecuti ſunt coronam, illic veſtro adſcripti conſortio profuſam in nos Dei beneficentiam laudabimus.

Interim, fratres & amici, iterùm ſalvere vos jubeo, veſtras, oro, pro me conjungite preces, proſperum iter & benevolum receptorem apprecamini mihi. Aperi, quæſumus, Domine miſericors & clemens, B regni tui aditus fratri noſtro, cui nullus vacavit vitæ dies ab oratione & jejunio. Iſthuc, oro, fratres, ſperoque, fore ut veſtræ preces ad eum, quò pergo, locum me deducant: & quaſi alites me ſubmiſſis alis ad ædem vitæ per ſublime trajiciant. Filii Domini tui Crux, qua redemtus eſt Mundus, tibi aditum patefaciet ad beatas ſedes, ubi quum è corpore C exceſſerit animus viget, & vivit. Ego verò oro quæſoque Deum, ut quos in meo obitu ceciniſtis hymnos, Angelorum cantibus adjungat. Etiam, Domine Deus clementiſſime, ſervum tuum ad te venientem miſericorditer excipito, & ſupernæ Jeruſalem ſcribe civem, quia in te fidem habuit.

At inſtat abeundi tempus, ſalvete fratres, me meus Dominus, miſſo viatore, D accerſit; veſtras mihi preces addite comites. Clementiſſimi Judicis benignitas, quæ latronis miſerta eſt, tibi, frater præſidium & comitatum præſtabit ad eum, quò tendis, locum. Tibi verò ſit honor, ſit gloria, qui lucis adhuc uſurâ fruentibus facilem & miſericordem te præbes, & vitam amiſſam cunctis mortalibus aliquando reſtitues. Tuum, confide frater, E nomen in libro vitæ conſcribet in Cælo Chriſtus, quem ardenter amaſti, cujus præcepta fideliter ſervaſti. Verumtamen cogitate, fratres, quales in anguſtias noſtra nos opera conjicient ſupremo illo die, quem Filius Regis ſuo in terras adventui præfinivit.

[illegible]

CANON XIX.

In Funere Clericorum.

F Conventum, fratres, cogite, mei memores meum celebrate funus, Deum oro, ne meam ſinat occidere memoriam, poſtquam a veſtro conſortio me ſeparaverit, ſed in ſuo adventu corpori meo vitam conferat immortalem. Animi tui, frater, dolorem lenire ſtude, divinæ voluntatis jugo collum ſubjiciens tu, qui plurimos exhauſiſti labores ad colligendos quæſtus ex legitimo liberi arbitrii uſu provenientes. Quamobrem ei, qui te modò

[illegible]

dò coronat, & mox in regno ſuo exaltabit, gratiam habere memento. Actum eſt, cariſſimi, Judex non mutat factum, vitæ ſpes omnis accisa eſt. Quæcumque hactenus occultavi, pandere ratum eſt, quum ille manifeſtus paruerit. Quamquam propitium mihi illum fore confido, qui me ſua Cruce redemit. Labor tuus ſpes tua eſt, & abſtinentia tua tuus eſt theſaurus, vigiliæ tuæ præſidium tuum, & Dominus tuus fiducia tua eſt, ipſe corpori tuo ademtam reſtituet lucis uſuram; in ejus namque fide labores quicumque tibi inciderunt, fortiter toleraſti. Domino venienti aſſurgent omnes, etſi non omnes ſcient, qualem habituri ſint vitæ rationem; examinis quippe dies ſortem cuique ſuam decernet. Confido tamen, tuam, Domine, mihi affluxuram gratiam.

Infixum animo hæret victorię ſignum, quod piè ſumſiſti, Chriſti ſacramentum, hoc te ad eundem perducet, ejuſquè jucundiſſimo conſpectu beabit. Scelera me mea terrent, Domini mei promiſſa me recreant, magnum interim cogor ſuſtinere metum, dum decretum cunctis mortalibus judicium dirimat cauſam, indeque certior fiam Judicem mihi eſſe placatum. Bonus eſt Deus, pius & miſericors: idcirco æquo animo eſto, præſertim quum tua te comitetur victoria; ſcilicet profeſſionis tuæ humilitas ſuppreſſos excitabit citharæ tuæ cantus. Stat alta mente repoſitum, fratres, illum nunquam non fuiſſe ſeverum ſcelerum vindicem, refugitque timido ſanguis, & contremiſco revolvens terribilem ejus ſententiam, diſcedite a meo conſpectu, qui unquam iniquitatem attigiſtis. Hunc ego orare non deſinam, ut ſuo me judicio abſolvat fatentem reum. Juſtus eſt Deus tuus, neque tuos labores digna mercede fraudabit: moleſtiæ & ærumnæ, quas ejus confiſus promiſſis, in monaſtica profeſſione pertuliſti, dabunt tibi in ejus regno locum. Ægritudine animi ita laboro, fratres, ut ſanari planè non poſſim: horrendi judicii metus membra quatit, & mirum, quantum exagitat mentem. Ille, precor, meorum cognitor ſcelerum, me ſibi aliquando ſiſtendum clementer accipiat. Dominus, & Deus tuus te, frater, corpore exolutum hac te abducet ſolicitudine; nec enimverò deſpiciet cor attritum curis Majeſtati ſuæ gratiſſimis, ut in ſuo adventu congruentem non ſolvat mercedem. Suave Domini jugum humeris meis ab adoleſcentia impoſitum, conſtanter portavi, & quî fiat, ut audaciſſimus quiſpiam ſugillator improbus in ejus inſurgat gratiam? Quod

A Quod si contingat, quem mihi patronum quæram? Misericordia tua, Domine, innocentiæ, oro, patrocinetur meæ. Spes illa, quæ te modò sustentat, quâve hactenùs munitus corpus tuum servituti ab Ada & Eva generis nostri parentibus in posteros propagatæ exemtum Domino reddidisti, ipsa tibi adjudicabit causam, inducetque Judicem, ut te magnis honoribus exornet.

B Cæterùm quæ hucùsque, carissimi, produximus argumenta, ea nobis suggerit præsens tempus gratiæ, ut hinc discamus nostrum lenire dolorem, nam quæ post secutura sunt, penitùs ignoramus, nec ad ea pernoscenda patet aditus. Quamobrem obsecro te, Deus magne, summe, supplici parce. Filius Viventis juravit, se revocaturum ad vitam immortalem Pios in eum credentes; quid ergo, num tibi, frater, qui eandem professus es fidem, hanc mercedem negabit, aut aliquid ad perfectam felicitatem deesse patietur? Ignota nobis Dei voluntas nostram perspicit voluntatem, & fidei modum, in eo statu, in quo ejus judicio adstabimus, causam venturus Judex dijudicabit. Oris tui fructus Domino litabis, quos nempe dixisti hymnos, & laudes, quibus vox tua ejus munificentiam ornavit. Confide, frater, ille pro sua bonitate te in suo adventu despectum & humilem non deseret. Illius tamen dies meam prætervolat intelligentiam, & disertissimi cujusque superat facundiam, & ejus terribilis adventus omnium mortalium animos concutiet, ejusque conspectus Superûm Inferûmque corda consternabit. Verè beatus prædicandus est, quem ille in sua majestate venturus se dignum inveniet. Quibus a puero assuevisti cantibus, ipsi tuam excitabunt citharam, & ille, cujus promissis fidem habuisti, in amplissimo suo triclinio te collocabit, ut in domicilio voluptatis eo, quo ad vitam rediturus es die, fruaris complexione omnium bonorum cumulatissimâ. Accedite, fratres & amici, mihique Dei misericordiam exorate, ut venturus Judex habeat me tanta felicitate dignum, postquam a vestro consortio separatus, ad aliam regionem migravero, ibi mansurus usque ad præfinitum generali mortuorum restitutioni diem.

CANON XX.

In Funere Clericorum.

ITerùm valete, fratres, hoc unum precor, ut vobis non excidat memoria mei: misero Dei opem exposcite, nec unquam vos pigeat mei meminisse, quum in Templo stantes, constitutis precibus vacabitis. Æquævus Genitori Filius, qui Lazarum sepultum è tumulo excivit & extulit, idem te, Pater, ad cæleste regnum è sepulcro super astra sublevabit. Interim verò omnes meæ mentis partes dolor exagitat, & gravis cura solicitat reputantem, me eò esse deportandum, ubi nil precibus loci est. Sedenimverò, quòd a nostra consuetudine divelleris, Pater, neutiquam te perturbare debet; effuso namque sinu excipient venientem Angeli. Non ita, sed ingens, carissimi, incumbit mihi a severâ quæstione timor, fugamque circumspicienti non paret locus; nec porrò Judicem donis, aut precibus flectendum credo, ut de salute vix sperem. Te Pater, oro, Fili & Spiritus sancte, me sine comitatu ad te venire prohibe, a tuâ nimirum pendeo clementiâ, & supplex mea mihi condonari scelera posco.

Formidandus est, fratres, & horrendus ille dies, meque enimverò vehementer angit: Judex æquissimus est, nec disciplinâ, sed naturâ consultus jura describit. Ego verò meorum conscius criminum, quale perfugium non desperem? Non id tamen committam, ut me mea destituat spes, illum potiùs orabo, qui sontes insontes facit, ut mihi mea peccata dimittat. Hei mihi, quale malum impendet inertibus servis mei similibus, qui damna ignorans mea per omnem vitam alia super alia deliqui. Imo qualem putas futurum Diabolo & morti luctum, quum te ad Christi dexteram adstantem suspicient, & audient divina recinentem? Nihil dicitis, quod animum ingenti metu consternatum valeat erigere meum, qui cogitans, quo vultu me Judex accepturus sit, anxius & anceps hæreo. Crucis loricam paratam habes, insuper & Baptismum, Corpus & Sanguinem Christi, quasi libellos assertorios, mirum, quantam vim habentes, & quantum pondus!

A

CANON XXI.

In Funere Clericorum.

SAnctiſſime Pater, quod tibi bonum, fauſtum fortunatumque eſſe poteſt, tibi prope diſceſſuro precamur, & confidimus, fore ut tuus te Dominus in illa omnium bonorum complexione beatum efficiat. En itineri longinquo, atque adeo periculoſo me committo, adeſte, fratres, B meque viam ingreſſum veſtris comitamini precibus, ut mihi res feliciter eveniant. Non ſic pericula timeas, Pater, ut non memineris, benefacta tua te præcurſura, ad Domini conſpectum feſtinantem. Acta mea comperta ſunt Domino, quem offendi, quamque ſummus ille Judex infliget pœnam, vehementer exhorreo. Sed nec tuum latent Dominum cordis tui arcana, C tua in eum caritas, unde ille viciſſim tuo in amore mirificè conquieſcit, ut qui ejus juſſa planè perfectèque exhauſeris. At nunquam fiet, ut animus meus ſeſe colligat, depoſito metu illius judicii; perſuaſum ſiquidem habet, iniquis nullam eo in loco adhibendam fore indulgentiam, aut pœnæ remiſſionem. Imo tibi, beate Pater, promiſſum Juſtis regnum reſervat Dominus, tuum erga ſe ſtudium remune- D raturus, ubi confide, te ad novum vitæ genus traductum iri.

Ecce autem ego exul, inops, egenus ex hac luce diſcedo, adeo vixiſſe nil profuit, quum vita mihi præter peccata nil planè reliquerit. At etiam tranquilla, Pater, tibi res eſt, ecce quietus & placidus, quaſi alter Moſes, rebus excedis humanis, quare una tibi reſtat cura, ut E pro populo noſtro orare non deſinas? Hei veris vincor, nec vana eſt ſolicitudo, quam excitat timor Judicis, qui non gratiâ, vel pretio, ſed juſta ſeveritate judicia exercet ſua. Dira potius augurare ei, qui negavit fidem, & Chriſto renunciavit, te autem beatum dicere debemus, tibique cuncta proſpera ominari, qui Dei leges & jura ſervaſti. Parcite, fratres, talia ſuſpicanti; pepulit aures terribilis illa tuba, F cujus voce totus contremiſcit Orbis. Meliora tamen precamur, quæ ſperamus futura, ut Angeli in generali illa mortuorum reſtitutione ad Judicis dexteram te transferant; id enimverò perſuadet vita vitio carens, & ſine labe peracta, tum abſtinentia, pietas, religio, & effuſa in egentes liberalitas, idcirco amiſſum te dolemus, & obitum lugemus tuum, quoties tuum in mentem redit nomen, venerande Pater: ſecus non erat, cur tuam

ægrè

ægrè ferremus mortem; Juſti quippe felicitatem ſine fine duraturam adepti, cum reſumto corpore vitam ducent beatiſſimam, Dei laudibus ſine ceſſatione vacaturi. Tuus, Pater, Dominus in cujus fide fuiſti, cujuſque legibus vixiſti, ſua erga te utetur clementia, quum idem te gregis ſui Paſtorem ac Præſulem etiam creaverit.

Bone Jeſu, perfugium & præſidium meum, pœnis, quas merui, eximito me, tuæque lucis claritate lætifica. Annuet utique tuis Jeſus votis, reddetque ſui amanti, ejuſque præceptis obtemperanti, auctam in centuplum laborum mercedem. Hoc ſcilicet præmium caſtè & integrè viventibus paratur, corona videlicet gloriæ, quam Juſti ſuo imponent capiti, remuneratori Deo laudis hymnum modulantes, quum rediviva reſumſerint corpora. Quapropter confide, Pater, hæc merces tuis reſervatur moribus, nec dubites, ut ſocius Juſtorum factus, in omne ævum vitam traducturus ſis jucundiſſimam. Veſtris, oro, Deus annuat votis, interim obſecro vos, cariſſimi fratres & patres, ut vos Deum pro communi ſalute oraturos, mei memoria nunquam prætereat.

CANON XXII.

In funere Clericorum.

BEate Pater, alumnos ſolare tuos. Ecce tuam mœſti, ſoliciti, præſentiam repoſcunt. Pater omnipotens vos, qui me amaſtis, jacentes erigat, veſtroque dolori finem imponat. Sed & æviternus Filius veſtras pro ſua ſumma munificentia exornet coronas. Parcite jam, filii, lacrymis, nec enim vos decet generis humani commune fatum, quaſi proprium deflere. At enim Patriarcha Joſeph, ut parentem vidit extinctum, quantum erupit in fletum! tale profectò non dedecet imitari exemplum, tuumque, Pater, dolere & collacrymari lethum. Ehu quis te nobis eripuit ſpiritus noſtri theſaurum? Arcem munitiſſimam ſiccine mors te cepit & diruit? Et verò tui corporis exuvias cernere, ut admodum utile, ita valde obvium eſt; at voces quis noſtris referat auribus?

Ecce autem atrati prodeunt omnes, quibus obtigit non ignoraſſe te virum ſanctum & diſcernendi motus animorum prudentiâ inſignem, qui animam ſuam virginem caſtam Chriſto deſponderat: quare confide viciſſim ab illo te fore ſeparandum a perditis & ſceleratis ſibique ſociandum. Omnipotentis Domini in fide ſumus,

[illegible]

fumus, feu morimur, feu vivimus. Caveamus ergo, ne divellamur ab illo, tum verò maximè, quum mortis metus animo infitus & infixus mentem exagitat. Nobis te, Pater, magiftrum & admonitorem Filius Regis dederat, qui noftris identidem auribus ifta occineret. Cogitate facri Ecclefiarum Stationarii præfinitum vobis ad immutabilem æternitatem iter, & viaticum providete.

[illegible]

CANON XXIII.

In Funere Clericorum.

[illegible]

Siccine, Pater, veritatis Athleta, nos deferis, feditque tibi hinc demigrare, orbofque natos deftituere? Mofes utique popularibus fuis extremum dicturus vale, te, Pater fancte, morientem adumbravit: at idem moriturus adminiftrum fuum genti fuæ defignavit ducem, ejus capiti imponendo manum, quo facto futuri Hebræorum in terram fibi promiffam introitus præfagium dedit, & aperiendæ nobis ad falutem viæ fymbolum defcripfit; fuoque functus officio, vitâ mox pariter defunctus eft. Ecce autem extorres & exules in alieno folo nos deferis, Pater, quis jam patriam repetentibus dabit ducem? dabit fanè, qui te dedit fratribus fratrem fimul & Præfulem, Jofepho proinde comparabilem, quem fratribus per id tempus in Ægypto exulibus Pater filium fibi fimilem præfecit; talem te fibi fummus ille Pater adoptavit, nobifque gubernatorem dedit, unde fieret, ut omnes mutua caritate conjuncti, bonis, quæ nobis apprecabaris, nos haudquaquam indignos præberemus: patuitque profectò in tuis moribus confpicua adoptantis effigies Dei, quem Jacob Patriarcha vidit, quemque tu unicè dilexifti, ut ipfius gratiâ tuos reliqueris parentes, viciffim ab eo vitam relaturus, tibi in omne ævum manfuram.

Quoniam vero tuo, Pater, Sacerdotio fixi funt limites, quales Aaronico pofiti fuere, ut videlicet pater haberet filios in officio confortes, (cum Aarone fiquidem Eleazarus facra adminiftrabat in ritibus legis egenæ, utpote a Sacramentis vacuæ. Rurfus ut fublato rebus humanis parenti filius ritè fuccederet, indeque factum fuit, ut, Aarone mortuo, Eleazarus facrorum curam fufciperet, & Jofue Mofi fuffectus, jura defcriberet.) hinc fupplices te, Pater, etiam atque etiam rogamus, ut pro luctu, in quem tuus nos conjecit obitus, tuam populo tuo virtutem transfundas, quemadmodum Elias fpiritum fuum auctum in

in duplum Eliseo transcripsit, quo fiat, ut in tuæ disciplinæ alumnis expressam magistri teneamus effigiem, magnum dolori nostro allaturam levamentum, neque planè, nec usquequaque tuâ destituamur præsentiâ. Ditissime pauper, qui pauperes bene multos locupletasti, tuam profectò munificentissimam manum a tuis non continebis.

Ecce autem in sepulcrum tecum descendit ille, qui Mosi trajectum petenti mare divisit, tibique lucem in tenebris accendet columna designata Israëlitis viæ dux; in tuis namque membris reconditur Corpus suscitator mortuorum, & spiritûs tui sanguini immistus est Calix salutaris, haud illa te in periculo destituent, cui in regione Justorum parant coronam. Officia officiis compensare debemus, tibique mortuo habere gratiam, quòd plures divinæ scripturæ libros, quando vita manebat, explanasti. Præterquamquod æquum & justum est, te cultorem agri delibare fruges tuo labore apud gentem immundam quæsitas; Justorum siquidem adhuc populus te, Pater, expectat, apud quem arvorum tuorum proventus in horreum vitæ conditi te manent, illic te tuæ opperiuntur opes.

Pacatam pete civitatem, Pater, quam enim habitas, cives habet domestico bello implicitos, pax hinc semper exulat. Quum autem te mors ad sepulcrum deportaverit, tum verò Salvator tuus omnibus te eximet curis. Interea verò dum aliud tibi paratur domicilium, tanquam viator itinere lassatus longo, a via quære diversorium, sepulcrum hoc esse puta, in quo tantisper quiesces, donec, appetente præfinito die, destinatum tibi regnum obtineas. Interim tuarum virtutum laudatores audire non pigeat. Etenimverò quicumque tecum homine ad speciem simplici & inerudito sua quandoque contulere consilia, si docti quidem fuerunt, suam eruditionem, quasi meram inscitiam æstimarunt; si autem indocti, tales esse desierunt; sermo nempe tuus canon & norma disciplinæ fuit, & aspectus tuus gravis & dignitate plenus, levitatis & petulantiæ verber. Quicumque te aspexit, sua vitia damnavit; vitam quippe tuam omni labe integram esse animadvertit.

Præparationem cordis tui vidit Dominus tuus, utique ingenuam & candidam, agnovitque se a te unicè dilectum, suamque gratiam rebus omnibus tibi esse potiorem. Non ille ut sæculi tui mores, sic tuos reprehendit, qui non ignoraret, qualem

A qualem te hactenùs erga ipsum te habuisses. Euge negotiator sapientissime, qui inter naufragia plurimorum, amplissimas collegisti opes, & de misero & luctuosissimo sæculo hausisti, unde optimâ merce navim impleres; nunc verò quandoquidem post ærumnosam navigationem illum portum jam tenet, omnem felix nauclerus deposuisti curam.

Dexteram, Pater, lapso porrexisti, B te enim simili ruinæ obnoxium esse asseverans, præbuisti exemplum, quo confirmatus, se a lapsu relevaret, nec ipsum proinde puderet culpam fateri suam. His & hujuscemodi artibus Christo lucratus es fratres tuos, & opere complevisti dictatum a Spiritu sancto Jeremiæ oraculum. Qui *pretiosum separaverit a vili, quasi os Dei erit*. Quapropter ad tuum tumu- C lum accedentes haud ineptè consuetâ formulâ utentur: oratio tua nobis succurrat; pretiosam quippe in conspectu Domini esse mortem Sanctorum, Spiritus sanctus Davidis ore canebat.

Jer. 15. 19.

Cæterùm etsi Justos ingenti gaudio adventus conspectuque tuus cumulaverit, nos certe tui desiderium, ex quo decessisti, vehementer discruciat. Quamquam te cum Domino esse scientes, gaudio tuo D nos quoque gaudemus: interim verò preces pro nostra salute & securitate intermittere non debes eo in loco, ubi discipulorum tuorum oblivisci non potes; tui certè memoria nostris mentibus altè infixa est, nec ulla delebit eam oblivio. Indidem apprecare nobis, ut caritate mutuâ conjuncti domi, externos bonis factis doceamus, quæ a te didicimus; & discipuli E exemplum imitentur illius, qui fecit, deinde docere voluit.

CANON XXIV.

In Funere Clericorum.

SAulis Regis interitum David flevit, & occultam animi sui ægritudinem lacrymis patefecit; næ ego Davidem miror, tum quòd vitæ suæ insidiatorem, ne insidiis opprimeretur, tutatus est, tum F quòd hostis planxit mortem, quando is suo liberatori vitam eripere meditabatur. Jam etsi eam, quam obivisti mortem, vitam tibi peperisse credimus, eadem tamen optatam felicitatem tibi quidem attulit, nos contra gravi dolore oppressit; tui namque discipuli te amabant nihil minus, quam Saulem & Jonathanem David. Sic suus Samuelem populus cum ingenti luctu funeravit, audierat nimirum tonitrua, vim precum ejus testantia; Altissimus

mus nempe pura Prophetæ precatione flexus, inſolito nubium fragore ejus dictis fuerat ſuffragatus. Si mors Joſiæ Regi laborum ac miſeriarum quies fuit, ideoque nec lugendum fuiſſe putas, quis illa Jeremiæ ſuggeſſit? Omnes, qui juſtitiam colitis viri feminæque, Joſiam mortuum lamentamini. Eliſeum ægrotantem Rex quidam inviſit, ut autem ejus appropinquare mortem præſenſit, lacrymatus eſt & ploravit, rogavitque, ut pro populo oraret, non ignarus ejus preces eſſe maximè ſalutares. Annuit Propheta, & quibus valebat viribus & armis, Regis exercitum inſtruxit.

2. Par. 35. 25.

Joſue filius Nun, quum a morte prope abeſſet, vitæ præcepta ſuis dabat, hæc plorantibus interlocutus. Adeſtis, videtis, mihi quidem propinqua inſtat mors, vos autem ſervate legem, vos illa ſervabit. Eliam etiam ejus diſcipulus ſibi raptum lamentabatur, quamquam certior poſtea factus, quò ille provectus fuiſſet, ejus conſpectum & auxilium repoſcebat. In funere Lazari illa a Domino dicta legimus: *Hæc infirmitas non eſt ad mortem*; inde namque innotuit ejus potentia, cujus ſpiritu cuncta vivunt, cujuſque vox ſepulcri, in quo tunc Lazarus jacebat, clavis fuit. Trium tunc oculi lacrymarunt, Marthæ ſcilicet, atque ſororis Mariæ & Domini: jam ſi is, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, extinctum luxit amicum, quiſnam, ſi tamen mortuum amat, ejus obitum non doleat?

Joſ. 23.

Jo. 11. 4.

Interea tamen dum hæc ſuprema fratri ſolvimus, te, Domine, rogamus, ut eundem aliquando revicturum, iterum nobis repræſentes in regno tuo choris Sanctorum adjunctum, in clara utique refulgentem luce, & gaudio lætitiaque exultantem. Et quoniam ne ad nos ille accederet, noſtraque inviſeret ædes, interceſſit acerba mors, ejus abſentiam, confidimus, Jeſus ipſius præceptor ſupplebit, hic noſtras viſitabit domos, ſuaque virtute communiet. Etiam, Domine clementiſſime, pauperis ſervi tui memento, eique reddito mercedem ſuſcepti in concinendis laudibus tuis laboris: item precor, ut eo die, quo meum agitabitur judicium, tuâ me complectaris clementiâ, ne ſi cauſâ cadam, Sanctorum obſcuretur gloria, hos enim in hoc periculo meos elegi defenſores.

Qui mortalibus vitam tribuit, caritate, quâ fervet, oſſibus in tumulo projectis motum reſtituet, buccinam ſuo inflabit ſpiritu, qui vitali aura afflabit cadavera, Inferorum valvas ſuo clangore recludet: hic orandus eſt, ut mortuum Patrem

[illegible]

trem nostrum jubeat ejus prædicare laudes, & nos unà cum illo & Sanctorum choris suave tantaque majestate dignum decantare melos. Appropinquat dies magna Filii Domini rerum, in qua Mundum, qui fecit, innovabit. Orate, fratres, ut commiseratione veniâque non indignus inveniar in eo, quod meis actibus habebitur judicium: timeo, carissimi, illam sententiam, heu quantum terribilem! *Non omnis*, *qui dicit*, *Domine Domine*, eò intrabit, ubi se sperat in bonis, nullo adjuncto malo, cum Sanctis semper victurum.

CANON XXV.

In funere Clericorum.

Abeundi modò instat necessitas, abitum non timeo accersitus a Domino, a quo confido coronam gloriæ mihi reddendam, nihilque proinde ad felicitatem defuturum. Ab Angelis, qui te a nobis separarunt, ad Beatorum sedes translatum iri te credimus, optatum Conditori offerendum munus. Quapropter tibi beatum gratulamur exitum. Non ideo tamen de tua salute minus soliciti pro te vota suscipere absistimus; te autem, Domine, deprecari, ut servo tuo tribuas cumulatam illam bonorum complexionem, atque illâ maximè optatâ & expetitâ securitate in Cælo animum ejus tranquilles.

Clanget buccina, & tuba canet, eoque velut classico omnes mortales ad resumenda relicta corpora vocabit, etsi Justi dumtaxat nubibus invecti Domino occurrent, eoque ducente vitam inibunt perpetuis plenisque gaudiis beatam. Quin ergo te felicem ducam, quem manet in Cælo corona floribus conserta nunquam morituris? Isthuc porrò beneficium vitali illi voci te debere intellige, quæ cùm Inferorum locis intonuisset, cadavera perculit, & è tumulis excitavit. Etiam, Domine, eo die, quo tuba silentes ad judicium vocatura, vastum clangorem fundet dignare me congruentes tuæ Majestati hymnos tibi concinere.

Flos eras, Pater, opidò quantùm amabilis! mors te modò decerpit, Abrahamus Patriarcha venientem effuso sinu excipiet. Cæli portæ patentibus foribus operiuntur, ut ad æternam transmittent requiem, & plenum gaudium. Verè æquum & justum est, ut te, Domine, omnes, quas condidisti res, summis efferant laudibus, cui sic placet, dissipatum Adæ pulverem undique colligere.

A

CANON XXVI.

In Funere Clericorum.

TUam, Altiſſime, bonitatem omnes mortales in animo & ore habere debemus, qui ad ima te demiſeris, & homo factus, aſſumtum corpus mori, & a morte redire volueris, ut ejus contactu corpora noſtra reviviſcerent. Tuus nos, Pater, obitus vehementer afflixit, nec dolor is eſt, quem tempus lenire poſſit. Nunc verò quiſnam te nobis reſtituet locus, gloriæ columen noſtræ, noſtrique capitis corona, cujus colloquio aſpectuque populus noſter ovabat? Siccatus eſt fons illimis & purus, qui placidis ſalientibus Eccleſiam noſtram irrigabat; quid enimverò tuâ diſciplinâ nitidius, quæ Solis ad inſtar terras noſtras ſua luce exhilarabat? Quid caritate tua ad noſtra commoda profuſius, quæ noſtrum nunc exaſperat dolorem, & ante tùm ſuis præceptis nos erudivit, cùm ſtatutis & ordinationibus rerum noſtrarum ſtatum compoſuit? Quid tuis adhortationibus efficacius, quibus ad ambiendam vitam immortalem nos inflammabas, & ad comparandum nobis ornatum cæleſti convivio non indecorum? ſed & optima exempla nobis in tuis moribus deſcripſiſti, tuæque vitæ integritate nos adverſus vitia obarmaſti. Inde, Pater, paratur felicitas tibi, nobis contra metus & gravis ſolicitudo; quiſnam enim tui ſimilem nobis reddet, o ſpeculum noſtrum? non quòd jam tenes, quæ beatam vitam efficiunt, eo offendimur, ſed quod tibi nos affari poſthac non licebit, quod abis, quod nos deſeris, quod in oras remotiſſimas ſis profecturus. Heu quis exinde ſimili nos diſciplina imbuet? quis nos verè pueros a vitiis timore pariter & amore frænabit, atque ad modeſtiam & pietatem informabit.

B C D E

CANON XXVII.

In Funere Clericorum.

PErii, niſi quid reſpicias, Domine, ædes fui beati viri, ipſius præſentia me mirificè decorabat, hìc ſiquidem ejus citharæ cantus noſtras mulcebat aures, ejuſque ſermo nos recreabat. Tu, Domine, qui afflictos relevas, & ſanas ægros, tuam, oro, mihi adhibeto medicinam. Et quandoquidem ejus vocem audire non poſſum, tenui aliquo lucis ejus crepuſculo lætifica me. Conſolator optime, ne, quæſo, vultum tuum avertas a me, poſtquam ab habitatore meo deſerta ſum: ſqualorem meum pax tua tergat; en oculi & manus ſecreta exploravere conclavia, renun-

F

[illegible]

renunciant autem nusquam repertum beatum, cujus gratiâ Piorum me turba frequentabat. Aures item testantur ejusdem silentium, vocemque fuisse suppressam. Quis vulnus alligabit meum? Et quidem si ille me sublime extulit, utique etiam humi depressit; postquam hinc decessit mea securitas, incessit simul mea tecta pavor & horror. Ut extinctum vidi, ut obstupui, sustulit sensum, quæ abstulit decus meum mors. Conticuere sodales, quæ me beatam prædicabant, postquam occidit gloria mea, gaudium quoque fugit, subiitque mœror & luctus.

CANON XXVIII.

In Funere Principum, & Divitis cujusque.

[illegible]

JUstitiam sepulcro assidentem contemplatus, rogabam, cujusnam esset tumulus, quisve sepultus ibi putresceret; non enim, ajebam, id satis explicat informis, quam video, ossium compactio. Conditur hìc, respondit, ex priscis Regibus quidam opibus & armis, rebusque gestis clarus: adesdum ejusque præsentem intuere statum: ponè jacet, vides, alter, mendicus is fuit: summæ & infimæ sortis homines præ oculis habes, alterum ab altero discerne, si potes. Quum porrò processissem ad ossuarii limen, occurrit prior mendicus fœdè humi projectus, sordet caput telis aranearum obrutum, truncus jacet immobilis, exerti dentes, os cinere fartum, ossa suis exuta cæmentis abierant magna ex parte in cineres. Ad hujusmodi sordes redactum hominem in sordibus natum non miror, mecum ajebam, talis profectò non occurret Rex, putabamque cum homine ejus dignitatis & amplitudinis, apud Inferos non secùs, quàm apud nos actum iri, ejusque proinde cadaveri plus honoris deferendum. Errorem tandem agnovi meum, postquam ad Regis sarcophagum progressus, vidi fortunæ prioris altitudini successisse squalorem, & nudam humum, odoratis unguentis graveolentem saniem, & omnem veterem gloriam consequente ignominia fuisse obscuratam, ut illud non Regis corpus, sed fimus in sterquilinium projectus videretur.

Ingemui enimverò, & o cœcam, dixi, mortalium superbiam, in quantam contemtionem te venire necesse est! ut hominum conditiones variæ & dissimiles sint, & alter Rex sit, alter mendicus, mors æquat omnia. Nemo itaque suis credat opibus, hìc tandem relinquendis, vel bonis dominum hinc decedentem minimè secu-

fecuturis, nemo de eleganti & pulchra corporis habitudine & oris venuftate fuperbiat, res per fe fluxa & fragilis fepulcro commiffa, deflorebit & evanefcet.

Infernum cunctorum viventium helluonem vidi fartum, nec ideo faturum, quin imo, geminato mortuorum numero, animadverti ejus intendi ampliarique finum, & corpora quidem jam obtinet, quorum cenfum extra eum, qui illa in eum carcerem compegit, nemo tenet: nec ulla hominum conditio, feu felix, feu mifera huic legi eximitur. Hinc procefferam, quum apparuere conglobatæ cadaverum turmæ, plurimæ licet, difcretæ tamen, omnes filent, non vox, non fenfus manet, nemo, quam ivit, redivit viam, nec datur cuiquam fodalem inde educere, nec conceditur Regibus hìc aliquid poffidere, nec fuperbis fe aliis arroganter anteponere, nec voluptuariis luxui vacare, nec avaris in quæftus & lucra incumbere. Regem condit humus & quod congeffit aurum; pondus inutile terræ evafere ambo, utque congregatæ opes hæredi profuturæ fint, domino certè fuo, quum huc appulerit, prodeffe non poffunt. Sepultus jacet fuo cum fcelere fceleratus, in gehennam tandem detrudendus: Juftum excepit fepulcrum, uti ultima rerum humanarum linea, fic ærumnarum & miferiarum finis, ut aliquando ad Beatorum fedes tranfmittat; pauperem item fpiritu fecum unà ferentem erogatas in egenos pecunias, ad fimilem fortem deftinatum.

Offa potentioris fimul ac tenuioris contemplabar, explorans uter fceletus compare venuftior effet, reperi pares. Nec fua formofos fpecies fequitur, unde fuperbiæ & oftentationi fuppetat argumentum. Quos ante byffus ornabat, atratos in lugubri amictu prodire video; quique pigmentis formam mentiri folebant, fœdum in modum deformatos, ferpente tinea corrofos ac populatos oculos ftibio ante renidentes: nec diffimilis luxuriofos tabes in fordidum retrimentum tranfmutarat. Superbi, quos gloriæ fpecies deceperat, jam fumus & umbra erant, & ambitiofi, quos honorum fplendor cœcaverat, defpecti abjectique calamitatis fpectaculum evaferant. Jam videre erat dominationem & primatum ambientes humi afflictos, & qui eruditionis famam captaverant, doctique videri affectarant, jam nec mentis effe compotes fuæ. Opulentos, qui divitias, quas fugiendas effe fciebant, confectabantur, extremâ inopiâ labo-

[illegible]

laborare, & obvio & facilè parabili victu egere; nemo hìc pugnat, diffidet nemo, odia permixtis oſſibus extinxit & ſuſtulit ſepulcrum.

[illegible]

CANON XXIX.

In Funere Peregrinorum.

[illegible]

QUos infeſti exercent caſus, exemplum a me petant, meoque moniti infortunio diſcant patienter ferre, quod exules, extorres, & omnibus deſtituti ſubſidiis intereunt; dediſcant contra divites copioſique faſtum, ſuamque damnent inſaniam amatores præſtantium formarum meo & ſodalium exitu correcti, ſed & delicias & oblectamenta conſectantes intelligant, in rebus humanis nihil non eſſe mortale & caducum. Sed nec leve tenent hic argumentum ſapientes, unde eos pudeat ſui Conditoris ſcientiam neglexiſſe; & formoſi, unde ſuam redarguant levitatem, ut qui de naturæ dono, eoque precario & fragili ſeſe efferant: Caſtis præterea juvenibus inſinuatur utile documentum, ut ex eo, quo vident trepidare me metu, in timore Dei ſibi perſeverandum ſtatuant, nec non virginibus, unde malorum impendentium præmonitæ ſua pericula reputent, & aſſiduè fleant. Quicumque ergo inſanire nolunt, pro comperto habere debent, oram, ad quam tandem nos omnes appellere neceſſe eſt, mortuorum eſſe regionem, in qua nos excipient cæca nox & inſcrutabile cahos, quaſi carceris cuſtos, atque loci domina mors, leæna cuncta circum pervadens, ac ſemper rugiens. Catenati jacent promiſcuè cum plebeis potentes quique, quorum corpora vermibus data præda putreſcunt, ſapientum ora ſilent, carnes marcidæ in fruſta dehiſcunt. Juvenum cervicibus, & virginum mors inſultat, exedit toros & oſſa, & omnem formoſorum corporum ſpeciem ac venuſtatem deperdit. Morti, quam dixi regionis dominam, adſtant carnifices; præſes atque lictores æquè immites ſunt, nec illos tangunt ullæ miſerorum querelæ. Immaniſſimi hujus Regis militiam componunt malorum dæmonum catervæ, quorum operâ genus humanum occubuit, & perpetuæ ſervituti addictum fuit. Tentorium tyranno excitarunt ſui apparitores, captis ſpoliis cum ipſo ſimul ovantes.

Adami ſoboles proſtrata draconem paſcit, & in hunc detruſa carcerem ingemiſcit infelix, alta ducens ſuſpiria, & amaras profundens lacrymas, inutiles tamen, nemine miſeris opem ferente. Commune fatum eſt, cui nec enimverò exemti fuere

re gigantes Sethi & Enoſi nepotes, viri famoſi; nec enim mors admirandam eorum proceritatem, nec immunem ab omni labe decorem reverita eſt, quo minus humi dejectos protereret & perderet. At verò quam credas parem dicendi facultatem ſuffecturam carceris illius horrorem enarrare cogitanti? obſident quippe locum ſpectra eò intrantibus horrendum in modum infeſta; Mors & mali dæmones excubant ante fores, intus rabida ſerpit tinea, velut œconomus, corporum præcipuè formoſorum vorago. Me miſerum, fratres, quò me mea præcipitavit ſors! Meum flete & plorate caſum, qui ocyùs in ſepulcrum detrudendus ſum. Mortem jam video patulo ore in obvios quoſque irruentem, ſuoque flatu rerum quantumvis pulcherrimarum formam extinguere, & ſub humum, velut ſordida retrimenta detrudere. Quis dabit, fratres, veridicum nuncium, qui ab inferis redux ejus loci ſtatum ac rationes nobis retexat, & mala, quibus ejus compita redundant? Veſtras, fratres, lugete clades, & communem familiæ calamitatem, quæ vos a carorum conſortio avellet.

Interea, quum mors gaudio triumpharet, & victoriâ ferox exultaret Infernus, portiſque patefactis omnium ætatum & ſæculorum mortales promiſcuè intra ſua viſcera reconderet; nec ſecus ac immitis Tyrannus in bonos & inſontes ſæviret, adeoque nec viris ſanctiſſimis parceret, accidit, ut & illum ex ſe ſanctum & ingenua virtute inſontem raperet, ſibique ipſum ſubjiceret, qui verè fortis & potens eſt, atque ad propria ſepta caligine atrâ opacata raptaret, ibique deponeret; atenimvero retinere non valuit; Rex quippe fortiſſimus triumphali cum pompa inde emicans, mortem invaſit, & in ſua ſede profligavit, mox etiam in vincula conjecit, carcerique ſempiterno addixit. Viliſſimum inſuper latronem generi humano perpetuò inſultantem comprehendit, & proculcavit, extirpavitque infernum omnium mortalium helluonem, & corporum ſacrorum corruptorem. Malos Dæmones voce tremefecit, loca tenebroſa concuſſit, mortiſque acies cum ſuo duce profligavit. Clade acceptâ, mors ululabat, & infernus longè lateque per loca horrifico clamore reſonabat.

Irrugiit enimverò catulus leonis, & portas Tartari contrivit, corruerunt muri deliciis affluentis & opulentæ arcis, ejuſque occubuere fortes, ſtatim ut Chriſtus Aquila præpotentis Dei ſoboles divina tonuit voce. Mors attonita ſtupuit, ſubmiſitque caput ſuper-

[illegible]

A superbus, qui Divinitatem ambivit, Christus perditionis increpuit auctorem & dejecit, prostravitque perduellem. Adamum inclamavit cæco in carcere tabescentem, vinculisque exemtum, ad pristinum honoris gradum revexit. Infelix Adam, ubi jaces, qui conjugis consiliis deceptus corruisti? Agedum facesse isthinc verè Magni magna imago, accede & vide mortem & Diabolum jam occubuisse, & draconis contritum caput.

B Adesto & lauda Patrem per Filium, & Spiritum per Unigenitum, cujus gratiâ soboles tua extincta reviviscet, in cælestibus sedibus vitam auspicatura immortalem. Euge, formose Adam, divini Patris manu formatus, en patrium solum te opperitur Paradisus, & hortus deliciarum, miseriarum tuarum principium, ubi prius collocatus, inde ejectus fuisti. Ingrede-

C re patefactum ad immortalitatem aditum sequantur nati & nepotes; huc nempe vocat, qui ab initio de luto finxit: Paradisi nemora hucusque tuum luxere casum, redditâ jam formâ decorus, imperio assuesce tyrannum, qui corpus tuum miserè dilaniavit ovans & exultans irride, proculcato caput draconis tuam sobolem vorare molientis.

Protoplastus Dominum venientem conspicatus assurrexit, & accedens pro-

D nus adoravit salutis suæ Reparatorem, qui Cælo ab alto se demiserat, ut ipsum perditum requireret. Adoro te, Domine, dixit, ego & nati mei mecum, beneficium agnoscimus, quòd veneris & lapsos sublevaveris. Te Deum, Dominum & Salvatorem nostrum confitemur testamurque, tuâ nos gratiâ liberatos a morte, quæ diù multumque corpora nostra vexavit & lusit. Rogamus te, Domine, ne in his locis nos

E deseras, neve committas, ut immanis ille tyrannus, qui nos ante occidit, in posterùm lacerare pergat, supplices exaudi nos tu, qui vita & lux nostra es. Utque nos omnes tuâ benignitate condidisti, sic tuâ clementiâ fove. Equidem olim in Paradiso, statim, ut vox tua meas pepulit aures, latebras petii, qui essem nudus, quum autem inde ejectus, extorris & omni ope destitutus æger

F jacerem, simul ac illa insonuit, languentem excitavit & erexit. Ego verò parem pro beneficio gratiam habere nunquam potis ero, tùm quod mihi captivo libertatem asserueris, tùm quod mortuo vitam & gradum restitueris pristinum. Tantam profectò in me liberalitatem nunquam non testabuntur omnes posteri mei, prædicabunt utique semper te nostrarum depulsorem calamitatum, generisque nostri restitutorem. Tibi igitur tribuatur laus in

Cælo, quod tuo numine a principio exædificatum est, tum in terra, quæ te jubente, è nihilo emersit: Mundus universus æternam & ex se existentem naturam suspiciat & prædicet. Etiam, Domine, omnium ora te laudent, laudabilis quippe tu es solus.

CANON XXX.

In Funere Patrisfamilias.

INdictus singulis mortalibus hinc emigrandi dies a vestro convictu actutùm excedere me compellit, & in diversorium concedere amplissimum ad inferos usque porrectum. Missus a judice lictor, priusquam ejus adventum præsentiscerem, inopinum corripuit; quumque supplex flagitarem, ut discessionem sustineret tantisper, dum propinquis dicerem postremum vale, rejecit supplicantem, quin & munera offerentem: Angelum namque eum esse mortis nuncium necdum compereram, scelestis nimirum maximè infensum, sed opinabar, quempiam esse ex genere mortalium, atque proinde, si non precibus, certè donis flectendum; ut autem mox intellexi, inferni carceris esse custodem, continuò saluti desperavi meæ; aspectum enimverò expavi, exhorrui vocem, pavor & horror animum & corpus perculit & perturbavit; sic articulos a sua sede movere cœpit, artus ab invicem divellere, & corpus & animam collidere, abscidítque stamen a telario, ac telam convolvit & abstulit: citharæ nervos concidit, suppressitque cantum, arborem vitæ extirpavit, & poma cum fructibus perdidit: loquelam linguæ abstulit, ademit oculis lucem, lucernæ lumen solvit in fumum: oris forma defloruit, & corpus in cognatum pulverem, sicut scriptum est, rediit.

Has inter deprehensus angustias, quid agam, carissimi, equidem non expedio. Ecce me mei dereliquerunt quæstus & opes tanto cum labore collectæ, ut hæredibus utiles futuræ sint, nil certe mihi, sat scio, in posterum profuturæ: amplissimas ædes, tum æstivo, tum hiberno tempori opportunas ego ipse construxi, quem hodie mors in tenebricosum carcerem compinget, neque ex tanta rerum copia quidpiam me hinc abeuntem sequetur præter vitæ præteritæ meæ malefacta, viæ, quam ingredior, impedimenta: si quid in bonis habui alius deripiet herus, mihi mea peccata relinquens: utinam quemadmodum prædia, quæ possideo deserere compellor, sic quæ meam conscientiam onerant, noxas deponere liceret, & sicut a mortalis vitæ oblectamentis invitus

[illegible]

tus nunc abesse cogor; sic a meis vitiis ante remotus esse voluissem. Qualem esse dices divitis laborem, qui suas non sibi collegit opes, ad alienam quippe brevi venturas manum, & veterem dominum inopem nudumque relicturas; sic utique meam alii substantiam suam facient, mihi verò viam longissimam ingressuro, viaticum etiam negabunt affines quicumque, & maximè propinqui, meque tanquam extraneum nec ad ipsos ullatenus attinentem despicient.

At vos, filii, quò vos, amisso parente, vertetis; quis vos impuberes educabit, quis alet orphanos? hodie namque meo exitu domus diffissa est, vosque facti estis pullis similes a matre relictis. Ad vos itaque, cognati & amici, supplices tendo manus, ut sanguinis, & veteris necessitudinis memores, meas in hac parte vices suppleatis, & pupillorum tutores & curatores facti, castra a suo præfecto deserta defendatis. Attendite, quæso, Concionatorum monita, Spiritus sancti oracula reveremini, utraque nimirum pupillorum, & viduarum curam summopere commendant. Pii auditores, exaudite precantem, afflictum sublevate, & quæ peto, diligenter perficite, confido equidem, fore ut pro præstita mihi ope misericors ille vobis aliquando in simili statu constituendis propitius adsit, & succurrat eo die, quo præmium pro bene factorum merito soluturus adveniet. Sed & vos, carissimi, iterum obsecro moneoque, ut quieti sitis, & mansuetudinem & misericordiam colatis: sapientum consilio obtemperate, quæ animæ utilia sunt, satagite. Seriò attendite, & considerate amplas, quas ex mea negotiatione collegi divitias, quomodo ex his ne pilum quidem extra maleficiorum meorum sarcinam meum ad tumulum importem. Vos autem mea desideria, meo ex obitu conceptum mœrorem facessite; supremus namque Pater res vestras curabit. Præpotens illa vis, quæ Patriarcham Joseph profugum comitata est, & exulem aluit, eadem confido, pro sua immensa liberalitate vobis prospiciet, & alimenta subministrabit. Quare vos viscera mea summo illi omnium viventium Parenti, cujus mente mundus regitur, cujus benignitate consulitur generi humano, etiam atque etiam commendo, ipsumque rogo, ut vos afflictos recreet, & si qui infesti casus inciderint, præsenti suo numine relevet. Crux Salvatoris nostræ salutis caput libertatisque pretium domum cum suis habitatoribus

custodiet, spero, & vos salvos atque incolumes præstabit.

Reliquum est ut ad vos, Sacerdotes sancti & omnis Ecclesiasticus ordo, supplex me convertam, vestramque obsecrem fidem, ut Dei nostri misericordiam mihi exorare satagatis, quatenùs me sinu Abrahæ dignum efficiat, & ad optatam securitatem & expetitas Beatorum sedes cum Lazaro mendico me transferat, atque a divitis contubernio separatum, incendio, quo ille crematur, eximat: membrum utique vestrum sum & ex baptismo frater, mei proinde memores, meorum pupillorum curam suscipite, quoniam etsi ego vos prope relicturus, gratiam pro beneficio referre nequeam, Deus, cujus maxime propria est beneficentia, quod ego debeo, vobis in regno suo liberaliter rependet.

Postremum quia vehementer timeo, ne postquam sepulcro illatus fuero, arguar reus orbitatis meorum, meque meis illam accersivisse malefactis, quod unum mihi relictum est, te summe Deus, invoco, qui Prophetæ ore illa locutus es: *Relinque pupillos tuos, ego faciam eos vivere.* Fer opem mihi & natis meis prospicito. Et quandoquidem morti mandasti, ut a filiis meis me separaret, misericordiæ tuæ, communi omnium viventium matri, illorum curam committe, meque, sicut olim latronem miseratus, ad te prope venturum benignè excipito; natos, quæso, meos ne in orbitate sua tuâ providentiâ destituas, accepti beneficii nunquam non memores futuros.

Jer. 49. 11.

CANON XXXI.

In Funere Matrisfamilias.

Hevæ exitum quum aliquando animo revolverem, stupui factum, exitium ingemui. Mox quum eandem in mortis & vitæ confinio constitutam contemplarer, & adscriptâ divino decreto horâ è corpore divulsam, hæsi enimvero attonito similis, inde alta ducens suspiria, utinam, dixi, in censum filiorum ejus nunquam venissem, mors fortè modò non me turbaret, nec migrationi præstituta dies tristi sequentium malorum expectatione me suspensum teneret. Hevæ namque crimen est, quòd omnes morimur, ipsa viam morti prima munivit: quid ergo profuit, quòd Adæ adjutorium data fuerit? imò quantùm nocuit, quòd natos suos morti fecerit obnoxios, totique indixerit posteritati inevitabilem hinc migrandi horam? O lacrymabilem tuum, Heva, interitum, o in-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

[illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A ò infaustum, qui te sustulit, diem, in quo velut in exemplari repræsentantur omnium mortalium funera, & longa mortem præcedentium calamitatum series. Sic generis nostri parens facta est laqueus mortis, quum viveret, luctûs argumentum, quum moreretur.

In mortis itaque articulo constituta mater turbam filiorum, ac nepotum, sororum & sodalium ad funeris exequias convocavit maximo cum animi dolore B atque mœrore, qui quum convenissent frequentissimi, & circumfusi lectum obsiderent, illa confertam carorum catervam circumspectans, diu flevit, mox cœpit illorum orbitatem lamentari sic, ut simul etiam exasperaret dolorem. Quid faciam, filii, dixit, jam præsente lictore, & ulteriorem hìc mihi prohibente moram. Ehu quis me hinc invitam excedere ju- C bet, & repugnantem a carissima prole divellit. Mea desideria, mea viscera, quis nos ab invicem separat? siccine compellor relinquere, quos inter tot ærumnas tanto cum labore alui, ratumque est, ut posthac vestrâ consuetudine caream? Concesso virginibus honori vestri gratiâ ante renunciavi, & nunc postquam facta sum mater, de susceptâ prole gaudere prohibeor? O quis mihi præteritos viridis juventæ annos D restituat, sic ut liberis simul & culpâ carerem, cælebs, sed innocens: vel quis mihi tribuat tales vos cernere, quales suos Semone suspexit natos? Heva donum exitiale dedit, cujus syngrapha tanquam pro fœnore reposcit suscipientis interitum; o vitæ parentem, quæ natis suis peperit interitum, concepit, peperit & enixa est simul superaggeratis ærumnis, & miserrimo E exitu eosdem tumulavit. Si mortem utique non introduxisset, nec sanè in partu ipsa doluisset, doluit tamen, quia nati culpâ ejus moriuntur.

2. Machab. 7. 20.

Ecce autem filia Hevæ diem mortis nobis moriendo rememorat. Superstites nati ad matris funus de more vocati, convenere, nactique cum morte luctantem, his compellant vocibus. Mater tuorum amor natorum, ò quæ te à nobis infesta F avellit vis? habes hìc tuorum filiorum catervam, vocem tuam audire cupit, oculos attollito, & circumspice carorum tuorum turbam, circumfusi lectulum ambiunt, teque dolentes inclamant, uti sponsum extinctum thalamo viduata conjux: Quid obticuisti & nihil respondes mater. An fortè tibi loquendi facultatem ademit mors? Age, porrige manus, tende brachia, ultimos dato amplexus gnatis, & suprema infigito oscula, quos cantare solebas,

lebas modos, ſic tuis negas infantibus, en projecti provolvuntur humi. Ubi nota erga prolem caritas? quid ita ceſſarunt ſolita hilaris vultûs ſermoniſque blandimenta?

Porro ſi rebus es ſublata noſtris, dicito, quis te nunc detinet locus? quò te inveniendi ſpe tendamus iter: pullos tuos nos eſſe puta, eò convolabimus, magnam laboris mercedem laturi, tuo ad quantulumcumque temporis ſpatium beari conſpectu; quandoquidem domum intrantibus jam nihil præter ſqualorem & luctum occurrit, ipſi parietes dum tuas enarrant & laudant ordinationes, conceptam de tuo obitu mœſtitiam exaggerant. Heu quis tuas, te ſubductâ, ædes deſolatas reliquit, luctuque implevit & queſtubus? Quis caſus tuum interrupit iter, & per cæcos tramites extra viam vagari cogit? vel quæ procella a noſtro convictu abreptam procul abjecit? Natos, mater, exaudi clamantes, plorantes aſpicito: medere quod moriens tute intuliſti vulnus.

Ecce autem tuæ te ſodales repoſcunt, repetunt nimirum veterem neceſſitudinem, mœſtæ tuum nomen ingeminant, nec tamen ut ante licet nunc audire, quum naturâ jubente taceas. Inde lacrymæ, gemitus & miſtæ ſingultibus querelæ. O nos miſeras, exclamant, quid te, cara ſoror, obmutuiſſe cernimus, quidni tibi liceat tuas affari ſodales, tuus ecce vacat in noſtro conſeſſu locus, poſtquam tibi inter nos verſari, & nobiſcum agere deficiens natura vetat. Heu, cariſſimi, quid faciam, cedo, quum mors à veſtro me conſortio abigere obſtinet, & veſtrâ in poſterum conſuetudine carere cogat angelus mortis? is ſcilicet violentus inſiliit in ædes, meque nec opinantem corripuit, & abduxit: inexorabilis eſt, nec preces attendit, nec obſecrationes reveretur, nec flectitur lacrymis, nec lamentis commovetur, ad munera non reſpicit, aſpernatur aurum, matrem à prole divellit, orphanos relinquit natos, formoſos non miſeratur, fortibus non parcit, labefactat formam & luto fœdiorem facit, oris gratiam corrumpit, & omnem corporum ſtatum, ac venuſtatem confeſtim perdit, oculis viſum adimit, auditum auribus, fucum & pigmenta in ſordes tranſmutat, muliebrem mundum pulvere contectum proculcat, ora queſtubus implet, & vocibus dolorem miſcet.

Vide hæreditatem, quam nobis Heva mater moriens reliquit, ſyngrapham nominum percurre, ſupputa quantum mors exiget fœnus.

[illegible]

A fœnus. Contemplare ædes, quas nobis architectata est mater, sepulcrum videlicet, tenebras & supplicium: en thalamus, quem suis Heva rea mater filiabus construxit & ornavit, & thorus, quem illa stravit composuitque, cadaverum humandorum feretrum id est: en via, quam munivit interdictam viventibus, dum vita manet, en semita, quam aperuit, filios extinctos ad sepulcrum ducentem. Videte, quæso, soda-

B les, & expendite, quæ ego lucra ex longa vitæ meæ negotiatione reportaverim? nulla sanè præter peccata & maleficia, tenebricosum carcerem, & ardentem rogum sequaces & horribiles pœnas. Cultus, munditiæ, ornatus ecce jacent, armillæ torques, & mundum omnem meum detraxit mihi mors, cui enimverò ornamenta non placent: & illa vestium magna supel-

C lex, pertinaci labore parata, mihi jam nulla est. Confusus & impexus capillus, heu quanti laboris, & quantæ industriæ opus, ut modò in cincinnos certa lege dispositus cumularetur in aggerem, modò per intervalla contortus cubaret ad humerum.

Dispereat Mundus, a quo infelix decepta sum, priusquam ejus fallacias cognoscerem. Veterator callidus cavit, ne

D decretam mihi ab ejus tectis discessionem subodorarer, nec ego unquam præsensi futuram rerum ejus conversionem, illumque post generalem totius naturæ dissolutionem perpetuò obruendum silentio; nec incauta prospexi lutum, quod mentitâ formâ me fallebat, hic remansurum, & utinam unà cum illo remanerent, quas mihi allevit, labes. Florem credidi pulcherrimum,

E quales fert plures ver novum, nec reputavi consequentis æstatis ardore siccandum. Pubescentis juventæ specie quasi objecto flore me mundus inescavit, inque suum rete pertraxit. Auri argentique pondera tanquam electa frumenti grana proposuit, eâ escâ quasi stolida avis capta fui, quas mihi congessi opes, quasque affectando diu erravi, mors abstulit spemque omnem & consilia pervertit. Oris de-

F cor & amœnæ gratiæ genius, illâ comparente, evanuerunt. Formam, fateor, artificio misera colui, naturam fuco oblitam exterminavi, ingenium levitati vendidi; subducta sunt omnia & velut lutum profligata & perdita. Juventus illa amoris illex, dulcis & blanda adolescentia, mortis ambæ subiere jugum, utraque simul in sepulcro deposita. Femina omnis, cui elaborata placet vestium concinnitas & quæsita pulchritudinis lenocinia, ad me, cedo,

A cedo, reſpectet, ſuam, credo, levitatem erubeſcet, quæve gemmarum copiâ cultuſque luxuriâ ſuperbit, vel ſibi placet de oris venuſtate, & eximia corporis ſpecie in meo cadavere rerum humanarum caducitatem relegat & defleat, ſimul diſcat brevi caſura omnia, quæ adoleſcentem deceperunt, & juvenem fecere ſuperbum; ductâ namque rerum noſtrarum ultima lineâ, cuncta dilabentur, humoque obruta in nihilum tandem recident. B O ſi feminæ, quæ fugientem formam inſequuntur & errant, munditiaſque inſaniunt, nunc mihi morienti adeſſent, profectò reſipiſcerent, quæque tanti faciunt, planè deſpicerent.

Morti nulla poteſtas eximit mortales, nec vis ulla ſubtrahet ſepulcro, non fratres, non parentes, non circumſtans filiorum corona, non familiæ ſplendor, C non generis claritas, non propinquorum vel amicorum numerus, non aurum vel argentum, non oris, aut gemmarum nitor, non cultus & ornatus, non ampla veſtium ſupellex, non fucus & pigmenta, non dona vel munera, non pecuniæ vel prædia, non dignitas vel honores. Cuncta hæc uſque ad tumulum, quo quum ventum fuerit, rejiciuntur tanquam extranea, neque loco, neque ſtatui congruentia. D Mortuis ſanè non proſunt lacrymæ & planctus, non luctus, non lamenta. Virtus, quæ vitæ fuit ſocia, mortis comes erit. Fuſæ preces, & erogatæ pecuniæ morientes non deſerunt, & in orthodoxa fide conſtantia arma etiam miniſtrabit.

Interim cum lacrymis & precibus ex pio dolore profuſis pro defuncta oremus. E Suſcipe, Domine, pro tua clementia ſpiritum ancillæ tuæ in pace, & pro tuarum miſerationum magnitudine inter ſanctos & electos conſtitue, ejus peccata dimitte, relaxa & ignoſce; non intres in judicium cum illa, neque memineris erratorum ejus, & quia in manus tuas commendavit ſpiritum ſuum, hunc, quæſumus, tuæ Crucis ſigno tuere & protege; & quia invocavit te in die mortis ſuæ, F audi & exaudi vocem deprecationis ejus. Junge illam choro ſanctarum Virginum, ut ſuos illa cantus cum earum cantibus conjungat, & laudet te, qui laudandus es ſemper a vivis & mortuis in ſæcula, amen.

[illegible]

CANON [illegible]

CANON XXXII.

In Funere Mulierum.

Lacrymis madent oculi, tristia obstrepunt auribus nuncia, tumultuantes cum lacrymis questus os exagitant, cor opprimit mœstitia. Tu, Domine, clade me miseranda obrutam, supplicem, undique afflictam in statum, unde dejecta sum, restitue. Heram hic dies expulit, domus idcirco tota jacet, squalido turpis situ. Tu, Domine, offusas tenebras dissipa, & perturbatum rerum ordinem repone. Ejus obitus ædes nostras gemitibus quassat, parietes ipsos mœstitiâ & squalore obduxit. Lux tua, Domine, hanc precor dispellat noctem. Sic mortalis quisque intra diei unius spatium oritur & moritur, quæ enim sequitur vitæ usura, pœna est, ejusque finis etiam familiæ luctum parit. Hinc porrò multum habes, pro quo gratias agas supremo vitæ mortisque Arbitro, quod hanc mulierem ærumnis luctuosissimæ vitæ subduxerit.

Sepulcrum, quod omnium retro sæculorum mortales hausit mortuos, hujus feminæ corpus etiam corrumpet, & in pulverem solvet, inde tamen illud tu, Domine, ad vitam, & pristinum decorem revocabis. Mors illam è suis raptam ædibus extulit, domicilium mutare compulit, & posthac habere sepulcrum, donec generali mortuorum restitutioni indictus illucescat dies. Sic animus è corpore excessit, corpus in cineres abibit, utrumque te jubente fit: animum & corpus vetustate sublapsa, tu, Domine, restaura.

CANON XXXIII.

In Funere Mulierum.

Justorum & Sanctorum Dominus es, & munificus rectè factorum remunerator, suscipe, precor, ancillæ tuæ spiritum, & ad supernas Beatorum sedes transferto, ubi Sancti tui ævo sempiterno fruuntur. Etiam tuam, Domine, famulam hoc dignare, precor, amoris tui munere, ut eo die, quo te cunctis Superis Inferisque conspiciendum dabis, in tuo læta gaudeat conspectu. Ecce tuo numine deducente, ad extremam ætatem pervenit, reliquum est, ut in die adventus tui clarificatum ei corpus restituas. Æquissimus Judex, qui malefacta punit, tuis, soror, rectè factis præmium minimè negabit. Ille Bonus, cujus gratiam rebus omnibus anteponendam putasti, bono certamini tuo coronam reddet,

reddet, corporis tui labores jucundissimo animæ tuæ otio compensabit. Non parva mihi emetienda via est, cui æternum imperatur iter, orate Deum, ut ad domicilium mihi paratum feliciter perveniam. Carissima, hunc facesse metum, via, quam asperam credis, talis certe non est, quia Justus ille, qui te accersit, idem complanabit salebras, teque incolumem, quo tendis, perducet.

Vehementer, sodales, timeo severum Judicem Deum, quia in omnia acta mea subtiliter inquiret, nec verò ignoro, illum intima cordis arcana latere non posse. At tu, quæ justitiam hactenùs coluisti, Justum certè timere non debes, ex eo enim, quòd didicisti omnia arcana ipsi explorata & comperta esse, colligere debes, eum non ignorare, quis fuerit tuus in agendo scopus, quem quia rectum & sincerum fuisse comperiet, rectè deduces, mercedem in centuplum supra meritum auctam, tibi ab illo reddendam fore. Gaudeo dictum, attamen vos precor omnes sodales, quas amoris vel sanguinis vinculum conjunxit, vosque meos item Antistites, patres & dominos, vota votis nectite, & manus ad Cælum supplices tollite, poscite pacem sorori, quam a vestro consortio æternum dirimit divortium. At tu, quæ petis nostras pro te preces, tuas vicissim pro nobis reponere memento. Pia es, nec te pigere debet pro populo nostro orare, qui a te modò separatus, tuâ utique consuetudine posthac frui non poterit, nec ex tua ingenua & modesta familiaritate, quam solebat, capere utilitatem. Tuas enimverò vigilias, jejunia, preces, & perpetuum virtutis studium noster dum reputat populus, repente tuo convictu destitutum se maximè dolet, ingemiscit, & plorat.

Nostram in Domino, si sapimus, spem collocare debemus; ejus fides neminem fefellit, ipse dixit: *Qui honorat Justum in nomine Justi, mercedem Justi accipiet*, nec fiet unquam, ut proposito præmio fraudetur. Et ego quidem justitiæ meæ minimè confido, nec mihi ex meis benefactis, aut ab alio quovis præsidio securitatem arrogo; quippe cui ratum est a tanti Promissoris dicto unicè pendere; nec dubito, quin mihi vobisque datam liberaturus sit fidem, vestrumque in me studium remuneraturus sit, & ob exhibitum sui gratiâ mihi utique non merenti honorem, vos ubique incolumes sit servaturus. Vestris, precor, Cælitum chori conspirent cum vocibus, oraque vestra vocent ad similes modos, pro

Matth. 10. 41.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

A pro eo, quòd cantibus divinitùs inspiratis meas honestastis exequias.

Sed & te, mi Conditor, obsecro, & supplex obtestor, ut quamvis ego in multis peccaverim, nec proinde quod peto, impetrare digna sim, præsentia mea vota suscipias, & quum sis benè factorum Remunerator, nostrosque idcircò labores ampla mercede compenses, stipendiaque strenuè certantibus liberaliter solvas, B simili munificentia rependas gratiam, quam debeo ædi, quæ me excepit ac tumulavit. Sorores præterea, a quarum convictu divellor, quos eis reddere nequeo, suscepti pro me laboris fructus, a tua, quæso, caritate referant uberrimos, ut talibus ornatæ donis, magno illo die adventus tui tuum ad regnum te revertentem exultabundæ sequantur. Hoc interim quotquot C adestis vobis opto precorque bonum, ut illa Filii Dei verba aliquando audiatis: *Venite, possidete regnum*, quod omnibus Sanctis meis paratum est. Vestras nimirum vigilias, quibus diem cum nocte conjungere soletis, & puras preces sponsus, cujus famulatum fideliter & castè coluistis, confidite, placidus & volens accipiet, votaque vestra multiplicabit. Sed & hanc pro meo in vos studio mihi, pre- D cor, vicissim vestris precibus impetrate gratiam, ut in portum æternæ pacis invecta, illic omni soluta metu conquiescam.

Matth. 25. 34.

Ecce autem vector meus celeri pede imperatum emensus iter, huc appulit, meque nec opinantem corripuit. Nec jam mihi templum adire licet, aut ejus limina terere, aut vestris E interesse choris, quosque solebam, modulari cantus: me mors improvisa cepit, & a vestro convictu avulsit. Cinyræ meæ conticuit sonus, meæque citharæ succisi sunt nervi, & corpus exangue omnis destituit sensus: anima evolavit, & quod hactenùs tenuerat domicilium, dereliquit. Corpus exanimatum squalet, habitatore qualis deserta domus. Po- F stremum oro, mihi meorum veniam peccatorum a summo Judice depostulate; nam etsi in multis deliquerim, fidem tamen non negavi.

Confide, soror, Angeli pacis tibi venienti occurrent, Christi ancillam te agnoscent & salutabunt, & quoniam satis perspectam habent præstitam ei a te servitutem, in hortum deliciarum sursum te levabunt, illic Justorum & Sanctorum sociata

ciata choris, in perpetuæ lucis regione ævo ſempiterno frueris.

A

[illegible]

CANON XXXIV.

In Funere Juvenum.

OMnibus quidem mortalibus æqualis impendet è vita exitus, admodum tamen moleſtus & gravis iis, quibus viridis arridet juventa. Tu, Domine, meum relevato dolorem. Adeſt funeris dies, qui perpetuo nuptos ſeparat divortio, & choreas & cantus in planctus & nænias vertit. Tua, quæſo, miſericordia famulos tuos ad nuptialem in Cælo cœnam perducat. Quæ te, frater, in hanc ctidum lucem vita excepit, continuò laboribus addixit, multiſque implicuit curis, te nunc Mors ad tumulum vocat. Ceſſa, clamat, miſer, reſpira, quieſce, habetoque gratiam ei, qui quando vitam ademit, tibi hoc otium fecit.

Quum venerit felicis & miſeræ vitæ finis, qui juvenem componit ad tumulum & adoleſcenti exequias parat, tuis, precor, famulis præteritæ vitæ ærumnas futuræ gaudiis compenſa. O juventus ſenum corona, quis tuum decorem extinxit? quis vernantem pulchritudinis tuæ florem repentè ſiccavit. Te tamen meliora manent fata, frater, cui regni cæleſtis, & æternæ felicitatis ſors deſtinatur. Et tu quidem exulta, fleant contra ſenes tuo deſtituti obſequio. Baculi ſcilicet juvenes ſunt, effœtos annis vetulos ſuſtentant. Tuâ, Domine, gratiâ præſidiiſque nixi enitimur ad te.

B C D

[illegible]

CANON XXXV.

In Funere Juvenum.

TRiſtis nefaſta dies oculos ad lacrymas vocat, manus ad planctus, os ad gemitum. Tu, Domine, luctum ſolare meum: plurimos illa cogit ad fletum, quotquot funerandi juvenis tectum ingrediuntur, vel inde decedunt, pleno ore plorant. Tu, Domine, promiſſæ beatitudinis ſpe noſtrum depelle mœrorem. Jura diſſolvit jugalia mors & pro thalamo ecce tumulum parat. Tuis, Domine, famulis præſta, quam Juſtis præparaſti cœnæ nuptialis jucunditatem. Naturam Mors ſolvit, unde exanime corpus Arabiâ magis ante odoratum, nunc graveolente tabo aſperſum putet. Tuum, Domine, famulum æterna felicitate donatum, cæleſti etiam claritate illuſtra.

Mors grave malum omnes provocat ad fletum, & loca omnia implet luctu. Tuum, Domine, tribue nobis videre diem.

E F

[illegible]

[illegible]

A diem. Mors quidem membra dividit a corpore, a fratribus & propinquis morientem disjungit; illa tamen tuum, Domine, coagmentabit & restituet numen. Quo die parentes mori contigerit, & a suis abscedere natis, & orphanos orbosque relinquere, tu, Domine, pupillos paterno præsidio destitutos, nostris occurrens precibus, educabis & nutries, vesties & ornabis. Quove die mors fratrem a fratre B dirimet, numerusque minuetur, atque digitorum compactio dehiscet, tuo, precor, munere fiat, ut rato tempore funestus coëat hiatus. Quo die, conjuge mortuo, casta manebit vidua, huic, oro, tribue illum Cælo locatum revisere.

Veniet dies, in qua amicus ab amico separabitur, qualis taurus jugalis a jugo dimissus a socio disjungitur, tua, quæso, C caritas mutui inter eos amoris redintegret nexum. Lætitiam attulit parentibus tuus, carissime, natalis dies, funebris tuis filiis mœstitiam ecce parit. Confide, in æterna felicitate Sanctorum illi te tandem revisent.

CANON XXXVI.

In Funere Puerorum.

D Amabilis puer, quem gratia in utero matris formavit, ut vidit lucem, ut insiliit acerba mors & æstu infestiore, quàm Solis esse solet, vernantis floris folia decussit, caulem arefecit, ramos siccavit. Obitum flere tuum vereor, qui didici, te a filio Regis ad supernæ lucis adyta fuisse deductum. Natura quidem tuo, fili, fato illacrymari cogit: ego verò dum recogito, te ad regionem beatæ lucis E translatum, cavendum mihi video, ne Regis aula profano polluatur luctu, tum ipse arguar audax & impudens, qui lætitiæ regiam atratus & lacrymans intraverim. Quin ergo meliore consilio puram hostiam offeram, & ad hilaritatem animum componam.

Tui quidem cantus, care puer, meas ante mulcebant aures, meque vehementer delectarunt, suave melos, quod olim F fundebas, memoriâ adhuc retineo, & verba recordor. Quamquam dum cor illa repetit, mens ad Superûm evolat choros, & audit admirabunda Cælites tecum canentes triumphale carmen Hosanna.

[illegible]

CANON XXXVII.

In Funere Puerorum.

O Quàm amarus eſt luctus in funere puerorum! Proh quàm moleſtum matribus eſt a ſuis infantibus divortium! Tu, Domine, paternis ejectos ædibus excipies, ſpero, & orphanos educabis. Hic dies parentibus filiorum interitu luculentam plagam inflixit, abſtulit, fregitque ſenectutis baculum, tua illos, Domine, oro, caritas ſuſtentet. Idem unicam prolem matri rapuit, brachium ſcilicet amputavit, & reliqua debilitavit membra. Tu, Domine, obſecro, ablatas reſtitue vires; natum a matre diviſit, eamque mœſtam ac deſolatam reliquit, tu, Domine, ejus orbitati proſpicito, medere dolori. Infantem ab ejus ſinu avulſit Mors, plorat illa amiſſum, ſibique occultatam ejus præſentiam queritur, hunc, Domine, precor, mater tuâ reviſat in aulâ. O beatos pueros, qui Sanctorum felicitatem adepti ſunt! O miſeros ſenes, quos inter ærumnas luctuoſiſſimæ vitæ Mors protelata reliquit. Tuam, Domine, parentes deſerti undique afflicti, depoſcunt opem.

CANON XXXVIII.

In Funere Puerorum.

HUC, fratres, animum advertite, & conſiderate, ubinam hodie ſitis, & qualem craſtinus dies vobis daturus ſit locum. Enimverò qui heri linguæ uſu pollentes comptè ac fluidè nobiſcum ſermocinabantur, hodie in tumulo depoſiti ſilent. O vos beatos, quibus præſentis diei cura futuræ memoriam nunquam ademit. Comparate utroſque; dieculæ viatores eſſe comperietis, quibus quum nullum ſtatutum ſit in via diverſorium, alii alios prævertunt, & ab invicem ſeparantur. Næ ille beatus, qui ut ſe Domino jungeret, a turba ſeceſſit. Quum nos aliquando Mors confabulantes audiſſet, conſultanteſque ubinam futuram æſtatem commodè tranſigeremus, vel quænam nobis in imminentem hyemem eſſet paranda domus, continuò in ſingulorum dexteram involavit immitis partitor ſeverè denuntians, ſe nos omnes ocyùs in remotiſſimam ab hinc regionem deportaturum. Beatum meritò prædicamus, qui ſe mortalem eſſe recogitat.

Frater fratris manum fortè tenebat, inſiliit media inter utrumque Mors, & quaſi geminorum membrorum compagem diſſolvit & diſtraxit, fratrem a fratre divulſit. Quem tu illo feliciorem finges, qui ſe a cunctis diviſit, ut Dominum ſequere-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A queretur . Mors fortibus vitam eripuit , proceram corporis ſtaturam curvavit , membra quatefecit & labefactavit, humile buſtum ante fores aperuit, eòque illata cadavera depoſuit, & præteritam eorum amplitudinem & decorem tumulavit. Profectò laudandus ille eſt , qui mortalium ſuperbiæ Eliſei ſepulcrum objecit , & falſæ gloriæ umbram conſectantes pudore confudit. B Irrupit in thalamum inopinata Mors, novas nuptas ſuſtulit, jugalem thorum vacuum reliquit, continuò epithalamia in nænias defluxerunt, & choreæ in planctum . O fortunatam natam virginem , cui datum eſt procul a conſorte uni vacare ſibi .

CANON XXXIX.

In Funere Puerorum.

C ADeſtis , fratres , videtis in tumulis cadavera atro aſperſa tabo. Mortis obſtupeſcite audaciam , quæ naturam noſtram corruperit , eamque tali nunc cum ignominia traducat . Adamum illa confudit , & poſteritatis ejus ſuperbiam proculcavit . Nec tamen idcirco homini deſperandum , terra eſt , in terram rediit , natus eſt & occidit, reviviſcet tamen . Deus , cujus natura eſt miſereri , ſupremo Mundi D die opus ſuum retractabit , & corruptum reſtituet. Iterum oro vos, fratres , ſubire ſepulcra non pigeat, multum juvat videre dehiſcentes in fruſta marcidas carnes , & inde ſcatentem vermium colluviem , & cadaverum acervos , quos Mors coëgit in Haman mortuis definitum locum , projectoſque ſceletos tinearum & pulveris conceptacula . Superbos mortales iſta redarguunt, & rubore ſuffundunt fatuos voluptua- E rios, qui ſibi in luctuoſiſſimo tempore felicitatem fingunt & aucupantur . Nec vos prætereant juvenes, quos bene noſtis olim totos ad unguem mundulos , miráque formæ dignitate præſtantes, reſpicite, qualem in regione luctûs depoſiti induerint habitum ; Mors ſcilicet , quaſi rapidus turbo omnia diripuit ornamenta . O qualem puris ac tabi mephitim clauſam F circumgeſtabant corpora, quæ modò ſepulta omnes fugiunt, exhorrent affines & propinqui .

Huc appellite principes & ſatrapæ , quibus familiare vitium eſt ſuperbia , ſepulcra, quæ calcatis, intrate , inſpicite ad quantam contemtionem devenerit genus noſtrum , & inde arguite , quantum inane ſit in rebus , quibus vos ipſos effertis , quum extremum omnium rerum mortalium Mors ſit . Suos ipſa cadavera ſpecta-

A ſpectatores docent, quæ codices recinunt ad hunc, quem ſtupent, ſtatum omnes mortales eſſe deventuros. Vos quoque huc intendite oculos quicumque dignitates & honores affectamini, nobiſcum ſpectaturi, qualis in tumulo ignominia nos maneat. Quos hìc videtis, alii regalibus fulſere inſignibus, in tribunalibus ſedere alii judices, bene multi thiaras, quum viverent, geſtabant, & auratis curribus vehebantur. B Ecce autem omnes permiſto cum ignobilis vulgi cineribus pulvere paſſim proculcantur. Nec porrò mirum ſimilem eos tuliſſe exitum, quorum natura certè diverſa non fuit.

Nec vos ab hoc ſpectaculo abeſſe debetis, juvenes, quos veſtimentorum elaborata concinnitas, & quæſita pulchritudinis lenocinia delectant, vobis profectò non oberit ad ſepulcra reſpexiſſe C ſemel; huc ergo advertite oculos, atque iſto a pulvere diſcite, oris venuſtatem & præſtantem corporis habitum fragile & caducum eſſe naturæ donum, ſimulque ſpectato loci hujus ſqualore, cogitate, haud longe adeſſe veſtram in hocce exilium deportationem, ac tandem ſtatuite vobis deſpiciendas eſſe fallaces hominum ſpes, & inanes contentiones, quæ in medio ſpatio franguntur & corruunt, & ante in D ipſo curſu obruuntur, quàm portum conſpicere potuerunt. Adoleſcentibus jungite robuſtos ætate viros, quorum fervet avaritiâ pectus, & aggerendæ pecuniæ ſtudio laborant. Ampliavere ædes, floruere opibus & divitiis, auxere ſervorum & mercenariorum numerum, multiplicavere negotiationes & quæſtus, arbitrati ſe jam tenere, quem appetebant Orbem. Vos oro, E qui talia ſomniatis, huc feſtinum ferte pedem, oculos in ſepulcra defigite, ſique fas eſt, divitem a paupere cernite, amborum ſi quidem cineres in unum confluxere cumulum.

CANON XL.

In Funere Puerorum.

O Diverſorium ad brevem mihi conceſſum moram, cur me longi temporis ſpe modo lactabas? O ſalum maleficiorum receptaculum, cur me peccatis ante obrutum mox etiam in profundum devolviſti? O Mors, cur feſtinata me rapis ad luctum? Ego vero quum ſolvendo non ſim, ſtatui ad Creditoris mei confugere miſericordiam, ille, confido, nomina expediet mea. O fallacem Mundum, tu me nondum ratione & conſilio firmatum vani cultus pompâ ad deſerendum officium

[illegible]

A officium pellexiſti, tu lucri ſpe delinitum virtuti nuntium remittere perſuaſiſti, tu me quaſi avem in laqueos pertraxiſti, propoſitis paucis frumenti granis, quæ tamen, quum ea deglutire conarer, me ſuffocarunt. Levis inſtabilis umbra erat, quam tu me docuiſti utrâque manu complecti & ſtringere. Sic me tu fallacibus diſtentum curis, tanquam potens excitatus a ſomno oppreſſiſti. Latrones res proſtantes & patentes B oculis deripiunt, raptoque contenti, recedunt. Tu vero aſtu me circumveniſti, nec enim cultu externo me ſpoliaſſe contentus, occulta etiam animi ornamenta rapuiſti; rerum humanarum ſpectaculum me feciſti, inopem, nudum, extorrem undique afflictum.

Quum umbras & larvas mihi oſtentares, voluptatis ego avidus, temerè & C effrænatè ad iis potiundum incitatus ſum, easque adeptus ovabam, mihi manſuras ratus: atenimverò quum adoleſcentiam ingreſſus florentis ætatis decore ſuperbus triumpharem, improviſa Mors lætitiam & voluptatem, velut erumpentes flores demeſſuit. Ecce omnes mei ſenſus aſſidui laboris onere preſſi fremunt, longo genæ contabuere fletu, animus totus in luctu eſt, lacrymæ oculos, catenæ manus & D pedes continent. Tua, mi Jeſu, fides mea, precor, vincula ſolvat, hujus profecto beneficii memoria nunquam animo excidet meo. Navim conſcenderam mercaturam facturus, quum pelagus excitatis repente fluctibus hauſit multo labore quæſitas opes, & utinam merces ſolæ periiſſent, & ego periculum evaſiſſem, at non ſic fuit, ſed idem me quoque abſtulit E caſus.

Quum natus ad lucis hujus uſuram venirem, Mundus lacrymarum atque mœroris locus me plorantem excepit: quumque peracto vitæ curriculo diſcedendi tempus inſtaret, Mundus longiſſimum iter ingreſſuro viaticum providere rogatus, iterum lacrymas, ſuſpiria, gemitus obtulit. Judicis inde mihi clementiam exorare cœpi, ut deſertum miſeratus reum, decretas pœ- F nas condonaret. Objecta quandoque ſomnianti mortis imago vehementer me perculit, & quoties venit in mentem ſepulcrum, ingens me metus occupat. Appropinquare diem, non ignoro, meæ vitæ extremum, qui hanc membrorum compaginem diſſolvet, meque rebus humanis ſublatum excepturas mihi paratas flammas. Mortalitatis meæ antidotum in te, Domine, ſuſcepi, per te confido me illas evaſurum: Mortis namque timore

perculſus, animum ad pœnitentiam appuli. Et licet meus pro te labor unius horæ ſpatium non exceſſerit, certè non mihi negabis inter noviſſimos operarios locum. Quia verò tuam ego hìc miſericordiam laudavi, tua, precor, illic juſtitia mihi, quantumlibet immerenti, parcat; & quia rogavi te, ſerva me, & ab igne erue me.

CANON XLI.

In Funere Puerorum.

O Me miſerum! modò id ſenſi, ſupremum inſtare diem, qui mortuis vitam reſtituet, & pios ab impiis ſeparabit. Quònam porrò me ipſe vertam in eo judicio, in quo etiam de levi, quod mihi excidit, verbo rationem ſeverus exiget Judex? Domine, ne reſpicias ad iniquitates & peccata mea: Domine, in illo die noli me condemnare. Defluxit ætas, dies mei evoluti ſunt & conſumti, atque utinam ſicut utiles virtutis quæſtus neglexi, ſic vitiorum damna caviſſem. Domine, quum veneris, ne, precor, in mea malefacta inquiras. Pœnam, agnoſco, merui, quo autem modò effugiam, penitùs non expedio. Quò cecidi miſer! alto repente tractum gradu! Angelus Mortis me præcipitavit, & in cæcum compegit carcerem. Tu, Domine Suſcitator mortuorum, mortuum me revocabis ad vitam, ut laudem nomen tuum. Nec enim pulvis confitebitur tibi, nec lutum enarrabit gloriam tuam. Id modò, precor, per viſcera miſericordiæ, quæ te ad nos traxerunt, ne in inferno deſeras me, neque ſalutis ſpem adimas tuam appellanti fidem, meam, confido, in priſtinum reſtitutionem tua tibi commendabit clementia.

CANON XLII.

In Funere Puerorum.

QUum reſurrectionis aura mortuos afflaverit, clangore tubæ excitata Juſtorum membra, ſuam repetent compagem, divinoque roborata numine è tumulis remeabunt ad Superos. Cælum & terram inſtaurabit, qui condidit, opus ſuum retractabit, qui fecit, & ad priſtinum nitorem reducet. Singuli actorum ſuorum rationem reddent, quos ſuo Rex convivio dignos fecerit, recenſebit, nec illorum quempiam abeſſe patietur. Tum verò homines, quos conſummata extulit virtus, Cæloque locavit, exultabunt, & epinicia cantabunt, reſonante tuba, mox cum Angelis in unum coëuntes agmen Mortem præcipitabunt in tartarum. Quumque Sanctorum

[illegible]

A rum acies apparuerint, peccatores commeritas ferent pœnas, & cæco carceri flammiſque addicentur, qui olim fortunæ ſuæ altitudine inflati Juſtos aſpernabantur.

Clauſæ Paradiſi portæ illis accedentibus ſponte ſua patebunt. Cherubim loci cuſtos ipſos venerabundus excipiet, ultroque occurrens ad citharæ ſonum feſtivum modulabitur carmen. Inde porrò B Sponſum ab ortu Solis cum majeſtate magna venientem conſpicati, continuò pennas mittent, celerique volatu aërem permeantes, Judicem in throno conſidentem adorabunt. Tum ille luculentis benevolentiæ argumentis eos accipiens: Venite, dicet, regni immortalis hæredes, & quæ veſtro labore parta tenetis diademata capiti veſtro imponite. Sontes quidem & inC ſontes exploratorius ignis probabit, perque eum etiam Juſti tranſibunt, placidum tamen & innocuum; alia iniquorum conditio erit, quos ille correptos cremabit, vaſtabitur Infernus, inculta ſqualebit terra, vacuabuntur ſepulcra, & Adæ poſteri, excuſſo pulvere, Cælum conſcendent Dominum ſecuti.

[illegible]

CANON XLIII.

D

[illegible]

In Funere Puerorum.

Pars tua, Domine, ſunt parvuli pueri, hiſce ſedes in Cælo ſuper aſtra dabis, illos pro nobis, oro, ſtatue deprecatores; puras quippe ſcimus eſſe puerorum preces. Quin ergo te ſummis efferam laudibus, qui jubes tuis tales convivas aſſidere menſis. Noſtræ Reparator ſalutis in oculis conſpectuque populi amE plexatus eſt pueros, eiſque benedixit, quo hujus ætatis puritatem & innocentiam ſibi placere demonſtraret. Verè omni laude dignus eſt, cui innocentes pueros apud ſe habere placuit. Vidit ille, in quo tanquam in ſua ſede conſidet juſtitia, hominum iniquitates ultra omnem increviſſe modum, & peſſumdatâ innocentiâ ubique regnare contumaciam in perverſa nitentium, delectum puerorum agmen, miſF ſo apparitore, ad ſe accerſivit, & in deliciarum æternarum ſede locavit.

Parvuli, quaſi lilia de deſerta & inculta regione revulſa, in amœniſſimi horti areis iteratò panguntur, & quaſi margaritæ inſeruntur diademati, inde ad cæleſte regnum evecti, ſine fine laudant ſuæ felicitatis Auctorem. Porrò cuinam jucundum non ſit, parvulos videre Cælo donatos? aut quiſnam plangat eorum obitum, quod tenſos ubique vitiorum laqueos evaſerint.

ferint : Utinam tuâ, Domine, favente gratiâ talem mihi contingat habere finem, & beato eorum potiri convictu. Laus sit & gloria Optimo Maximo, qui pueros terris abstulit & Cælo dedit, qui parvulos hujus vitæ ærumnis eripuit & in cælestem & beatam domum transtulit, atque in illam jucundissimam securitatem asseruit.

CANON XLIV.

In Funere Puerorum.

PErfecta tibi, Domine Deus noster, jam est laus ex ore infantium & lactentium; pueri quippe sunt, qui modo quasi agni simplices in horto deliciarum pubescunt, facti habitatores regni cælestis, & ut loquitur divinus Spiritus, *virentibus herbis pascuntur* nemorosis in montibus, Gabrielem Archangelum electi hujus gregis ductorem sequentes. Enimverò quos illi obtinuere gradus, piè castèque viventium & Virginum quadantenùs dignitatem antecellunt; filii quippe Dei sunt, & sancti Spiritus soboles; jamque sociati cælitibus, & in familiam filiorum Dei adsciti, incolunt terram nefariis scelerum vestigiis usquequaque expiatam, ejus autem quæ maledicto subjecta fuit, ne meminere quidem. Veniet tandem faustissimus ille dies, quando eorum cadavera vocem Filii Dei audient, & è tumulis cum tripudio exilient, contrà inimica virtutis voluptas frontem submittet rubore suffusa, quod illorum mentes perturbare nequiverit. Paucos hìc quidem vixere dies, Paradisus excepit in ævum sempiternum victuros, unde ipsorum parentes abesse se dolent, eòque ocyùs pervenire desiderant.

Ezech. 34. 14.

CANON XLV.

CANONES COMMUNES. *Canon 1.*

CHristo gratia, qui Inferni clausa reclusit; clavis ipse fuit, iterumque reserabit, quando vitam etiam mortuis restituet. At te, frater, quis a nostro convictu avulsit, & ad loca silentûm transtulit? Hesterno die corpore & mente valebas, hodie exanimem Mors in tumulum compegit. Verumtamen etsi Mors te in hunc luctuosum carcerem conjecerit, lugere non debes. Quandoquidem Christus indicto mortuis ad vitam reditu, te in tuo tumulo putrescere non sinet. Argillâ lutoque concretum corpus ignobilem sarcinam hucusque portasti, hoc ipsum, confide, recuperabis, sed o quantum mutatum ab illo, quod in præsenti geris, res scilicet, quas vides, omnes gloriâ & decore præcellet.

Mor-

A

B

C

D

E

F

A Mortuorum resurrectionem magnus Ezechiel præsensit futuram, eamque velut in imagine sibi ostensam significavit. *Et ecce*, inquit, *commotio magna & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam.* Rursus eandem Dominus symbolo grani frumenti adumbravit, quod terræ commissum, moritur, simulque oritur, augescit & pubescit. Bono itaque animo estote, nepotes Adæ, B his enim, quæ tenetis, bona longè majora vos manent. Certa res est: sub Christi adventum labori mortique vita & longa succedet quies. De limo Deus ab initio membra compegit Adæ, & de nihilo formam ratione præditam dedit. Luto compactus homo, dissolutâ compagine, nunc jacet, resurget demum in sempiternum ævum victurus. Veniet ergo dies C restitutioni mortuorum præscriptus, quando ad clangentis tubæ signum, sua sepulti sepulcra deserent Christi summi Regis voce longo expergefacti somno.

Ezech. 37. 7.

CANON XLVI.

Canon 2.

LAudem tibi resonent monumenta mortuorum, a quo beatam resurrectionem expectant & gloriam. Venit D ecce dies, Carissimi, in qua precantes supplices audit & miseratur, Deus. Studeamus ergo nobis ad regnum æternum planam munire viam. Quanti Dominus homines faceret, quam inpensè amaret, charitas, qua Martham, Mariam & Lazarum dilexit, declaravit, quamque etiam magnis documentis testatam reliquit. *Lazarus amicus noster*, dixit E Dominus Discipulis suis, *dormit*, vado excitare eum. Quumque illi reponerent, excitatore opus non esse dormienti, noluit Dominus arcanum celare Discipulos postero die futuros facti spectatores, & admirandæ resurrectionis testes. *Lazarus mortuus est*, subjecit, *& gaudeo, quòd non eram ibi; sed eamus ad eum*, ex ore Mortis illum extrahere ratum est, quæ ejus animam cepit & in captivitatem F abduxit, corpus autem exangue reliquit, mox etiam dissolvit. Hæc fatus, suum magnus justitiæ Sol cursum Bethaniam versùs deflexit, Solem secutæ sunt stellæ haustæ ab eodem luce nitentes.

Jo. 11. 11.

Ubi Castellum intravit, occurrit Martha defuncti soror, ejusque ad pedes abjecta, imo trahens pectore suspiria, Dominus & Deus meus, dixit, si fuisses hic nunquam cecidisset arbor, in qua nidum geminæ, quas vides, columbæ posuerant, nec

nec enim te præsente, tuum Mors amicum rapere ausa fuisset, nec verò potuisset ejus corpus prosternere, & animam in exilium & captivitatem deportare. Tum Dominus mulieris dolore, lacrymis, mœstitiâque commotus afflictam, injecta spe resurrectionis, relevare orsus est, *resurget*, dixit, *frater tuus*, non est cur dubites; in mea quippe potestate posita est vita & mors, rerum omnium Arbiter quum ipse sim. Scio, excepit Martha, te esse Christum Filium Dei, qui in hunc mundum venisti. Cui Dominus: quicumque in me credit, amissos reparabit annos, & repubescet in novissimo die, quando omne genus Adæ a morte ad vitam reducetur.

℣. 22.

Submovêre famuli, Domino jubente, sepulcralem lapidem, tum ipse alta voce tabefactum cæco in specu cadaver inclamat, continuò emicuit è tumulo Lazarus a quatriduo mortuus, & hodie inaudito miraculo vitæ restitutus, institis pedes manusque ligatus, quibus solutis, Dominus, repete nunc, ait, interruptum vitæ cursum, tuisque jungitor sororibus.

CANON XLVII.

Canon 3.

EST sanè cur summo Opifici gratias agamus, quòd nostram ab initio condiderit naturam, & majores adhuc habeamus, quòd pro suo erga nos amore in fine temporum eandem vetustate collapsam restituere decreverit. Quicumque è limo crevere homines, eodem operti, tuo, Domine, tandem sistentur judicio. Averte, precor, malum, ne in eo Superûm Inferûmque conventu mea me scelera ignominiosè traducant in conspectu supernorum Ordinum, quos divina claritas illuminat. Vale terra, ferale diversorium, miseriarum receptaculum. Quid mihi tandem hæsit ex mea in te mora præter noxas, quarum me obsidet cumulus & velut objectus agger mihi aditum regni cælestis intercludit.

Æquissimus Judex terminum vitæ cujusque nostrûm statuit, severum tunc in singulos judicium exercebit; tum verò quò ego? quò meus vertet animus meorum malefactorum conscientiâ consternatus? Propterea vos obsecro, fratres, bonum Dominum precibus vestris mihi propitiare satagite, insistite, ne mihi tunc maleficiorum grave pondus iratus objiciat. Imminet ecce mihi Angelus mortis, pertentatque aditum, unde me inopinantem opprimat & avellat ab omnium mihi carorum consortio.

CANON

[illegible]

A

CANON XLVIII.

Canon 4.

CHristo sit gratia, qui mortuis spem resurrectionis dedit, genusque nostrum consolatus est, significans fore ut, postquam collapsum fuisset, restitueretur. Audite mortales resurrectionis mysterium, quod hactenùs occultum ignorastis, ecce autem in novissimo tempore in sancta Ecclesia usquequaque manifestatum est. B Fuit Jesus viator mortis ad tres dies, captivos, quos illa detinebat, liberavit, & castra diripuit, genusque nostrum reduxit ad vitam. Gloriabatur, opinor, Mors, Sacerdotes pridem & Reges in suos se compegisse carceres, evadendi spe omni sublata, quum repentè magnus hostis ejus invasit fines. Latro Mors erat, inexpectato clamore C perterrita fugit, simul ejus regni status concidit. Quocirca postquam vita, deterso carceris squalore, odore suo Infernum afflavit, mortui velut recuperato sensu sibi mutuò gratulabantur, affulsisse demùm exoptatæ resurrectionis lucem. Mors ab orbe condito statim in mortalem naturam dominari cœpit, ejusque dominatus duravit usque ad adventum illius, qui unus cuncta tenet & moderatur, qui etiam illius im- D perium evertit. Tum verò vox, qualis nubium sequitur fragorem, pepulit aures mortuorum, salus nunc parta vobis, parta libertas.

[illegible]

CANON XLIX.

Canon 5.

O Vos mei in communi ministerio Collegæ, mementote mei intra sanctuarium, quia Mors me a sacro vestro con- E sortio separavit. Noli contristari, carissime, quòd a nobis avulsus fueris, quoniam in societate Sanctorum anima tua corpori tandem reddenda, commorabitur. Ab adolescentia tua, domine, jugum Domini tui suscepisti, & ipse te in triclinio inocciduæ lucis lætificabit. Mysticum talentum bonus servus a Domino suo accepit, negotiator egregius lucrum retulit, F quo omnibus prodesset. Super sanctum altare, cui piè ministrasti, memoria tua nunquam non recoletur. Corona gloriæ tuæ cum Sanctis in cælesti regno reperta est, quia Christi Filii Dei amorem totis cum fide medullis hausisti: piis commentationibus dies tuos sanctè traduxisti, nec eas omisisti, donec palmam adeptus es. Pauli monita pugil strenuus audivit, & ad bravium cælestis regni ipse quoque cucurrit.

CANON

CANON L.

Canon 6. VIdere vos ſcio, quantùm officii ei ſuſtineatis, cujus gratiâ mortui reviviſcent, novumque vitæ genus adepti, gloriam etiam immortalem aſſequentur. Meminiſſe credo vos, fratres, Dominum quoque mortuorum fleviſſe caſum; dolebat nimirum latiſſimè propagatum Mortis imperium, ejuſque rugitu perculſos cunctos mortales in metu eſſe. Abrahamus in Saræ funere acerbè flevit, & præſente magna populi frequentiâ, quantùm ejus deſiderio laboraret, profuſis lacrymis declaravit. Abrahæ ſepulcrum Iſaac ipſius hæres largo perfudit fletu, & hunc funeraturus filius ejus Jacob a lacrymis ſibi temperare non potuit: multòque acerbior fuit luctus, quo ipſi Jacobo parentavere Joſeph ejuſque fratres, productâ ad ſeptuaginta dies exequiarum pompâ. Nec porrò minor fuit de obitu Joſephi Ægyptiorum ſenſus; inconſolabilem enimverò ex eo caſu hauſere dolorem, ut vix ſanari poſſe videretur. Omnium Juſtorum funera magnum traxere luctum, idcirco quòd ipſorum funeratores de eorum reſurrectione ſatis certi non eſſent. Poſtquam verò Rex noſter Infernum expugnavit, & depopulatus eſt, jam vos quicumque mortales eſtis, deſcenſum ad Inferos admodum ægrè ferre non debetis, quandoquidem etſi in eo carcere ad breve tempus detinendi ſitis, tandem aliquando inde educemini.

Quid enim? num putatis talem adhuc manere carceris illius januam, qualis ante fuit firmata ſeris & vectibus? omnia, credite, diffracta diſſiliere repagula ad ſummi Regis imperium, qui priùs ſubegit Inferos, quàm remearet ad Superos. Quare dolendi jam nulla cauſa manet, ex quo ille omnium ſæculorum mortalibus facilem trajectum inſtruxit ad locum, ubi Beati ævo ſempiterno fruuntur. Quod quidem vos præcipuè peregrini animadvertere & expendere debetis, quibus fortaſſe grave accidit in mortis & vitæ confinio conſtitutis longe eſſe a parentibus & cognatis. *Domini enim eſt terra & plenitudo ejus, & univerſi, qui habitant in ea*. Nec verò peregrinus eſt, cui Deus contingit benevolus receptor, ille ſiquidem, qui Mundum utrumque molitus eſt, in neutro ſuâ nos deſtituit providentiâ. Quòd ſi vobis adhuc moleſtum eſt, parentum & propinquorum abſente corona incomitatos efferri ad tumulum, horum utique abſentiam cæleſtium agminum acies ſuppleturas

ras

[illegible]

[illegible]

A ras confidite, quæ si quidem nec lacrymis nec singultibus vestras exequias prosequentur, vestra certè ora cælesti rore perfundent, & animum ab omni cura metuque relevabunt.

Quàm vera, quàm certa sint, quæ dixi, magnificè declarat suo funere Moses; exul ille a patria, extremum obiit diem, nec a suis popularibus funeratus est. Dominus in secreto montis latere B cadaver tumulavit, scilicet Mosis propinquus Deus erat, & unus ipse omnium cognatorum vicem cumulatè supplevit. Domini manibus sepultus est vir meritis clarus, & hac prærogativâ dignissimus, nec homini in ea funeratione locum dari decebat, ad quam Angelorum certatim confluxerant agmina, suis ornata insignibus ad honestandum illius funus, qui C a Deo tanto in honore habitus fuerat. Cælestes exercitus suas explicuere acies ad pompam funeris, & cum magno amore amorem Domini sui magnificè extulerunt. Occultum mansit sepulcrum; nemo quippe Cælitum, qui ad exequias convenere cœtus conspexit, quum magnus ille Propheta de Mundo ad Mundum commigraret; quandoquidem sui populares abeuntem prosequuti non sunt, successere An- D gelorum chori, qui & morienti astiterunt, & e corporis carcere excedentem sine comitatu nusquam reliquerunt. Quod si suis Hebrææ præficæ næniis non cohonestavere funus, certè beatorum Spirituum concentibus mortuus laudatus est. Nec verò popularium fletibus vacabat locus, ubi Angeli congruentibus naturæ suæ cantibus ei parentabant, nec amicorum, fra- E trum, vel propinquorum lacrymis sepulcrum illud perfundendum fuit, quod supremus rerum Dominus suæ lucis rore rigabat. Mosen, ut dixi, ipse tumulavit, ejus tamen sepulcrum ignotum manere voluit, clauso etiam ad eum locum popularibus aditu.

Ad sepulcrum usque suum quisque amicum comitari potest, ultra progredi non potest, ubi eò ventum est, amicitia F dirimitur. Amicorum consuetudine, dum vivunt, capimur, & præsentes complectimur; quum mortui fuerint, Mors illis quidem vitam eripuit, nobis verò ipsorum amorem, frequenter etiam memoriam extinxit. Solus Deus sancta amicitiæ jura constanter observat, & amicos suos nec in morte destituit; hic nempe amico decedenti, Inferni fores pro potestate recludit, & cum illo in regionem defunctorum ingreditur, qui

a cæteris amicis desertum non deserit, nec dimittit. Sibi, eique semper constans & æqualis, a cognatis repudiatum, sibi affinem & propinquum confitebitur, quin & mortuum requiret & eriget prostratum, hic viæ individuus comes erit, & elatum ad tumulum prosequetur, imo & ultra tumulum, carcerem mortuorum cum illo subire paratus. Mortem igitur quisque contemnat, nec viam, quâ itur ad gloriam, exhorrescat, plana est & anfractibus salebrisque expedita.

CANON LI.

Canon 7.

CHristus, qui tibi, frater, vitam ademit, Sanctorum consortium & beatum otium largiatur. Decem virginibus comparatum fuit regnum Cælorum, quibus etsi communis erat animus sponso prope venturo cum ardentibus lucernis occurrere, non tamen par mentis sagacitas, nec æqualis prudentia. Media namque pars, uti veritatis amica, sic sapientiæ laude præstabat, reliquas stultitia notatas legimus, idcirco quòd non omnes virtutis numeros haberent. Prudentes itaque præter lucernas, quas instruxerant, oleum sibi in futurum providerunt, quod tamen ab imprudentibus malè neglectum fuit. Quumque interim sponsus promissum adventum protraheret, omnes somno sese dedidere, quando intempesta nocte insonuit tuba, & sponsum cælestem adesse nunciavit. Surrexere statim virgines, suasque resumsere lampades obviam sponso in luce commoranti proditaræ. Omnes utique par ad surgendum cura solicitabat, par utrisque solertia & æquale studium, & fermè ubique pares, impares tamen fuerunt in eo, quòd imprudentes, quæ scilicet viam, non proviso commeatu, ceperant, oleum sibi defecisse tandem animadverterunt, quare a sodalibus emendicare coactæ sunt, at illæ, videte, responderunt, ne si id fiat, olei defectus fiat nobis vobiscum communis, *ite potiùs ad vendentes & emite vobis*. Repulsæ virgines abierunt ad emendum oleum nullo comparabile pretiò. Interim advenit sponsus, *& quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias*; reliquæ serò venientes, clausis foribus, meritò neglectæ sunt, eo quòd officium neglexissent. Quumque suis rectè factis confisæ contra acclamarent, sibique clausa reserari ostia peterent, simul quererentur sibi immeritò negari præmium suis quæsitum laboribus in custodienda virginitate exhaustis; respondit sponsus, nec vos

Matth. 25. v. 1. — *v. 9.* — *v. 10.*

[illegible]

vos, nec quam jactatis virginitatem agnosco.

Cæterum uti adventus sponsi futurum Christi adventum significat, sic virginum occursus, omnes Sanctos resumto corpore obviam illi prodituros præsignat. Symbolum mortis somnus est, quo idcirco omnes æqualiter virgines correptæ dicuntur, quia Mors naturam dissolvit, & sublatâ conditionum differentiâ, omnes mortales æquat & pares facit. Clamor, qui nocte media virginum pepulit aures, & somnum discussit, vocem adumbrat, quæ in fine Mundi mortuos excitabit. Quod porrò subditur altâ jam nocte venisse animarum nostrarum sponsum, id verò deductum est ex more vulgari ducendi eodem tempore novas nuptas ad sponsi domum. Quod autem dicuntur surrexisse simul virgines prudentes atque fatuæ, unumquemque monet communem sibi fore cum omnibus mortuis resurrectionem. Lucernæ oleo deficiente extinctæ eos notant, qui alienis miseriis minime commoventur, eisdemque portendunt severum remotâ misericordiâ judicium, quo autem fatuis virginibus oleum petentibus prudentes negant, declarant post adventum Judicis reos frustra misericordiam ejus imploraturos. Et addunt: *ne fortè non sufficiat nobis & vobis*. *v. 9.* Sensus est, laboris vitâ manente suscepti meritum mercedi post obitum reddendæ æquale non esse, ne dum eam superare, ut cum aliis illud partiri liberum sit volentibus. Fatuæ porrò, quæ ad emendum oleum mittuntur, si modò alicubi invenissent, invenissent utique in eo loco, in quo propensiores fuissent in calamitosos, nec rem familiarem ita clausissent, ut eam benignitas aperire non posset.

Rursus aptissimè congruit præmissis, quod subjicitur, stultarum virginum reditum adventu sponsi præventum, quod illæ ignaræ futuri minimè suspicabantur, quo monemur nostræ prudentiæ minimè confidere, quum tempus adventui Judicis præstitutum ignoremus. Prudentes verò virgines occluso reliquis aditu, in triclinium receptæ, repræsentant sortem Sanctorum, quibus solis dabitur æternæ pacis tenere portum; fatuæ contra, quibus sponsus ingressum negavit, & quas adhuc extra fores manere voluit, imaginem referunt etiam multorum, qui ad tempus Cælo exclusi relinquuntur in terra, donec justitiæ cursum absolvant.

Postremùm virgines fatuas parabola inducit vociferantes, *Domine, Domine*, &c. *v. 11.* quia confidebant præsentis negligentiæ culpam

pam sibi a sponso condonatum iri ob merita præterita, & susceptos hactenùs ejus gratiâ labores; propterea que sine multa inquisitione, & velut perfunctoriè causam esse tractandam, ne videlicet videretur Judex mitissimus ex causa non magna eam concepisse iram, ut præstitum usque modò servitium minime attenderet. Quod autem virgines magna vocis animique contentione admissionem flagitantes sponsus repulisse dicitur, professus eas esse sibi ignotas, sensus est, se nolle scire, id est non probare amorem, quo ipse diligebatur, sejunctum ab eorum dilectione, quos ipse diligebat, nec proinde exhibita a stultis virginibus benevolentiæ argumenta sibi placere, nisi, quam unicè cupiebat, propensam in inopes voluntatem complecterentur. Patet autem januam rejectis virginibus clausam esse supremum Cælum, quod post introitum Sanctorum divinus obserabit nutus, id est supremi Judicis sententia, quæ velut ignis Justos & iniquos ante severo examine probatos, simul probos ab improbis ardore suæ caritatis separabit. Ingens & latissimè patens ea separatio futura est, quæ interjectis inter summa & ima spatiis commensa erit; Justorum namque loco nullus est altior, nec iniquorum carcere alius profundior. Uti porrò nullus prospectus gratior esse potest, quàm qui nobis sempiternam lucem contemplandam objiciet; sic visu nil magis horribile, quàm impius a divino sponso repudiatus. Iterùm sicut nihil est comparabile gloriæ, quæ filios lucis exornat, sic nihil simile habet nox, quæ filios tenebrarum obruit; ambo docent homines, quibus vacare debeant studiis, dum præsens agitur vita.

CANON LII.

Canon 8.

ENimverò jus est laudare vitæ mortisque Arbitrum, quo jubente, reviviscunt mortui, adeptique lucis usuram, claris etiam insignibus ornantur. Dum fluunt tempora, fratres, & dilabuntur, regnum semper mansurum magis in dies appropinquat. Ista cogitare vos, peccatores, Dominus jubet, & pœnitentiam quærere, vestræque saluti consulere. Rerum humanarum vicissitudines, calamitates & casus infesti, velut indice digito demonstrant, haud procul esse orbis excidium; sed & signa nobis a Domino indicata, ex quibus proximum instare Mundi interitum intelligeremus, jam ante oculos versantur, & fo-

[illegible]

A & foribus imminent; multiplicata nimirum est iniquitas, & refrixit in plurimis caritas, labascit fides, & pauci credunt Mundum & quæ in Mundo amantur & quæruntur, opes & oblectamenta interitura. Supernum illud domicilium, quod etiam Angelorum mentem rapit, homines vix unquam recordantur, dumque licet, se in luto volutant, indeque extrahi ægerrimè ferunt, quantalibet vocis contentione contra ac- B clamet Apostolus. *Reliquum est, ut qui gaudent, sint tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes; præterit enim figura hujus Mundi*; & quamvis terræ filios cælestis Sponsus invitet ad vitæ immortalis cœnam, & patientissimè opperiatur eò venire cunctantes. At tu qui luto concretus, hæc summa non capis, ad ima, age, descende & Gehennam con- C templare tibi paratam; cogita te quantumvis reluctantem istum in carcerem fore ocyùs detrudendum, dies diem trudit, nihil constat loco stabili, & nihil, quo stat, loco stabit, nec dubium, quin te pariter inopinantem Mors deprehendat, & sternat.

I. Cor. 7. 30.

Considera, si bene sapis, magnarum urbium lapsum, mirare quî fieri potuerit, ut tanta amplitudo, majestas & opulen- D tia repentè conciderit? Scitare quis exceperit locus potentissimos Reges terrarum dominos, quisve casus congestas ab eis opes dissipaverit, & vacua reliquerit æraria depopulati orbis conflata manubiis? Rursus percontare per quas modò vagentur terras celeberrimi heroës, qui amplissimos honores ob res strenuè fortiterque gestas consecuti sunt? Disce item, E quas obtineant sedes viri eruditione & doctrina clari, sed & nobilissimi Scriptores, qui suis orbem implevere elucubrationibus? vel ad quas appulerint oras fortissimi Duces, qui magnificas ceperunt urbes & diripuerunt, unde populorum spoliis divites ipsis crevere gazæ, quosve nunc oberrent agros Oratores disertissimi, qui orbem in sui admirationem rapuerunt, eximiaque dicendi F ratiocinandique arte Senatum habuerunt a se pendentem? Periere scilicet illi quondam primarii & divites, cultûs luxuria superbi, queis proinde placebat excipere invisentes in lectis purpurâ auroque nitentibus: interiere item juvenes specie ad miraculum exculti, evanuitque pulcherrimi oris venustas. Postremùm require, quem exitum habuerint nobiles cervices, quas torques recocto auro fulgentes colebant? quodve fatum sustu-

ſuſtulerit viros imperio claros, in jubendo properos, & moræ, ſi qua juſſis fieret, impatientes, quique tyrannica poteſtate formidabiles ſibi ſubegerunt Orbem? Terram interroga, ipſa tibi locum monſtrabit, ubi jacent, Infernumque ſcitare, & ipſe docebit, ubi fuere depoſiti; omnes videlicet humi projecti, mox in pulverem abierunt, confuſos divitis & pauperis cineres diſcernere jam nemo poteſt.

Sed age, reſiduos regis & mendici cineres ſecernito, & pulverem, in quem divitis & pauperis defluxere cadavera. Perge porrò & ſua ſapienti aſſerito oſſa, & ſua fatuo, diſerti oratoris & infantiſſimi idiotæ ora diſtinguito. Profectò nec potis es diſcernere, quæ cernis corpora, infimæ ſortis feminæ atque ſupremæ, nobilis heræ & ignobilis ancillæ. Quid quòd nec deſignare potes, quantalibet ſagacitate præſtes, ſepultorum corporum loculos, ducem ne hic tumulus, aut è lixarum vulgo quempiam exceperit? Hic porrò multum habes, quod mirere, conglomeratos videlicet tum virorum, tum feminarum, quotquot a primo generis noſtri Auctore ad præſens uſque tempus vixere, cineres confuſione plane inextricabili permiſtos, obliteratâque totius corporis formâ & diſſolutâ membrorum compagine, necdum periiſſe. Næ tu id factum miraberis, atqui longe magis admirari debes ejus potentiam, qui eos ad magnum uſum conſervat, & ſuſpicere ejuſdem ſapientiam, qui ſingulos diſtinguit & digito monſtrare poteſt, nec ignorat eorum numerum, & optimè locum ac regionem novit, ubi diſperſi diſſipatique hucuſque jacuerunt. Illius porrò benignitatem nemo ſatis laudare poteſt, quippe qui eorum neminem, deductâ a primo parente natorum ejus ſerie, ſuâ deſtituit providentiâ, ſed & quos ætas ventura uſque ad Mundi interitum progenitura eſt, comprehenſos tenet, & mente repoſitos; iterum nec ſatis æſtimare ejuſdem intelligentiam rerum omnium naturas perſpicientem; ut qui eorum qualitates & diſſimiles mores dijudicet, ut puta, quis juſtus & probus, quiſve iniquus & improbus.

Cæterùm peracto judicio, quicumque piis laboribus ſibi juſtitiæ laudem pepererunt, immortalis ævi hæreditatem ſtatim adibunt: quicumque verò ſupremi Judicis indignationem ſuis ſceleribus in ſe concitarunt, æternæ noctis tenebris adjudicabuntur. Nullus pœnitentiæ locus ibi reli-

relictus, omnes exclusæ preces, nemo petet opem, nemo feret; comprecationes & suffragia nemo suscipiet, nec ullus ullo tempore ex illis sequetur fructus. Contra felix ille Sanctorũ populus sceleris purus, & noxæ integer vocibus & modis, quorum suavitatem effari nemo queat, divinæ bonitatis profusam in se liberalitatem prædicabit, & gaudio exultabit inexplicabili exantlatos hactenùs pro veritate labores recolens. Inde statim suis alis per aëra vecti in Cælum conscendent; Impii contra plorabunt, recogitantes suis se sceleribus Dei iram concitasse, mox in tartara detrudentur, illic æterna obruti nocte, & Gehennæ adstricti vinculis, pœnas dependent sempiternas.

CANON LIII.

Quicumque piè vivendi inie e viam, quum audissent, Dominum in Evangelio suo præcipientem Mundi contemtum, hortantemque, ut eo contemto, ipsum unicè diligeremus, ad omnia tormenta ejus gratiâ perferenda animum compararunt, & quia ejus confisi promissis mortem oppetere non dubitarunt, vitam immortalem adepti sunt, regnum siquidem æternum tanquam suorum laborum mercedem persecuti, cælestis nunc Paradisi beatitudine fruuntur. De limo, quum Mundum exædificares, me, Domine, formasti ad imaginem & similitudinem tuam, tuisque sanctissimis manibus membra compegisti mea, quandoquidem autem nunc soluta tuo jussu compagine, corporis è carcere mihi excedendum est, animæ, quæso, meæ, in consessu Sanctorum decernito locum, unde mihi pateat optatus ad relicti corporis exuvias reditus, quibus receptis, corpore simul & anima beneficentiæ in me tuæ testimonium perhibeam.

Canon 9.

Liber accessus fiduciaque plenus dabitur Justis ad Filium Dei eo die, quo mortuis patebit reditus ad vitam, & quia nomen ejus confessi sunt, confitebitur & ipse illos coram Patre suo, & quia in fide ejus mortui sunt, vitam assequentur & regnum, suorumque meritorum præmio in superna deliciarum sede potientur. Oriente ab alto misericordiâ, cum sua sobole Adamus venienti Domino occurret, qui mortem ejus gratiâ gustavit, & debitum solvit a se contractum; postmodum verò eundem è pulvere excivit, ut lucis frueretur usurâ, & acceptorum beneficiorum Auctorem publicaret.

Ecce

Ecce dies illuxit faustissima, quæ mortuos vitæ restituet, vestrum, mortales, cohibete fletum. Salutis vestræ reparator Dominus propediem aderit, nutuque suo sepulcra reserabit, & præpotenti voce sepultos revocabit ad auram, mox in extremo generali orbis conventu ad dexteram suam statuet, ut inde ocyùs ad paratas vobis sedes traducat. Contraria plane sors Diabolum manet, qui ab initio Adamo suam felicitatem invidit, & abstulit, Hevam seduxit, & mortem invexit, quæ quidem sequentibus annis sævam in eorum posteros exercuit tyrannidem. Jam vero mors Christi Cruce profligata est, Adamus Paradiso redditus regnum etiam adeptus est. Fremit Diabolus prædam sibi ereptam; quoniam & gloriam & splendorem, quibus Adamus innocens fulserat, & sua culpâ amiserat, in baptismo recepit, Christo, quæ ille passus fuerat damna, sarciente; qui & in fine temporum redibit, nec modò ipsum, sed universam ejus sobolem vitæ restituet, & in lucidis sedibus gloriosis ornatos insignibus collocabit.

Ecce Sponsus appropinquat, unusquisque in se descendat, suasque secum rationes expendat, & benefactis piisque operibus viaticum sibi præparare satagat, ut suffragantibus vitæ integritate & castimoniâ, juxta datam fidem a Domino liberaliter excipiatur. Ille proinde verè beatus, qui ipse se diligenter examinat, sique animadvertat occultas sibi adhuc hærere labes, hisce detersis, studet vitam componere, omnisque in posterum noxæ integram tueri. Mitissimus est Deus, idemque Judex æquissimus, nec verò reorum vultu movetur. Item beatus, qui oleo suam instruere lucernam festinat, ut percrebescente rumore adventare Sponsum, lampadem suam accendat, mox ab illo in nuptiale triclinium introducendus: iterum beatus, quia tuus factus conviva te, Domine, ob redditam mortuis vitam æternùm laudabit.

Gratia & pœnitentia ambæ nos nostri admonent officii, dum vacat, clamant, satagite vestras eluere sordes, etenim ineunte die reditûs mortuorum, non frater fratrem, nec natum genitor reum absolvet, aut servabit indemnem. Mortuorum porrò restitutionem Jonas adumbravit, quum post triduanam sub aquis moram pelago emersit, & continenti se restituit, simul futuram Filii Dei mortem, & resurrectionem in seipso expressit; ad tertium quippe diem Christus sub terram moratus, inde

inde redivivus emicuit, & uti Propheta Niniven, sic ipse suam Ecclesiam ab interitu liberavit; futuram nempe toti Orbi terrarum beneficentiæ suæ testem. Jam nunc cogitate, Fratres, quibus laudibus ornare debeatis vitæ auctorem, qui semet mortalibus exhibuit, & mortuos suis in tumulis revisit, atque apud Inferos in agro mortis vitæ sparsit semina: postremùm negotio reparationis nostræ ad exitum perducto Cælum conscendit, unde alterum adhuc meditatur descensum, Justorum, quos mirifice diligit, causâ, placidum tamen & suavem, qualis solet esse cadentis pluviæ lapsus: tum verò cum illis proprii corporis dotes communicabit. Et hoc Justis quidem debetur præmium, ego verò meorum conscius scelerum, quanam ratione tuo me subducam judicio, vel quis me oculis tuis subtrahet locus? Nam si ascendero in Cælum, tu illic es ab ævo in ævum, si autem descendero in Infernum, audiam adventare diem resurrectionis, quæ res Justos quidem lætificat, me contra reum vehementer conturbat.

Næ tu, fili Adæ, non rectè sapis, qui naturæ mortalis conditionem, quâ natus es, ineptè recusas. Quid enim? num qui primùm tibi vitam dare potuit, amissam reddere non poterit, aut pigebit, quam fecit, corporis tui compagem reficere eo die, quo Justos sui amantissimos immensæ claritatis vestibus decorabit. Morti Adamum ob legis trangressionem mancipavit Legislator, illa datum mancipium in carcerem compegit, carcer sepulcrum fuit. Parentis ruina in omnes incubuit natos, & omnino quidem oppressisset, nisi abundantia quædam pietatis impulisset Dominum, ut servis admirabili consilio opem & salutem ferret. Filium itaque misit suum in terras futurum naturæ lapsæ reparatorem. Hic seras & vectes carceris confregit, nosque e mortis potestate ereptos, vitæ dedidit. Omnes profectò amores nostros sibi vindicat, qui genus nostrum obliteratâ divini vultûs imagine perditum sic amavit, ut pro ejus salute Crucis infame supplicium subire non dubitaverit, imo & ad inferos descenderit inde ad eum, à quo missus fuerat, rediturus.

Enimverò ut hæc audivere beati Martyres, eo in Christum amore exarserunt, ut ejus gloriæ causâ cervices securibus alacres atque læti submitterent. Nec sanè minor sequentium Justorum in hac parte laus fuit, qui suam in Christum cari-

caritatem mirâ laborum patientia ſatis teſtatam reliquerunt. Faxit tua, Domine, gratia, ut in ſanctorum tuorum ordinem cooptari mereamur; cupimus enimverò te adorare præſentem, & coram tanti beneficii nos memores teſtari, tum immenſæ clementiæ tuæ gratias agere, qui generis miſertus ſis noſtri. Sola profectò tui in nos amoris vis te ad id inducere potuit. *Exſiccatum eſt fœnum*, ſicut ſcriptum eſt, *& herba exaruit de terra*, *verbum autem tuum*, *Domine noſter*, *vivit & manet in æternum*; beatus, qui illud audit, & mandata ejus cuſtodit, huic ſcilicet repoſita eſt in horto deliciarum vitæ ſine fine manſuræ luculenta hæreditas.

Iſ. 40. 8.

Oculi mei expectant ſalutare tuum, Fili Dei, qui tuo me redemiſti Sanguine. Feſtina, Domine, & excute pulverem ab oculis meis; reſuſcita me, & ego gratias agam tibi, Patrique tuo, atque Spiritui tuo ſancto, o Bone, qui generi noſtro propter tuam nimiam erga nos caritatem ſalutem attuliſti. Suis me Mors ſtrinxit catenis, ſuoque clauſum carcere aliquandiu detinebit, ori meo injecit frænum, unde conticuit cinyra mea, & labia mea obmutuerunt. In te, Domine, uno mea omnis reſedit ſpes, fore ut eo die, quando mortuis vitam reſtitues, meam quoque citharam iterum ad canendas laudes tuas attemperes.

Deum interim propitiate mihi, cariſſimi, periculoſum iter proximè ingreſſuro, opem mihi ab illo expoſcite, uſque dum interjectum ignis fretum incolumis trajiciam, veſtrarumque precum alis vectus, portum immortalis vitæ obtineam. Sepulcrum enimverò portus eſt, modò noxæ integer ſis, nautam à labore ad otium invitat. Quin ergo te, frater, beatum dicam, qui navigium ad paratam tibi a Domino ſtationem tandem appuleris. Excipiet ille profectò liberaliſſimè, laudataque tua negotiatione & operâ ſibi gnaviter præſtitâ, immortalis gloriæ ſtola condecorabit. Summe Sacerdos, qui te obtuliſti Patri tuo hoſtiam pro nobis, ſuſcipe propitius oblationes noſtras, & præſta, ut à tuis promiſſis pendentes, tuaque exequentes mandata, propoſitam virtuti gloriam aſſequamur.

CANON LIV.

Canon 10.

Valete, fratres, a veſtro diſcedentem convictu veſtra, precor, ſequantur ſuffragia, talem enimverò cupio habere comitatum, cujus nempe gratiâ Chriſtus ſe mihi ſocium adjungat. Confide, frater, quoniam Filius Dei, qui Lazarum ſepultum è tu-

A è tumulo excitavit & extulit, te quoque suscitabit mortuum, & ad dexteram suam collocabit. Est tamen quod me vehementer angit, & omnes mentis meæ exagitat partes, scilicet comperi in ea regione, ad quam me appellere necesse est, clementiæ loci nihil veniæque, nil precibus loci esse. Omni te eximet curâ, crede, novissimus dies: sed & quando mortui suis educentur sepulcris, te quoque è tumulo B evocatum divina Clementia liberaliter excipiet, & sanctorum cœtibus aggregabit. Fandi facultas me destituit, obmutuitque cinyra mea: patronos vos mihi & deprecatores in futuro judicio fieri cupio. Etenimverò, quæ nobis obtigit regio, placet, ejusque species habitatores mirificè delectat; idcirco me miserum queror, quem mors ecce rapit & in cæcum Inferni carcerem continuò retrudet. Meliora, confide, frater, te manent, ea videlicet, quæ C pœnitentiâ purgatis justi Judicis benignitas præparat bona, tuque resurgentes sequeris præmium tuorum laborum recepturus.

At profectò gravis mihi, Carissimi, dolor incumbit, ut benè esse non possit, dum cogito, nec bona adesse mihi, quibus Judici satisfaciam, nec idoneas preces, quibus expugnata ejus remollescat ira. Quid D adhuc trepidas, nec enim is est rerum tuarum status, nec tam exiguus labor, ut sperare non debeas, fore ut cum è Cælo divinæ bonitatis fulgor Justorum resurgentium corporibus affulserit, tua tibi solvatur merces. Atenim, ut certum sit, cunctis concessum, dum vita manet, delictorum suorum veniam postulare, id tamen E nemini permittitur post obitum; ad judicium namque nos opera nostra prævertunt, ipsisque solis ad Judicem conceditur accessus. Vide tamen, ut Davidis oraculum reminiscaris & expendas: Ecce, ait, Salvator tuus in Cælo est, sed & in Inferno adest, opem utique petentibus ferre paratus; exue metum. Fateor, ille in Inferno adest; & ideo me meique similium fleo sortem, quippè qui languori nos ipsos desidiæque F jam pridem dedidimus, & qualis nos excepturus sit locus quum ignoremus, scelus tamen adhuc scelere cumulamus.

Mortem veriùs & Diabolum miseros dicito, quos quantùm putas tum discruciatum iri, quando te ad Judicis dexteram locatum aspicient, & audient festiva modulari carmina? Et hæc mihi quidem summa votorum, sed quum incertus hæream, quænam me maneat apud severum Judicem sors, timeo, & atroci exagitor curâ.

Chriſti Crux tibi miniſtrat arma, ejuſdem Baptiſmum, Corpus & Sanguinem velut commendatitias literas tecum defers. Brevis eſt lucis uſura, plena lacrymarum atque mœroris, quâ hîc cum dolore retineor, nec porrò illic, quò deportandus ſum, opportuna malis meis paratur medicina. Nec me afflictum relevant, quæ Propheta canit, *vivent mortui tui*, *Domine*, prædicens, indicta Mortuis generali reſtitutione in priſtinum, tabefacta cadavera ſuo è pulvere ad lucis uſuram reditura, quandoquidem mors mihi officium ſimul & vitam abſtulit, quum Diabolus ante in contrarios tramites me ſeduxiſſet. Haud iſtuc diceres, ſi noſſes, divinam gratiam ſuas dudum explicuiſſe alas, hæc ſcilicet te quantumvis reum cupit enixè ſervare, tum quando Majeſtati ſiſteris, tuaque in acta inquirendum erit. O me infelicem, qui in vita fragili & caduca inerti otio deſidiæque me dedidi, & vanis diſtentus curis nil utile egi. At reveniat in mentem, quæſo, tibi orphanum illum viduæ filium extinctum, Domini voce excitum revixiſſe, idem, confide, ſuſcitator mortuorum decuſſo lethi ſomno, te pariter excitabit, & vitæ reſtitutum in hortum Cæleſtium deliciarum transferet.

Ef. 26. 19.

Circumdederunt me laquei mortis, tu autem, Domine, ne me, precor, incomitatum inter pericula deſtituas, ubi compellor incedere per cæcos tramites, & crepidines horrendas. At verò hæc omnium mortalium conditio eſt, ut aliquando calicem mortis exhauriant, hominem te eſſe quum ſcias, commune hominum fatum recuſare non debes. Hujus temporis vitâ frui, & iis, quæ mihi fingebam, commodis uti datum non eſt, ſed nec dabitur, quas collegi opes, aſportare mecum, imo nec meipſum, quum deſiero eſſe, quod ſum. Eò, quò, frater, tendis iter, nos quoque venturos confidimus, illic nos invicem coram reviſemus. Cæterum ſat ſcis atrox malum eſſe mortem, quæ nos a propinquis ſeparat, ut non ſit à parentibus & fratribus ſperare ſalutem.

Mortui ſunt Moſes Prophetarum caput, & Aaron Sacerdotum Princeps, ſed & Joſue, qui medio in curſu continuit ſolem, ideo mortem nec timere, nec recuſare debes; etiamſi Leonum dentes non adeo validi ſunt, qualis illa certe eſt, quæ nempè nulla vi impediri poteſt, ne tempore certo filiam à matre divellat. Mors ſtupebit & Diabolus, quando ab ipſorum tyrannide vindicabitur humanum genus univerſum; tum verò protege me, o Fili Dei, ſub alas miſeri-

cor-

[illegible]

cordiæ tuæ recipe me, nec committas, oro, ut coram te mea publicentur crimina, neque ad summam ignominiam nudum me mea scelera ante omnium oculos sistant. Ascendent è tumulis Mortui in Ordinem immortalium asciti, & Inferni seræ sonitu tubæ quassatæ & diffractæ dissilient: in fide & spe tua, Domine, obdormivi, ne me, quæso, sinas cum fidei desertoribus & desperatis in Inferno retineri & contabescere.

Confide, frater, enimverò qui Jonam de ventre Ceti orantem exaudiit pelago in medio, te quoque ad immortalem vitam è mortis faucibus extrahet, ac tartaro eripiet. Valete itaque quicumque meum curaturi estis funus, mihique veniam & pacem exposcite, via, quam ingredior, cum æternitate duratione sua communicat. Tuus quidem convictus nobis jucundissimus fuit, & nunc etsi tuus subtrahitur conspectus, memoria tamen tua nobis, qui te semper coluimus & unicè diliximus, nunquam excidet.

CANON LV.

Canon 11.

SEcus tumulum, quò inferendus sum, fortè consederam, quum subiit animum explorare sepulta ibidem cadavera. Ossuarium itaque ingressus video adolescentes, quos ante noveram insigni venustate præstantes in pulverem abiisse, quamque olim mirabar, formæ dignitatem penitùs extinctam esse. Hinc subitam conversionem stupens, ubi species nota illa est, ajebam, & quid ita concidit ille viridis juventæ vigor? Cuncta scilicet in cinerem resederunt, dissolutâque compage, partium etiam comparatio & proportio omnis confusa est. Sed & ubi ille oculorum fulgor? Extinctus est nimirum, & ubi oris decor, & conspiciendus totius corporis habitus? Cuncta fuisse umbram deprehendi, & divulsis dissipatisque membrorum cæmentis atque juncturis, omnem pulcherrimi juvenis speciem revanuisse, inde naturæ nostræ caducitatem intellexi, & oh qualem, dixi, laturi sumus exitum! Tum mirabar Diaboli astum, quo factum fuerat, ut in hujusmodi luctum prolaberemur. Hinc cogitabam me quoque non absimili addictum supplicio atque in hasce tenebras quantocius detrusum iri, ut me continere non possem, quin in uberes lacrymas effluerem. Jucundam in libero aëre vitæ usuram considerabam, cumque sepulcri carcere, in quem compingendus eram, comparabam, mox animo revolvens, quale & quantum mihi pararetur malum, ad meum collacrymabar casum; inde naturæ nostræ ingenitam recogitans nobilitatem,

tem, eamque cum luctuoso ejusdem exitu conferens, eheu ajebam, in quales ærumnas posteros suos Adamus conjecit! Ego verò, qui videram non paucos in summa gloriæ atque fortunæ altitudine exultantes, quum viverent, nunc verò hos ipsos in sepulcro tabo sanieque diffluere cernebam, quidni in lacrymas & acerba suspiria erumperem? Enimverò quum vivos nobiscum versantes cum mortuis in sepulcro depositis componerem, tristi specie commotus, o te miseram, ajebam, Adæ progeniem! Proh qualia te fata manent!

Vivimus hodie, mutuò confabulamur, agitamus multa; crastinus nos dies vita fandique facultate spoliatos tumulabit, & cum promiscuo silentûm vulgo confundet. Cujus te hodie forma delectat, postera luce mutatum ab illo horrebis & fugies, quique hodie suavem spirat odorem, graviter olebit cras; quem hodie cursitare vides, cras omnis expertem motûs revises: quemque hodie se cunctis præferentem vides, & divinos propè honores affectantem, postero die mortuum efferri videbis, mox sepultum humi putrescere: En quiescit, silet & squalet. Eheu quàm gloriosus Adæ in vitam introitus! Quàm despectus, & fædus inde exitus fuit! Natum Paradisus excepit, mortuum atra obtexit nox. Si nascentis gloria magna fuit, major utique consecuta est morientem ignominia, scilicet vitæ primordia illustravit Paradisi umbra, infamarunt finem sepulcri squalor & sordes. Quàm jucunda fuit in Paradiso commoratio! Quàm turpis & horrida mox subsecuta in sepulcrum relegatio! In illo summa tenuit, in isto ad ima depressus est. Primum ejus domicilium beatissimum fuit, medium ærumnis & laboribus infestum, ultimum triste & miserrimum. O lamentabilem hominis casum! Unde miseri excidimus, & quò tandem prolapsi sumus! E paradiso ejecti, dejecti in sepulcrum sumus, ab Angelorum consortio depulsi, amissis amœnissimi horti deliciis; tineis, vermibus & serpentibus præda dati sumus. Sic priorem illam gloriam, qua nostri generis Parens in paradiso fulsit, excepêre vermium greges, qui cadavera nostra depascerent: & pulcherrimum corporum nostrorum ædificium, summi Patris insigne opus, in vilissimorum insectorum cubile mutarent: postquam ab illo honoris & dignitatis fastigio, quod Adamo Paradisi colono obtigerat, ejus posteri in Infernum corruerunt, datum tineis pabulum; causa mali tanti non alia fuit præter Hevæ culpam, ipsa nostri casûs & interitûs auctrix facta est, ex quo

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A quo Diaboli dolis capta fuit; Is videlicet per ſerpentem illam faſcinavit, mox generis noſtri caput per ipſam circumvenit, quare fruſtra aliunde repetas noſtrarum calamitatum originem.

Talia, fratres, mortuorum tumulos circumiens velut oculis meis expoſita conſiderabam, quum ad altiora me meus animus repentè extulit, indeque Dei juſtitiam vehementer ſuſpexi, nimirum mors B divini Judicii imaginem exhibet, quippè quæ omnes mortales promiſcuè ad tumulum rapit. Sceptra regum minime reveretur, nec optimates ab infima plebe ſecernit, ſed conſerto velut agmine principes agit & ſubditos, divites & inopes, & quemadmodum nec ſupremi Judicis æquitas præmia & pœnas diſpenſatura, perſonarum qualitatem attendet, ſic neque mors C mortales ex vultu æſtimabit in eo articulo, in quo ultima rerum humanarum linea ducenda erit; Regem proinde nudum efferet qualem unum de plebe efferre ſolet, nec alio, quàm quo pauperes vincire conſuevit, compede conſtringet, cum infimo vulgo in ſubterraneam cryptam ociùs detrudendum. Mors dynaſtas ſuis exuit inſignibus, & ad privatorum ſortem redigit, ad januam quippè mortis quo quiſque haD ctenus fulſit, ornatum deponit. Mors ſuperbos alta cupientes deprimit, & peracto funere in teterrimum carcerem compingit, nec porrò liberaliùs accipiet, qui ſua fortuna gloriantur, ſibique placent, quin in commune, quo cæteri nocentes detinentur, ergaſtulum conjiciat non diſſimilibus exercendos pœnis; omnes ſiquidem mortales æquat ſepulcrum. Hoc nimirum ad E infringendam illorum audaciam remedium inventum eſt; ut videlicet intelligerent, ſe ſupra egentes ac tenues extollere non debere, ad ſimilem ſqualorem & ſordes adducendi fuerunt.

Jam perge porrò quicumque ſapis, & æquiſſimam Dei Juſtitiam rurſus contemplare, admirare ſupremum illum Judicem, cujus æquitatem nec potentis dignitas labefactavit unquam, nec divitis opulentia diſſolvit. F Regem vidiſti ſuis ante verendum inſignibus, & in ſummo gloriæ & amplitudinis faſtigio collocatum, intuere nunc in pulverem redactum, & utrobique Altiſſimum mirare & lauda; ipſum illum vidiſti regali byſſo & purpura ovantem, reſpice in ſepulcro cum mortuorum vulgo depoſitum, ejuſque cadaveri ſubſtratas tineas & vermes. Spectaſti quaſi Deum honores & officia diſpenſantem ſibique tantùm non omnia arrogantem. Atenim quem hodie ſe cunctis præ-

præferentem, ac tantùm divinos non affectantem honores, postero die mortuum efferri cernes, & inter infimas plebis minutæ quisquilias vocis motûsque expertem humi putrescere.

Ego verò quum magnam ejusmodi rerum nostrarum æquationem contemplarer, & morte omnes promiscuè mortales rapiente, summos æquari infimis, divinæ æquitatis symbolum quoddam in tinea, illorum corpora indiscriminatim consumente mihi fingebam. Videtis, carissimi, quàm propè distet horrenda nostri obitûs hora à magna illa die, in quam Deus scelerum pœnas reservat: utrique certe par est in inferenda sententia severitas; nec enim mors statutum Regibus è vita decessum in diem posterum prorogat, nec divina æquitas meritis cujusquam particulam detrahi patitur, quin unicuique pro debito justitiæ reddat jus suum.

Æqualis est toti naturæ ortus & interitus, tum corporum corruptio; omnes in his tribus pares sumus, nec alter altero major, aut minor est. Haud enim dispar decreta est mortuis resurrectio; omnes quippè sive justi, sive iniqui sua singuli corpora pariter recipient in generali illa mortuorum restitutione, & hæc quidem omnes habebit æquales, omnes namque, ut dixi, resurgent; etsi non eadem, nec paria cunctis reddentur sive præmia, sive supplicia; sed hæc justo librata examine singulis pro merito dispensabuntur; quapropter non ut in resurrectione, sic in pœnæ mercedisque distributione pares erunt, sed qualem quisque suis sibi actibus parabit locum, obtinebit. In resurrectione proinde corporum nullum intererit discrimen, conferti mistique mortui resurgent, singuli tamen judicabuntur, & suum cuique jus pro merito reddetur. Cogita ergo qualem domum, dum tibi vita manet, tibi ædifices, non enim aliud, postquam hinc excesseris, habebis tectum. Hæc omnia supremus mundi dies decernet, quamcumque ergo sortem sibi quisque in hoc precario diversorio quæsiverit, talem illo ultimo die divino examine ante probandus adibit.

Age verò, contrahenda nobis hìc vela, ut mutatâ velificatione alium deinceps teneamus cursum, accepti scilicet beneficii memoria nos revocat ad prædicandam Salvatoris beneficentiam, qui suo descensu corporibus nostris immortalitatem asseruit. Hìc porro primùm gratiæ agendæ sunt summo Parenti, qui Filium ad nos suum allegavit disposuitque, ut idem nostræ carnis tegumento obumbrata propriæ naturæ maje-

[illegible]

majestate mortem nostram gustaret, suâque resurrectione nostram reparationem repræsentaret. Medicus sapientissimus, quam ægro porrigebat potionem, prior ipse libavit, quò ad eam sumendam illum animaret. Enimverò quum cerneret Adæ nepotes injecto terrore mortis horrescere, hunc sua morte metum nobis abstulit. Inde factum est, ut post Christi mortem nostra nobis somnus videatur mors, & separatio a corpore ad nostram usque restitutionem duratura.

Tuum, dulcissime ac benignissime Domine, beneficium agnoscimus & prædicamus, postquam nostræ resurrectionis typum ipse è tumulo redivivus descripsisti, factusque primogenitus ex mortuis præstandæ nobis immortalitatis arrham dedisti; in te mortui respectant, dum promissæ resurrectionis spe se interim sustentant. Sol es, diem, precor, ipsis aperi, & mœstos exhilara; mortuos tegit humus velut commissa sibi semina, vitalem pluviam, Domine, mittito, hoc scilicet humore aspersa cadavera novis repullulascent frondibus; sub humili gleba sepulti jacent mortui, sique tuo perfundantur rore, quasi sata suis operta sulcis statim in magnam segetem erumpent: tuum opperitur imperium illorum silentium, tuam præstolantur in tumulis lucem, a qua vitam sibi immortalem reddendam confidunt, oraque sua ad agendas tibi gratias pro parta sibi salute solutum iri; utinam tibi, Domine clementissime, placeat aliquando tandem generis nostri relevare casum, membrorumque nostrorum ordinare compaginem, & corpora in pulverem redacta reficere; tuo quippè numine reparanda speramus, quæ hucùsque perdidimus. Reliquum est, ut ad prædicandam tuam in nos beneficentiam vivos & mortuos & cuncta, quæ condidisti secula provocemus; ita Domine, tua in nos præclara merita celebrabunt seri nepotes, nec ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet.

[illegible]

CANON LVI.

Canon 12.

Enimverò ubi mihi venit in mentem supremus dies, quem Reparator mortuorum suo adventui præfinivit, futuri judicii timore perterritus, totus contremui; omnium nempe dierum ultimum eum fore sciebam, qui victores pugiles beatorum sedibus transcribet; ejusmodi porrò mihi objecta species, quæ mox dicturus sum, suggessit. Adeste igitur, fratres, socii, Patres nostri juris consulti

[illegible]

advertite huc, precor, animum, paucis vos morabor.

Quæ modò nobis fluit, vitam videtis; quid habet ista commodi, quid non potiùs laboris? Quàm varia ejus ratio, quàm vaga volubilisque fortuna: humana omnia occidunt, fluunt, ac labuntur, præter rectam fidem & veram sanctitatem, quas in publicum prodire pudebit nunquam. Cogitate quomodo improvisa nobis nostros Mors abstulerit majores: atqui scitis quot illi pertulerint labores, quotve exerciti fuerint ærumnis, ecce autem evolutis vivendi spatiis mortuos hausit humus & absumsit, cecidère potentissimi Reges, suoque casu sua regna oppresserunt, nec eorum ruinam suffulsit debellatus orbis, armisque subactæ gentes nullam lapsis tulere opem, nec afflictos relevarunt opes arenâ copiosiores, aut congestæ supra omnem censum divitiæ. Attamen ad propagandam in posteras ætates sui nominis famam condidere urbes, altis cinxere muris, communiere propugnaculis, statuas admirandæ magnitudinis erexere, pingi curarunt augustas imagines, arbitrati perpetuos fore testes fortunæ atque gloriæ suæ; Mors ecce illorum spes & consilia pervertit, ipsosque bonis vitâque spoliatos rapuit, cadavera in pulverem redegit. Magistratu alii summisque honoribus fulsere priùs, quibus placebat nobili curru vectari, & equos habere forma ac celeritate præstantes. Quid? Num non istos præceps, rapida mors tandem nobis eripuit tumuloque dedit? Putrefacta membra en vorant tineæ & vermes. Rursus percontare quis habeat modò locus fortissimos duces rebus domi militiæque gestis claros, hos scilicet sors similis communi mortalium voragini transcripsit, pulveri, unde crevère, restituendos. Vel quas petiere oras divites, quos insita habendi cupiditas aurum colligere suasit, & in seros annos recondere? Viden', ut quas coacervarunt opes, subita mors abstulerit. Rursus mirare quomodo brevi intervallo defluxerit fœminarum Hevæ nepotum eximia illa oris species & excelsa corporis statura, indeque totius corporis dignitas, tum amplæ & ornatæ vestes. Siccine mors simul omnia sustulit & dissolvit?

Non aurum, fratres, hominum quempiam immortalem fecit, nec prædia fundique vitam cuiquam ultra præfinitos terminos protulerunt, non eximunt letho sceptra Reges, Dynastarum & Principum fortuna mortalis & caduca est, eorumque caducitatem testatur casus ipse corporum

A rum & conspicui cineres; mors Rectores populi sibi subjicit, qui aliis jura dederunt sibique scelera aggerarunt; suumque subire jugum cogit tyrannos, qui rempublicam iniquo imperio pessundederunt, nec opulentis parcit, quos avaritia omnia venalia habere docuit, nec impunitos dimittit rapto vivere assuetos, pulverem utrisque pro auro ingerit. Nautam suetum marinos fluctus fragili subigere ligno B appellat & judicat: literatos frustra reluctantes rapit, quòdque veram sapientiam neglexerunt, redarguit; ingenii acumine rerumque notitia excellentibus vocem intelligentiamque adimit, temporum rationaria indagantibus cursum intercipit, obmutescet illic raptor a suo raptore oppressus, solvetur servitus, servis supremi Domini ad dexteram locatis: quiescet C arator, mors laboris finem dabit, eadem avaros colligatis pedibus manibusque prosternet, qui rerum fluxarum cupiditati nullum statuère modum: oris contumaciam comprimet, & oculorum licentiam compescet. Calceamenta multi laboris opus illic necessaria non erunt, ubi duro compede constringentur pedes: pretiosæ vestes detritæ consumtæque in pulverem abibunt, nudata corpora inde abscedere ve- D tat insolubile mortis vinculum. Non descendunt ad inferos magnificæ ædes, non triclinia, non thalami dominis in eum carcerem relegatis, ad alienas transeunt ista manus, nec a nobis discedentem sua sequuntur bona, nec per fas nefasque quæsitæ opes. Æquissimus ille Judex acta nostra severè discutiet: tuba vicinum Unigeniti adventum prænuntians clanget, quo E clangore totus concussus trepidabit orbis. Sol suos contrahet radios, & Luna suos, ratos astra motus intermittent, suum cæli ornatum deponent, quidquid ars excogitavit & finxit gemmis esto refulgens & auro, recidet in nihilum, amplissimarum urbium ruinas vastitas & solitudo teget. Pii promissum regnum adibunt, & in Paradisum translati ævo sempiterno fruentur, & impii detrudentur in Gehennam commeritis illic plectendi pœnis, unde, agente F sceleris conscientia, clamare cogentur: justum Judicium tuum, Domine, Rex noster.

Agite, carissimi, quod sapientes decet, & mutua nos adhortatione juvemus. Quem itaque admissa præteritis annis peccata remordent, eleemosynis ipse se redimat: linguæ fræna laxare, & quavis data occasione aliorum facta sugillare & carpere suetus, sua dicta ad trutinam revocet &

A & expendat, divinæque justitiæ Judicium timere discat. Quique sibi in multos suffectura annos alimenta congerit, victu diurno contentus, incerti temporis curam abjiciat, & cui fervet avaritiâ pectus, Giezi exemplum intueatur & exitum pertimescat, qui autem inopiæ pauperum suis facultatibus opitulari consuevit, in beato Job videt, quod non erubescat imitari, qui suam cum esurientibus mensam participat, B laus huic cum Abrahamo communis erit. In ea itaque, fratres, incumbamus studia, quæ nobis salutem afferant ac tueantur. Id agamus, unde Bonus nostram animadvertens erga se voluntatem & syncerum amorem, suas nobis aperiat fores, ejusque nos recepti in domum, ipsius misericordiâ vivamus.

CANON LVII.

C

Canon 13. Regem mihi, precor, exorate cum lacrymis, fratres, qui a vestro propè divellendus sum consortio. Orate, ut mihi contingat hinc decedenti beatam invenire vitam, & ad perpetuam venire lucem. Non est tibi, frater, unde doleas, quando nec tibi hæsit culpa, unde timeas: confide, tibi placidus occurret is, qui est super omnia benedictus, tuosque ampla mercede labores compensabit. D Decretoria mihi prope imminet sententia: vitæ meæ spatia contracta, finita sunt: ante provisum viaticum Rex viam inire jubet. Misericors est, facile de suo supplebit, quod tibi deesse putas, quas habes mnas, in millia decem tibi auctas repræsentabit. Sed & confide, sponsus, cui servasti fidem, tuo imponet capiti coronam. E

Atqui evoluto concesso mihi vivendi spatio, en adest Angelus dierum censor meorum, cogitque me cunctantem præcipitare moras; meum potius flete casum, profusisque lacrymis vestras pro me preces adjungite, discedentem & a vestro convictu mox separandum animo memoriâque retinete. Equidem dum reputo paratum mihi rogum, refugit timido sanguis; F quapropter diffidens precationi meæ deprecatores vos cupio; multùm præsidii, multùm opis ex vestra suffragatione spero, tremendum dum paro trajicere ignem. Pone metum, frater, ad illum tranandum ille super omnia benedictus vires subministrabit: dabit ipse pennas, quibus furentes flammas facile supervolabis.

CANON

[illegible]

CANON LVIII.

Canon 14.

MOrtem & Diabolum altercantes audivi, uter ipsorum esset potentior hominis adversarius. Suam Mors extollebat potentiam, cunctos sibi subigentem mortales: suam Diabolus artem, quâ eosdem, quum libuit, in nefaria scelera, & pessima facinora præcipitare solet & perdere. Favete, adeste & cognoscite jure ne, an injuriâ reportatam de genere nostro victoriam sibi arrogent ambo; liquet enim contrarium accidere, ut victus uterque sit, nec vicerit unquam, imo nec vincendi ipsis spes ulla supersit. Ehodum Mors, Diabolus inclamabat, quid superbis & Justis insultas? Domini tui proles sunt isti, nec tuo, sed parentis imperio parent, dum tibi se sistunt. Atqui tibi, improbe tentator, Mors reponebat, obedire cuique liberum est, ego verò vel invitos ad tumulum rapio. Non abnuo, ajebat Diabolus, atenimverò pudet utique me tyrannum dici, & liberos servorum habere loco; idcirco aliam mihi placuit inire viam, ut rem dolis & illecebris transigerem, nec patientes & invitos, sed volentes libentesque haberem subjectos. At si qui, Mors instabat, imperium dederunt, abrogandum decernant, num tu decretum infringere potis eris? Meum contra jugum cuinam effugere, aut excutere licebit unquam? Nec ego id diffiteor, Diabolus subdebat, at tu etiam fateri debes, tuum subire jugum eos dumtaxat, quos istud pati cogunt prostratæ vires & valetudinis casus. Ego verò tanto feliciore successu dimico, quantò plus viribus, opibus & potentiâ adversarii valent.

CANON LIX.

Canon 15.

PEr obitum corpore solutus animus consistit anxius ac admodum tristis in bivio, unde statim binæ erupère acies contrariæ & discordes, dum ad suas unaquæque partes illum trahere decertat; mali siquidem dæmones instant, ut præcipitem impellant in Gehennam: obstant Angeli, & ad lucidas Beatorum sedes deducere contendunt, in eo immortalis vitæ æternæque mortis confinio constitutus animus flocci non faciet carissimos quondam amicos, fratres, cognatos & familiares, congestas opes aspernabitur, & quæcumque possedit bona; suorum illum peccatorum sola premet recordatio, exagitabit & anget; obstupescet enimverò se in tam multis peccare potuisse., tum verò ad corpus, cui haste-

hactenùs insederat conversus, vale, fidissime comes, dicet, nos separat mors, tu hìc manebis, ego discedam : cui corpus : omnia tibi, mihi carissime, precor bona, incolumitatem, salutem, reditum ; qui autem nos ambos condidit, cavebit nobis utique, ne in tartarum devolvamur.

[illegible]

CANON LX.

Canon 16.

SUccurre, Pater, meum miseratus fatum, placidus occurre mihi, clementissime Judex ; sed me, qui tuo sum sistendus judicio, prius è tumulo evoca ad vitam eo die, quo tuum apparebit signum : ita Pater, qui me ex sola tua misericordia è luto formasti, labefactam mihi restitues formam, quum supremo Mundi die omnium mortuorum fracta remolieris corpora. Credimus utique, Jesu Rege nostro comparente, sepulta ab Orbe condito cadavera esse revictura : vitam ipsis refundet illius vitalis vox, & omnes excitabit dormientes. O diem cunctis mortalibus formidandam, quâ dispositis suo quoque ordine tribunalibus, obeundum vadimonium reis denunciabitur ! O qualis iniquos tunc obruet confusio, reputantes æterna ipsis apud inferos supplicia constituta ! O me miserum, cui prope imminet judicii dies, qui cuncta malefacta mea propalabit ! Quis autem justificabitur in conspectu tuo illâ horâ, quâ libros aperies ; nec enim ibi pœnitentiæ, aut precibus dabitur locus, ubi sententia decretoria de summa litis ferenda erit, cui proinde vel dicto, vel facto nemini refragari licebit.

[illegible]

CANON LXI.

Canon 17.

OBsecro, Domine, ne me cum impiis constituas ; quum ego te confessus fuerim, tu me vicissim confitere : ne me, precor, ad sinistram colloces, qui utique Diaboli socius non fui : prohibe, quæso, malum, ne in igne positus voces mittam doloris, qui laudis tibi hymnos cantavi, aut atro clausus carcere vociferationibus furiosis insaniam, qui noctes in Psalmis traduxi : neve rejicias me in numerum eorum, qui te in Crucem egerunt, qui Crucem tuam meum duxi refugium : neque committas, ut a tuo tribunali contracto animo & capite demisso discedam. Aspice me, precor, adsis & placidus juves, & avertas malum magne Judex & magnus judicum censor.

CANON

[illegible]

[illegible]

A

CANON LXII.

Canon 18.

OPidò quàm magnus generis noſtri Auctor in ſua conditione fuit: rurſus mirum quàm deſpicatus & nullus evaſerit in ſua diſſolutione ac interitu; reſurget tamen tuâ, Domine, gratiâ redivivus è tumulo. In ſua conditione Conditoris ſapientiam velut in viva imagine repræſentat; in ſua diſſolutione veteratoris accuſat nequitiam, cujus fraude periit. Sed confundetur utique Diabolus reviſurus illum gradu repoſitum priſtino. In ſuo natali clarus & ornatiſſimus fulſit, omnem ſubſecuta Mors ſuſtulit gloriam: ſi vivus aliquid fuit, mortuus jam nihil eſt. Tuum eſt, Domine, collapſa reſtituere, qui cauſas cognoſcis, & acta examinas, tu, qui reum condemnas, & inſontem abſolvis.

Hominis ſpecies divina eſt, eſto exitum, qualem muta animantia ferat; formæ, quam, Domine, nobis dediſti, intuere dignitatem, & qualis eam decet, ipſi decerne locum. Vivus unus ipſe omnes loquendi facultate excellit: mortuus mutis animantibus compar factus mutus erit. Tu, Domine, loquelam & cantum reſtitues. Interea verò dum noſtri corporis compago diſſolvatur, reliquis nos ſoluti curis, Mundi vanitatem conſideremus, eâque perſpectâ, hoc unicè ſatagamus, ut Domino operam noſtram approbemus. Omnipotens Deus, qui flecteris precibus hominum, reſpice nos, tuiſque verbis nos ſolare afflictos eo die, qui nobis tuas laudes narrandi canendique adimet facultatem obturatâ profluentis ſcatebrâ, & ſiccato eloquentiæ flumine.

[illegible]

CANON LXIII.

Canon 19. In tempore Peſtis.

MAgnam panegyrim indixit Mors, contraxit populos & gentes, Reges & Principes, Præfectos & Satrapas, totam concuſſit terram, turbavit inſulas & maria, Orbem univerſum commovit, ſed & omnes Mundi ætates ac tempora concitavit, ampliſſimam aperuit voraginem, ſepulcrum omnium ſeculorum mortalibus paratum receptaculum. Mortuorum media in regione ſedet ſuo ſtipata ſatellitio Regum more: circumſtat promiſcua hominum colluvio, cujus numerum ipſa novit, quæ omnes traxit nulli evitabilis Mors. Jamque magnam generis noſtri partem proſtravit, & in atrum com-

[illegible]

compegit carcerem , loquentes vivos cum ſilentibus mortuis acervatis cumulis permiſcuit , ſepulcra cuncta patent , clauſæ ſqualent ampliſſimæ ædes , illa cadaveribus farta , iſtæ habitatoribus vacuæ ; apertam ad oſſuaria viam frequentiſſima turba terit , vitæ deſerta via eſt : Infernus & perditio non ſaturantur , nec ſepulcra dicunt : Ohe ſatis eſt : deſerta omnia ſine capite ſine viribus , deſolata tecta , intermiſſa opificia , inculta arva : una omnes jam urget cura ſepulcri , hæc dies noctesque miſeros fatigat , hanc nemo in poſteram rejicit lucem : inſtat quiſque ſolicitus proprio corpori præparare tumbam , hæc mollibus lectulis potior evaſit : ſatagit quiſque tot conſtruere buſta , quot habet domi familiares : pauperes curtam , quæ ſuppetit , ſupellectilem divendunt , dum inſtitas ad funeris pompam comparare feſtinant : pecunia , aurum contemnitur ; cavent omnes , ne ſibi poſt obitum ſepulturâ carere contingat : confluente undique multitudine fervet via ducens ad loca mortuorum ; ſcilicet tanta fit morbo ſtrages , ut humandis cadaveribus vix ſuppetat locus , dumque ſuorum quiſque curat funera , deficiente pollinctore , jacent ſtrata in viis exanima corpora , aggeſti ubique tumuli terræ contraxere ſpatia , inſepulta cadavera tabes abſumſit .

Quum verò curatio ipſa & contactus ægrorum vulgaret morbos , indeque Mors ob oculos verſaretur , inceſſit deſperatio , & velut acciſâ vitæ retinendæ ſpe , funeris una omnes cura ſolicitat , ſatius eſſe arbitrantes , ſepulcrum ante lethum occupare , quàm , morte ſecutâ , ſepulturâ multari . Sani ſuperſtites peſtilentiâ ante ſublatos beatos prædicant , ut quibus juſta perſoluta fuerint , & peracta de more parentalia . Terra cadaverum computreſcentium tabo infecta imbuit ambientem aërem odore teterrimo : defluxit omnis formæ decor putrefactorum corporum contagione corruptus : pulcherrimi juvenes luto fœdiores evaſere : corpora venuſtiſſima , & ad miraculum exculta , in vermium colluviem Mors tranſmutavit .

Accidit interea frequentiſſimus ad ſepulcra hominum concurſus promiſcuæ multitudinis vivorum atque mortuorum ; mortui ſepulti jacent , ſepultos vivi complorant , mutati hominum vultus , ſpecies jam nulla eſt , nec ſervus ab hero , nec à formoſo deformis diſcernitur : cuncta longè lateque loca peſtilentia invaſit tanquam

A quam messor indiscriminatim obvios demessuit, lactentes è sinu matrum deripuit, & in cunabulis parvulos elisit: juvenes ruri, domi virgines corripuit & sustulit: sponsos in epulo nuptiali oppressit, nuptiarum lætitiam vertit in luctum: novas nuptas exanimavit & abjecit, thalamos subvertit: cantus & choreas abrupit, mœstitiam & fletum domesticis indixit. Ab urbe ille decesserat, in B alias migraturus oras, iter Mors intercidit & extinxit: pulsabat iste fores propinquæ domus, respondit ab intra Mors: forum alius intraverat, processum illi interclusit: alium viam ingredi cogitantem eadem excepit & abduxit: alius mensam instruxerat, Mors intercessit, paratâque dape frui interdixit: durum alius fugiebat herum, servo fugitivo liberta- C tem restituit obvia Mors, cuicumque illa occurrit, sepulcrum parat.

Vacuatæ ædes ossuaria impleverunt texeruntque, monumenta aperta mox inferenda opperiuntur cadavera, clausæ domus habitatorum absentiam testantur: risus, lætitia undique exulant, regnat ubique fletus, mœstusque per omnes it gemitus & dolor & horror: ipsa terra incolarum suorum calamitatibus ingemiscens, Dei mise- D ricordiam multis & supplicibus precibus solicitat, ut placatus velit tantis malis dare finem. Obsecro, Domine, clamat, Morti pone modum, funeribus vix unquam saturandæ nostris, jube a cædibus jam tandem continere manum; facta sum quasi vidua undique deserta, attonita stupeo, nec satis mihi jam consto. Viæ desertæ sunt, destitutæ habitatore domus, E sublatis civibus silet forum; mutarum animantium voces, mitissime Deus, & atroces gemitus exaudi, precor. Areæ dominorum casibus illacrymantur, cessarunt aratores, ereptum lugent pecora pastorem, ignotis in montibus sine rectore palantur: mœret equus sessore amisso & crebris hinnitibus domini interitum complorat: arva suis destituta colonis squalent, simili squalore obsita horrent agri F & vineæ, data pecoribus pascua: obsecro, Domine, Inferni claude fores, & Mortis os obstruito, obsigna, quæ illa, lue grassante, aperuit monumenta: situ & illuvie sordent domus, solitâ frequentiâ orbatæ viæ lugent: triclinia, cubicula ulcerum putrescentium odorem spirant, cadaverum saniem olent viæ; sic extra & intra, & ubique aër putredine tabescentium corporum halitu infectus putet. Torcular sibi Mors intra ædes nostras

stras construxit, cujus fama latè per Orbem pervagata est, collegit populum nostrum, & quasi uvas calcavit.

Verumtamen videte, fratres, ne vobis memoriâ excidat causa, ob quam pestilentia nos invaserit. Enimverò quamvis obriguerit nobis cor, & saxi naturam induerit, attamen quæ mala nobis inciderunt, sentire debemus, atqui nobis cavendum est, ne, Deo nostra peccata vindicante, talibus pœnis exerciti ita ploremus, ut simul orphanum immeritum flere compellamus, neve hodie præbeamus caritatem, posteroque die aspera odia exerceamus; omnes itaque puro corde & continuis precibus Deum propitiare studeamus, ut pestilentiæ finem faciat, nostrique misertus avertat mala, & nos dignos efficiat, qui die novissimo ipsum beatas sedes repetentem sequamur.

CANON LXIV.

Canon 20. In tempore Pestis.

QUorsum jam quæritur historia rerum procul ab ætate aspectuque nostro gestarum? Mors ecce in ædibus nostris cujuslibet ætatis mortales depascitur, virgâ furoris armata sævit, cum utroque parente natos effert ad tumulum, cadavera prosternit humi, mox etiam dissolutâ compagine ossa disperget, quà finent monumenti spatia: dulces expirant in complexu matrum infantes, & quasi decidui flores juvenes intereunt, ventres, qui vivos effuderunt, sequuntur extinctos: repentino casu exanimata corruit mater, quum infans penderet ab ubere, sive oscula porrigeret, seu luderet ejus comâ & dependulis cirris: vocat interim balbutiente ore matrem, nec eam obriguisse sentit; sic dulces cantus & suavia oscula intercepit Mors. At at quònam defluxit fons ille inexhaustus materni amoris? quomodo pressa silent labia adeo in sermone blanda, nec viscerum suorum fructui ulla jam libant oscula? cur vos, amici, in crudelem matrem non insurgitis, quam piget gnato in ipsius sinum corruenti succurrere? o mulier, quàm cruda es, quàm barbara, quæ viscerum tuorum sobolem negligis. Quid? estne hic, quem gestasti per menses novem? num alius est ab illo, propter quem nuptias optasti, & ædificasti domum, ut videlicet fieres mater, & facultatum tuarum haberes hæredem? quodnam te modò impulit malum, ut natum non modò desereres, sed & a tuo conspectu procul abigeres, adeò

A adeò abfuit, ut à collo tuo fuſpenſum amplexareris. Ehodum quid cunctaris? tende brachia, & natum ſuſtolle tuum, dira mater, admove ori ubera, & lacta, amplectere, & labiis fige oſcula. O inexplicabilem luctum! nec tamen in lacrymas ſpectantium diffluunt oculi, nec erumpunt in voces dolore plenas: extinctis dominis ſolitudine horrent domus, nemo tamen ſecum reputat tales fore, quas habitat B ædes: relictæ opes dominum repoſcunt, pater occidit, filius parente orbus undique derelictus errat: ſuper nati cadaver exanimata corruit mater: reliqui ſilent, ſuis ſcilicet diriguere malis. Quid nos ergo tantoperè ſolicitat lucis hujus uſura plena lacrymarum atque mœroris, in qua cum maximo cruciatu atque dolore retinemur? quum nobis optandum C magis ſit invenire ſepulcrum, quo noſtræ mortalitatis ignominia tegatur; verendum namque eſt, ne pollinctorem aliquando deſideremus hanc protelando curam, adeò crevit pereuntium numerus, totque jam deſertæ ſunt ædes: texêre vias aggerati morbidorum grabati, neglecti, derelicti in compitis mortui jacent in conſpectu ſuorum ſimilem mortem expectantium. Quis talia vidit unquam, aut huic ſimi- D lem ſcenam ſpectavit lugubrem horribilem? ſcriba ſuo caſu calamum fregit, tabulis caput alliſit: feretro eodem bini, quandoque terni efferuntur diſcipuli ſtupente magiſtro, & attonitis parentibus: cum ſuo cultu virgines, cum ſuis coronis ſponſæ, ſenes, juvenes & impuberes pueri gregatim ad inferna deſcendunt: fœminæ in gynæceis occultæ vulgi oculos fugie- E bant: ecce velut morticina canum extra ædes projecta earum cadavera pedibus proculcantur: jamque adeo aſſuetudo mali animos efferavit, ut non modò non lacrymis proſequantur mortuos, ſed nec efferant quidem, aut ſepeliant: cadaverum numerus adeo increvit, ut aſſiduo labore laſſati pollinctores, curam prorsùs abjecerint, nec invenire ſit, qui ſodalium calamitati mentem adhibeat. Venêre dies, F quibus intra canum, aut agreſtium beſtiarum viſcera ſepulcrum opperiri compellimur. Eja, fratres, ſupplices ad cælum tendamus manus, Dei clementiam cum gemitu & lacrymis imploremus. Succurre nobis nunc, Deus, quæſumus, ut invaleſcentem in dies peſtilentiam avertas, neve committas, ut ſervorum tuorum corpora pereant, & canibus avibuſque præda fiant: ab hujuſmodi ignominia tuere, precor, novos item nuptos, & pro-

prohibe, ne, dum venuſtati ſtudent, & mundum parant, lue correpti cadant, eorumque cadavera feris diſcerpenda relinquantur. Rurſus ne viri fœminæque poſt ætatem integrè caſtèque exactam ab obitu proiiciantur in vias, & à tranſeuntibus tanquam retrimenta proculcentur.

Interea verò dum infelix populus in tanta mala præcipitatus, rerum humanarum ſpectaculum præbet, fratrum noſtrorum cladibus nos ingemiſcere juſtum eſt, & cum acerbo dolore & luctu divinam clementiam in auxilium invocare, antequam lux nos deſerat. Te, Pater & Fili, mortui vivique laudent, & Spiritum ſanctum ſemper glorificent. Amen.

CANON LXV.

Canon 21.

Beatum dicite, Fratres, cui perſuaſum eſt, Mortem ſibi eſſe inevitabile malum, proptereaque viaticum ad viam providet ad ſempiternum ævum ducturam; quamobrem beatum te, cariſſime, arbitramur, qui non ignarus humanarum rerum, quàm eæ fluxæ & mobiles ſint, piorum operum theſaurum tibi in cælo repoſuiſti. At tu, Domine, eâ die, quam vindicandis impiorum ſceleribus præſtituiſti, fer afflicto opem merito Crucis tuæ, ſicut latronis miſertus es. At tibi, Frater, bona ſit ſpes, fore ut eo, quo cæleſtis Rex venturus eſt die, te è ſomno excitet, & indumento gloriæ exornet.

Sedenimverò Mors me mærore complevit, cariſſimi, eò quod a veſtris ſubſelliis in ævum ſempiternum me ſeparare parat. Ut tamen ita ſit, citharam certè tuam, quam illa noſtris choris auferet, ad ſupernam Jeruſalem transferet, ſuaviſſimum melos illic modulaturam. Tu autem, Domine, ne, precor, avertas faciem tuam à ſervo tuo ſupremo vitæ die, quo à tua majeſtate ejus cauſa diſceptabitur. Tu verò confide, frater, navatam ſibi Chriſtus operam mercede fraudare non poteſt, pro tuis proinde laboribus te illic ad commeritos honores provehet. Hoc ipſum, Fratres, me exagitat, quod quis non timeat? quum ſciam illic unumquemque pro operum ſuorum ratione præmium, ſeu pœnam laturum, ſicut ſcriptum eſt. Tua, Domine, gloria in tuo adventu ſuâ luce me recreet, ut tuâ gratiâ ſublevatus in illud transferar regnum, ubi ſempiterno lumine Juſti amici tui beantur. Spes es mœrentium, dulce præſidium afflictorum, tua, obſecro, pro me nocente ſtet pietas. Spes illa, quâ te per dies & noctes ſuſtenta-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A ſtentare conſueviſti, eadem futura eſt ad Paradiſum comes, quum tibi reſurrectionis affulſerit dies.

Adeſto mihi, Salvator meus, quum apparuerit miſericordia tua, ut reſurgam, tibique pro collatis beneficiis gratias agam, quas debeo, maximas cum Sanctis, qui virtutis ſtudio claruerunt, & Martyribus, qui coronam adepti ſunt. Interim dum hæc agitur vita, da nobis, ſic noſtram B curare ſalutem, ut aliquando obtingat tuo potiri aſpectu, tuamque in nos beneficentiam teſtari.

CANON LXVI.

QUicumque Mortales eſtis accepti beneficii memores, Filio Dei habete gratiam, qui vos à Mortis ſervitute C liberavit; nam quum veſtra vos peccata in hunc carcerem conjeciſſent, ad inferos ille deſcendit, mortiſque vincula rupit, & Mortuos e ſepulcris ſuſcitavit. Et quoniam collata generi noſtro ab eo beneficia nec compenſare, ſed nec ſatis quidem æſtimare poſſumus, noſtra certe damna recogitare debemus, & ad ea reparanda pœnitentiæ nobis ſubſidia comparare. Rapido curſu præterfluit tempus, nihil ſem- D per floret, ætas ſuccedit ætati: felices, qui præteritæ vitæ malefacta damnant & expiant! miſeri iniqui, qui juſtitiam necdum didicerunt! Quòd ſi, Domine ſanctiſſime, ex jure & juſto noſtras dijudicare cauſas velis, quem tuum abſolvet Judicium?

Canon 22.

Nemo partis opibus confidat, nemo adeptus honores ſibi de immortalitate E blandiatur: non mortem, non perpetuum ignem arcent iſta, nec vos à pœna abſolvunt. Spes noſtra in Deo ſit, in cujus manibus poſita eſt Mors vitaque noſtra; ab eo petendum eſt, ut ab atro carcere nos liberet, in quem ſceleſti detrudendi ſunt. Nemo confidat ſibi illud ſemper ſtabile & firmum permanſurum, quod fragile & caducum eſt, in miſera, infirma commutabilique vita verſamur, cujus gratiâ vi- F tam immortalem amittere certe non debemus. Quid enim prodeſt, ſi quis *Mundum univerſum lucretur*, & animam in Gehennam præcipitet, & incurrat in incendia nullum habitura finem. Una igitur nos cura ſolicitet, ut videlicet opera noſtra Regi Chriſto approbemus; hic enim cordis noſtri ſecreta ſcrutabitur, noſtraſque cogitationes propalabit. Satagamus ergo, ne fortè ab eo deprehendamur pravis cupidinibus capti, atque ad inertiam & volupta-

Matth. 16. 26.

luptates pessum dati, nobisque illa regerat: *Nescio vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem*. Dum sumus in his inclusi compagibus corporis, patetque aditus ad implorandam Dei misericordiam, & obtinendam delictorum veniam, ejus placare justitiam studeamus nostrorum conversione morum, & horrendum judicium effugere, quoniam severissimum est, quæque intentat supplicia, maximè diuturna sunt.

Matth. 7. 23.

Divinus sermo in Evangelio sempiternam pœnam iniquis disertè comminatus est, vitamque beatam & in omne ævum mansuram promisit Justis; edixitque Iniquos suarum legum contemtores ad sinistram abjiciendos; Justos verò, qui ad illarum normam suos exegêre mores, ad dexteram cum honore locandos; ideo tuam, Rex Christe, clementiam oramus, ne servis tuis peccata eorum opponas, quoniam Sacramentum Corporis tui sumserunt. Tua, quæsumus Domine, pietas in supremo illo Mundi die, & mortuorum restitutione ipsorum causam peroret, ut, eâ sibi adjudicatâ, Gehennam evadant, & Spiritu sancto subministrante alas, ex hoc infimo orbe in Cælum supremum invehantur, Justorum cœtibus sociandi. Tuam, Domine Jesu, misericordiam imploramus, tuamque oramus justitiam, ut misertus nostri nostra nobis peccata eo die dissimules, quo Judex in throno tuo sedebis; quoniam fidem tuam obligasti fore ut omnes, qui coram hominibus Te confessi fuissent, vicissim ipse propitius & misericors confitereris coram Patre tuo, qui in Cælis est, & coram omnibus Angelis tuis.

Tui, Christe, memor judicii, mea malefacta vehementer doleo; nec enim ullus illic futurus est lenitati locus, quando dies ipse severitatem exiget; ne, quæso, committas, ut a sede Piorum abactus, incidam in eum ignem, in quo scelerum suorum improbi dependunt pœnam, sed reo supplici da veniam, tuisque constituta Sanctis, quæ ille certè non meruit, præmia decerne.

A B C D E F

[illegible]

CANON LXVII.

Canon 23.

UTI jussisti, Rex Christe, fide comite vitæ meæ ad finem venere dies: istud decretum ab excelso templo tuo manavit, eoque spiritum meum in manus tuas venturum significasti; hoc tantum oro, ut in lucidis sedibus regni tui me con-

[illegible]

[illegible]

A constituas. Veniet dies, quo corruptibile hoc induet, quod nec deteritur, neque corrumpitur: vivit in æternum, qui illud condidit & è nihilo creavit, ejusque vitali voce è tumulo ad regnum vocabitur. Tua, Domine, nos voluntas finxit & ornavit, libuitque tibi tuam nos appellare imaginem; interdicta meis parentibus arbor me perdidit, mea membra succussit Mors, dissolvit & attrivit; una B mihi jam superest spes, si forte Bonus ille, qui me finxit, sua pietate nunc minimè destituat. Quod mihi certum est, corpora nostra postquam labefacta & corrupta fuerint, Filii Dei omnipotente voce revictura sunt, & omnes mortui ad vitam immortalem rediturі; sed & Mortis imperium desiturum, adeo ut Justi omnes illam irrideant, insultentque illis verbis: C *Ubi est, Mors, victoria tua?*

1. Cor. 15. 55.

Quum venerit Rex Christus, Archangelus clanget tubâ, eoque clangore è sepulcris exciti mortui, in momento resurgent nunquam morituri, felices animæ, quibus dabitur erecta fronte in eo judicio consistere. Christi adventum corpora præstolantur, dum animæ dolent tandiu differri ipsorum resurrectionem & restitutionem in formam pristinam, unde eis liceat D interruptos cantus resumere. Laudem & gloriam summo Patri debemus, qui è luto suâ nos voluntate formavit, ejusque Filio Jesu, qui descendit, nosque miserâ servitute oppressos Cruce sua redemit, & Spiritui sancto, qui nos morte labefactos restituet, & pristino reponet gradu.

Prædicator veritatis stultum de resurrectione dubitantem seminis comparatione revincit. E *Insipiens*, ait, *tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*; Mors itaque dux est, ad regnum viam demonstrat. Vereor, ne mihi mea peccata fiant quasi interjectus agger, & aditum intercipiant ad præparatum cunctis Sanctis cæleste regnum. Hoc mihi, Deus, da, ut Gehennam evadam, cætera pro tua voluntate dispone, mihique, quem ipse probaveris, locum decernito.

1. Cor. 15. 36.

F A primo generis nostri parente Mors erupit, & usque ad Christum excurrit. Christus ejus imperium evertit, & peccatum stimulum illius confregit, inde per omnes Mundi ætates parta hominibus per Christum victoria propagata est. Christo habeamus gratias, qui descendit, & pro nostra salute Mortem gustavit; Adamum idem in sepulcro invisit, eique regnum promisit; Quid quod & omnes ejus posteros venturus Judex è pulvere suscitabit. Inte-

Interea verò, dum præsens fluit ætas, anima & corpus fragilis vitæ amore capta ab invicem separari recusant, idcircò, Morte appropinquante, atque imperante divortium, sua damna plangunt, & ambo Dei misericordiam votis & lacrymis solicitant, & dimissionem precantur.

CANON LXVIII.

Canon 24.

CUM omnibus Sanctis tuis, Rex Christe, spiritui servi tui dona requiem, ubi nulla perturbatio dominatur, unde fugêre dolor & angor, ac tristes curæ, ubi sola regnat lætitia de promissa nobis usquequaque perfectâ beatitudine nullumque habitura finem. In Deo collocanda est salutis spes, qui quum nostri generis auctorem ipse formaverit, liquet, eum in sua potestate nostram habere sortem, vitam & Mortem. Humana omnia umbra & nihil sunt, fragile & caducum est, quod fictâ felicitatis spe nos fallit; a tua, Domine, sola gratia status & vita nostra pendet, tu ambo tuere. Supra rerum naturam Bonus nostri amantissimus extulit imaginem, quam ipsius benignitas formaverat. Ex quo autem Mors eam labefactavit, in spem longè præstantioris vitæ, & plenæ in gradum pristinum restitutionis erexit, ut tantâ munerati gloriâ, Muneratoris gratiam testaremur.

Vide, frater, ne imperatum tibi somnum molestè feras; hunc enim futura resurrectio discutiet; audisti utique Salvatorem dicentem: *Qui credit in me vivet, & non morietur in æternum, & ego resuscitabo eum in novissimo die*. Rursus beatus Paulus clamat: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem*. Virtus, quæ illud formavit, collapsam ejus formam reparabit. Quamobrem Justi Cælitibus sociati Domino venienti occurrent, eundemque sequentur in Cælum redeuntem, illic promissa præmia recepturi, ubi animus omni metu solutus optata securitate potietur. Separatur anima à corpore, id videlicet tu, Domine, jubes, indeque eò elevabitur, ubi omnes Sancti magnum diem tuum expectant, in quo sua corpora mirabili decore ornata iterum induent, æternam tibi pro accepto beneficio habituri gratiam.

Jo: 6. 40.

1. Cor. 15. 53.

Paradisi arbor Adamum suo fructu pavit, & vitâ privavit: Crux in Calvariæ monte fons salutaris fuit, ex quo ei, ejusque posteris vita manavit & de morte

A [Syriac text illegible]

B [Syriac text illegible]

C [Syriac text illegible]

D [Syriac text illegible]

E [Syriac text illegible]

F [Syriac text illegible]

[illegible]

A te triumphus, quum antè peccati lue correpti contabuiſſent. Vos precor, cariſſimi, ut quum in templum ad ſolennes precationes conveneritis, memineritis mei, qui a veſtro conſpectu mox arcendus ſum, ſpe omni reditûs inciſâ: orate, ut quum venerit Judex, & unuſquiſque operum ſuorum ſarcinam portabit, mihi propitius ſit. Rex Chriſte Salvator noſter, in die adventûs tui me meo è tumulo B educito, & ad tuam dexteram adſtare jubeto, ſocia me cœtibus Juſtorum, qui tibi placuerunt, & in Crucem tuam crediderunt, Teque confeſſi ſunt, jube me cum ipſis æternæ vitæ hæreditatem adire. Chriſte Rex gloriæ, & Mundi Dominus, tui vultus imagines, quas Infernus mortalium vorago hauſit, recupera & reſtitue: obſtruito os, quod omnes C Juſtos & pios cultores tuos voravit, meque pro tua clementia regni tui hæredem cum illis inſtitue. Eo die adventûs tui, Salvator, qui omnes mortales ingenti terrore complebit, & ad judicium venire compellet, tuam oro miſericordiam: noſtris parcas amicis, qui adhuc in pulvere jacent, tuoque munerare regno, ubi in uno divinitatis tuæ obtutu hæreant ſemper, eoque ſatiati beentur.

D Audivimus, Domine, quum meritorum remunerator ſis, Te Juſtis quidem beatitudinem decreviſſe, iniquorum vero ſcelera pœnâ ſempiternâ vindicaturum; idcircò ſupplices te rogamus, ut placidus & clemens reſpicias eos, qui è noſtro populo vitâ defuncti ſunt, & appropinquante morte ob præteritæ vitæ malefacta ſibi triſtem ominabantur exitum. Hanc, E quam, Fratres, timetis mortem, beatus Paulus Apoſtolus ſomnum eſſe docuit; quare orandus nobis eſt bonus Deus, ne in aliam incidamus mortem, quæ mors ſecunda appellatur. Vidit Ezechiel mortuorum hominum oſſa arida in campo projecta, divinoque Spiritu inflammatus, ſic ad eos vaticinatus eſt: Surgite qui cecidiſtis, divinâ animati virtute, & ejus teſtamini potentiam, qui ſuâ gratiâ vobis vi- F tam amiſſam reparavit. Tu verò, frater, cave faſtidias calicem mortis, quem Juſti biberunt, terrenique Adæ poſteris miſcuit Deus. Veniet Adæ Dominus, teque pulvere excitum ad ſuam dexteram collocabit.

Ezech. 37. 1.

Quum mœſtus cogitarem vitæ meæ defluxiſſe dies, Gratia me melioris vitæ ſpe recreavit, dixitque, confide, ego te hinc decedentem comitabor, teque, tranſmiſſa horrenda regione, ad Juſtorum Sancto-

ctorumque sedes perducam. Statutum est mihi hinc demigrandum, nec porrò me meis cognatis hìc retinere conceditur. Quicumque me ad tumulum effertis, valete, pro me orate, & discite nihil in rebus stabile esse extra unum ex ingenua sua virtute sine cariturum, utpote cui nullum sit designare principium. *Benedicta sit gloria Domini de loco suo.* Mundus transit, & quæ offert bona, caduca sunt: nihil æternum est, nisi veritas & justitia atque promissa a Salvatore felicitas, quique ea fruituri sunt amici ejus legis æternæ custodes. Quod reliquum est, recogitate, rogo, inevitabilem esse nobis mortem, deterit hæc & labefactat humana omnia, nosque ipsius manu cadere necesse est. Dum pœnitentiæ datur locus, veniam & pacem a Domino flagitemus; certum enim & ratum est, posthac nullam serò resipiscentibus restare spem.

Ezech. 3. 13.

CANON LXIX.

Canon 25. *In tempore Pestis.*

Ecce jam sacræ squalent ædes, qui eas frequentet, jam nullus est; omnes scilicet tuum, Domine, mandatum sustulit. Sacerdotes inter gemitus & lacrymas relicti sublatos a suo consortio collegas, atque ad non redeunda mortis loca translatos complorant. Flete, plorate nunc senes, baculus vester confractus est, nec jam relictus est, qui vos labantes sustineat, aut sublevet lapsos, inimica mors illum fregit, contrivit & humavit. Quis vestrûm, fratres, ad tantam civium nostrorum stragem oculos contineat, ne diffluant in lacrymas, quis premat dolorem, ne in acerbos erumpat ejulatus, quis singultus suspiria cohibeat, dum cernit juvenes omni lepôre & venustate præditos, quasi flores torrente æstu arefactos, periisse. Te, summe Pater, qui ad magnam gloriam tuam nos formasti, precamur, tuâ nos pietate serva ac tuere, ne augusta vultûs tui imago dispereat, fiatque inimicorum ludibrium; tuum namque est, salutem & securitatem supplicibus afferere.

Nullum lethi genus est illo funestius, quo impium perire contingit, ipsius impietas rogum, quo sine fine cremandus est, accendit, non est ejus consolabilis dolor, quum summa sit omnium bonorum amissio & desperatio recuperandi. Tuam obtestamur clementiam, ut tantum

A tantum a nobis avertas malum, incolumes serva, neve palam in oculis gentium confundas, quæ te non noverunt. Et quoniam a lege, quam tua Majestas nobis sanxit, haudquaquam discessimus, tuisque præceptis obsecuti sumus, eripe nos, quæsumus, a judicio, quod ad nostram condemnationem venire festinat, & a scelerum vindice justitia, quæ reis supplicium intentat.

B

CANON LXX.

Canon 26.

Dies mei velut somnium avolarunt, & defluxerunt anni mei & evanuerunt: delictorum meorum sarcina tremendum divinæ justitiæ judicium mihi ostentat, & ingentem incutit metum, quamobrem magna animi ægritudine perculsus cum Propheta clamo, ne me servum tuum, Domine, inducas in judicium tremendæ justitiæ, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Pigeat te, quæso, me in sepulcro manere consumtum, misericors es, ingenua pietate motus deperditam corporis mei formam restitue, ut in adventu tuo novum adeptus decorem, merear tuum adire regnum. Postquam peccata invaluere mea, dixit Adamus, continuò rerum mearum ordo perturbatus est; illa me concessæ lucis usurâ privarunt, & quis me tantis afflictum malis relevet? Ægritudo, quæ mihi vitam eripuit, fuit in Paradiso deliquisse me, & Deo jubenti minimè fuisse obsecutum. Nos autem Adæ nepotes, quam ille impio suo facinore aperuit viam, simul omnes ingressi sumus, atque a Dei justitia defecimus; proptereaque a te, Domine, in hac, quâ creti sumus, terra omnibus ærumnarum telis propositâ inclusi sumus, in eandem mox redituri. Verumtamen memento mei, & ignosce reo, opus manuum tuarum sum, tu compegisti me; veniat amoris pristini recordatio in mentem, pius es & mitissimus; veniet illa dies, quando mortuos ad vitam evocabis, ne me, precor, ab illorum consortio disjungas: Tua mihi succurrat virtus, quæ vitam ante dedit; ecce diaboli ludibrium factus sum, ejus, oro, compesce sannas: Tua nos templa appellasti, ne, quæso, sacratas tibi ædes in nostri carnificis potestatem venire permittas, suâ ille actus invidiâ, splendorem, quo offendebatur, nobis eripuit, nudos projecit in non redeunda Inferni loca. Nobis Mors maledicta præest, excubatque pro foribus, exitum prohibere parata, imò & spem omnem

C D E F

Ps. 142. 2.

omnem illinc evadendi abſcindere ſicundè affulſiſſet. Tu autem, Domine, tuum è cælo mitte Dilectum, qui atri carceris ſeras perfringat, quumque adverſarium noſtrum ipſe profligaverit, tu noſtrum reparato caſum.

Magna habent patresfamilias, unde ſibi gratulentur, ſi tamen cuſtodivere depoſitum, & ſedulò atque utiliter credita ſibi talenta Domino ſuo cum fœnore repræſentarunt; navatam ille ſibi operam remunerabitur; ſupremo quippè die manifeſtus aderit, & illos ſepultos è tumulis educet, juſtoque præmio honeſtabit fidem, quâ ipſius explevere mandata, inde in Beatorum ſedes tranſlati & conſociati Angelis magnam aſſequentur gloriam. Tua, Domine, precor, potentia homines tibi ſacratos corroboret, ut ſervos vigilantes ſe tibi præſtent, fidenter expectantes adventum tuum cum ardentibus lucernis, indeque regnum adire tuum mereantur. Hic dies tuis, ſtrenue pugil, laboribus finem attulit; ſtadium ad certamen intraſti, ex quo victor rediiſti, curſum tuum conſummaſti, fidem integerrimè ſervaſti; tibi utique Filius Dei laborum mercedem rependet, ubi ipſius magna dies illuxerit. Quum autem Oriens ex alto ad noſtram redemtionem prodierit, tuas, oramus, pro nobis ad illum funde preces, hoſtia videlicet ſunt ipſi gratiſſima: confide, tuus quum venerit Dominus, & ipſe vocaberis & reſurges.

Filii ſuſcipite diſciplinam patris, atque teſtamentum cæleſtis hæreditatis, ambo a Domino manant, & in æternum manebunt. Extra illa jam nihil eſt, niſi mortale & caducum: Mundus tranſit, ejuſque ſeu commoda, ſeu incommoda ſomnia ſunt; ſola manet vita iis, qui bene vivendo ſemper vivendi pignus accipiunt, & in fine dierum magno Regi venienti occurrent. Bona, quæ nobis prædicata ſunt, nunquam interibunt; hoc mihi Cariſſimi, afferte gaudium, ut omnes in veritate & doctrina ſana ambuletis, ſic enim fiet, ut quum vobis dabitur Sponſi faciem intueri, ego viciſſim de filiorum meorum felicitate gaudeam.

Fratres verbum Domini ſuſcipite, ut vitâ caſtè integrèque tranſactâ ab hoc Mundo in alterum ſine fine manſurum tranſeatis, quoniam Dominus miſericordiam ſuam in appropinquantes ei, ejuſque gloriam diligentes oſtendet, iſtorum corpora in die magna ſua clarificabit, & quod verbis explicabile non eſt, tanquam caput

[illegible]

A caput claritati corporis ſui perfectè configurabit populum ſuum; illic Eccleſiæ filii decreta in omne ævum cælitibus bona aſſequentur; hunc ſcilicet beatiſſimum ſtatum Chriſtus pro ſua ſumma erga eos caritate ipſis præparavit, quem etiam eo die, quo ſe nobis conſpiciendum dabit, mox peracto judicio ad ſuum regnum revertentem comitabuntur.

[illegible]

Partas ecce opes relinquere compel- B lor, imo & veſtem, nuduſque & inops hinc excedere, nec modò quæ mihi affluebat rerum copia, ſed & vita ipſa me deſtituit, honores, divitiæ ad ſepulcri conſtitêre limen, nec licuit ultra progredi, & dominum eò mox inferendum ſequi: cognati quoque mei abiere procul, ſpreverunt me, & conſpectum oderunt meum; ſed & uxor & nati mei, ut me veteri C gloria ſpoliatum aſpexere, ſtatim fugerunt, circumfuſæ cadaveri meo noctis horrore perculſi. Huc vos adeſte, opulenti & potentes, ac funeſtam rerum noſtrarum converſionem & infelicem exitum conſiderate; & ſi quas fortè animadvertitis contractas ex præteritis annis labes, ſi qua admiſſa olim peccata remordent, paratum iniquis ignem extimeſcite & cavete.

[illegible]

D Spes omnium noſtrûm, Domine, tu es, & pereuntium vita; quamquam tibi non pereunt, qui dormiunt, mortui; reſurgent nimirum ſtatim ad voluntatis tuæ nutum, eorum dolores obtuſi vitali verbo oris tui revaneſcent; ſed & ipſorum corpora claritate mirabili illuminata, ad inſtar matutini ſideris, fulgebunt, perpetuâque pace fruetur animus reſidentibus E motibus, quos vehemens & ferox natura ciere ſolebat. Quæ quum ita ſint, precor quæſoque te, Deus magne, ut quas mihi naturæ meæ pravitas allevit maculas, tuâ gratiâ abſtergas, ne fortè mihi aditum ad propoſitam virtuti gloriam occludant, quam tuo favore me aſſecuturum confido; adeo ut poſtquam redivivus promiſſam corpori claritudinem accepero, in ſocietatem cæleſtis regni tui civium me- F rear cooptari. Non nobis tua, Domine, intulit voluntas, quod patimur malum, nec illa vitæ noſtræ ſpatium contraxit, & approperato letho concluſit, unde in nihilum poſt brevem lucis uſuram recideremus: Mortis terminus ad cohibendam peccandi licentiam poſitus eſt, ne homines ſine fine peccarent. Extrema autem Mundi die Dominus Jeſus apparebit, & omnes quidem mortuos vitâ donabit, eos tamen dumtaxat ſibi in regno ſocios adleget, qui

qui strenuam ei operam navarunt, ratus minimè decere homines Cælo dignos posthac in terra morari, quam aliàs ipse execrationibus prosecutus fuisset. Hic porrò admonemur, ut vitæ nostræ rationes eo ordine prudenter ac sedulò componamus, ut quo die venturus est Rex sui regni consortes nos habere minimè dedignetur: ejus porrò domum adsciti præteritarum ærumnarum memoriam perennis felicitatis gaudio penitùs discutiemus.

Invicti Regis nostri adventus universum orbem concussit, atque in sui admirationem traduxit; mortuos quippè excivit è tumulis, illuminavit cæcos, leprosos mundavit, Mortem & Diabolum vicit, generi nostro libertatem asseruit, ipse mortuus & sepultus de sepulcro redivivus & integer emicuit, & in Cælum ad suum Genitorem remeavit. Quum verò tempus advenerit, in terras iterùm descendet cum majestate magna stipatus omnium cælestium Ordinum agminibus: tum verò datam in Evangelio Discipulis fidem liberabit, promissumque in Cælum ascensum complebit, dabitque usquequaque integram sempiternæ felicitatis hæreditatem adire.

A [illegible] B [illegible] C [illegible]

CANON LXXI.

Canon 27.

ME quidem mirificè exhilaravit, quisquis ille fuit, qui mihi narrabat appropinquare diem, quem Dominus suo adventui præfinivit, quique reparabit mortuis amissam præsentis lucis usuram, & futuræ felicitatis spem. Deo gratia, qui mortem inexorabilem fecit, cujus proinde fidem nemo donis labefactare queat, quæ iniquos & Justos promiscuè rapit; ille solus, qui ad tuam, Domine, Crucem profugerit, die adventûs tui te sibi placatum inveniet.

Quum nihil essem, de luto formasti me, & nunc quoniam formam, quam dedisti, labefecit mors, tu, Domine, labefactam restitue, ut perpetuum beneficentiæ tuæ testem me habeas. Rex noster Christus Cælo delapsus ab alto mortuis referet vitam, sepultis lucem, tum verò te precamur & quæsumus, magne Fili Dei, quos è nostro convictu sustulit mors, nobis redivivos restitue, tecum in regno tuo cum summa gloria semper victuros. Vox quippè Filii Dei findet sepulcra, & mortuos ad prædicandam Reparatoris sui potentiam excitabit. Novus tunc lucifer defunctis reddet diem, & Christum in sepulcris laudare docebit. Sic Christus, qui pro-

D [illegible] E [illegible] F [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A propter noſtram redemtionem venit, propter noſtram reſurrectionem redibit. Tu, Domine, meum miſeratus caſum, tribue modò mihi vitam, veniam & pacem, ut in die adventûs tui tuam videam in me clementiam. Quod de me ſtatuiſti, ad effectum perductum eſt, tuo obſecuta numini Mors me ſuſtulit, tua mihi miſericordia amiſſam reparet vitam, beneficii me memorem ſemper agnoſces.

B Chriſti in nos merita ubique teſtari debemus; quippè qui naturam mortalem a Mortis lege exemit, datâ fide ſpeque certiſſimâ futuræ reſurrectionis, gratias igitur habeamus ſummi Patris Unigenito, qui nos à ſæviſſima Mortis dominatione liberavit. Te, magne Pater, invoco, qui nos ab initio è luto finxiſti, propitius eſto mihi, & vitam mihi reddito, quæ viciſ-C ſim tuorum erga me meritorum memoriam mihi reſtituat. Te, Jeſu ſalutis Reparator noſtræ, laudo, qui arbitratu tuo atque ampliſſima poteſtate vitam & mortem diſpenſas. Gloria ſit Patri, Filioque, & Spiritui ſancto, qui vitam reſtituet mortuis, quando Mortis tyrannidem glorioſa omnium Juſtorum reſurrectio ſubvertet, & vitæ inchoabit imperium. In Patrem credidi, & Filium confeſſus ſum, & Spi-D ritum ſanctum adoravi meæ Reparatorem vitæ.

CANON LXXII.

Canon 28.

REX Chriſte Reparator ſalutis noſtræ, hoc mihi da atque largire, ut, quum veneris, me redivivum è tumulo extrahas, quumque tua ſe prodet Majeſtas, E ad ejus dexteram adſtare me jubeas. Tuam, Domine, adoramus Crucem, in qua noſtra repoſita eſt omnis ſalutis ſpes, quæque noſtris corporibus immortalitatem & ſplendorem impertiet; ſalutare tuum expectant oculi mei, & juſtitiæ tuæ ſermonem opperiuntur aures: ne me, quæſo, in ſepulcro deſtituas, quum ſis ſepultorum ſpes. Vox Filii Dei Adamum in pulvere jacentem eriget, & ad terram F quidem promiſſionis, ut olim Hebræos, non transferet, quem Cælo invectum immortali gloria conveſtiet.

Interea verò dum illuc aſcendere necdum licet, Sanctorum voces quaſi tonitrua aures pulſant: inſonant ſuis Apoſtoli tubis, peccatores, ut reſipiſcant, admonent, & veram ſibi vitam comparare ſtudeant, nam quæ nunc agitur vita, fabula eſt: noſtram ecce reſurrectionem nobis annunciant Prophetæ: Apoſtoli propoſitum virtuti

tuti præmium: Evangelium Domini viam demonſtrat, qua itur ad regnum. Te totus, Domine, orbis flexis genibus adoret, & omnis lingua laudet nomen tuum, qui es Reparator mortuorum, & omnium mortalium poſthuma ſpes. Anima autem mea in Deo lætetur, & omnia oſſa mea dicant: Domine, in miſericordia tua vivifica me. Ad te clamamus, Deus immortalis, bonum nunquam natum, nunquam deſiturum, nos mortales Mors ecce premit, manifeſtum tibi dolorem noſtrum confidera, noſtra nos peccata clamare cogunt, quæ aliàs in Paradiſo nobis præripuere vitam, propter quod & nunc & ſemper tuam imploramus clementiam, & obſecramus, ut mortalis & fragilis naturæ tutelam ſuſcipias: ne committas, Domine, ut noſtra nos peccata pertrahant ad interitum, quum ipſe ſis, qui peccata dimittis: ne orphanos deſtituas parvulos noſtros, neve ſenes omni præſidio nudatos ignominiæ & miſeriæ expoſitos derelinquas. Mors eadem eſt ſemper, & ex actibus noſtris noſtrum arguit reatum; jam iſtud dumtaxat petimus, ut nos ab illa tuearis; atrox quippè crudelis eſt, immitis & omnis pietatis expers: Urbi cave, precor, in qua vera in te pietas floret, cujus ſalutaris doctrina omnes circa regiones pervagata eſt, ne, uti olim Sodoma, civium ſuorum ſepulcrum & rogus fiat: clemens amator hominum avidæ Mortis ori injice frænum, & inexpugnabiles ejus portas obſtruito, ſic enim fiet, ut quæ non potuere genus noſtrum extinguere, pedibus noſtris ſcabella fiant. Ne nos tuo, Domine, præſidio, deſtituas pro ea caritate, quâ nos amaſti, etiam nos protege, ut tibi ſedulò ſtrenuèque ſerviamus.

A [illegible] B [illegible] C [illegible] D [illegible] E [illegible]

CANON LXXIII.

[illegible]

Canon 29.

Tibi jucundiſſimus ſemper erit prudentum virginum conſpectus; quippè quæ puro oleo ſuas inſtruxere lucernas ſanctè integrèque vivendo. Sedes in Cælo caſtis & juſtis diſcipulis paratur pro laboribus, quos in terris pertulerunt, illic in Paradiſo voluptatis perpetuis pleniſque gaudiis fruuntur. Subeat vos oro, cariſſimi, mei memoria, quoties templum oraturi intratis; nam etſi nullius noxæ integer ſim, Orthodoxam certè fidem nullâ maculavi labe. Bone Deus, qui naturam noſtram ab initio è limo formaſti, nunc lapſam ac deformatam priſtino reſtitue nitori; ipſius namque ſpes opeſque ſunt

F [illegible]

[illegible]

sunt in te uno omnes. Tuum, salutis assertor nostræ, judicium horrendum reputans expavesco, ne me, quæso, in oculis cælestium spirituum, in foro supremi Judicis causam dicturum, ignominiosæ nuditatis pœnâ dedecores. Vestram exoro caritatem, carissimi, vestras imploro preces, mihi propitiate Deum, ut in augustam gloriæ suæ sedem me recipiat. Non est, cur tuis, discipule veritatis, diffidas rebus, ut qui gloriosam lampadem tuam ornaveris, Domino, quacumque die venerit, paratus cum solenni carmine Hosanna occurrere.

CANON LXXIV.

Canon 30.

DIvini Patris Unigenitus, quem a viridi juventa usque ad effœtam senectutem dilexisti, in Paradiso voluptatis in consessu Sanctorum tui, frater, memoriam tuebitur, quodque integra tibi constitit Orthodoxa fides, pudicus ac decorus ubique status, incessus, vultus, oculi citrà omnem petulantiæ notam, ideo tui nominis fama viget adhuc, & velut odorata species suavem spirat odorem. Ecce in Angelorum societatem cooptatus es, & Paradiso voluptatis tuum transcriptum est nomen, in cælesti Jerusalem corona gloriæ decorandum. Vox illa, quæ Lazarum & puellam Jairi filiam suscitavit, te quoque è tumulo excitabit, secretisque malis omnibus, cumulata bonorum complexione munerabitur.

CANON LXXV.

Canon 31.

VEnere Apostoli nunciantes, vitam nobis tua Morte reparatam, iidem, quæsumus, redeant ad tuum tribunal pii pro nostra salute deprecatores. Christe Rex gloriæ, qui quos amisimus, fratres collegisti, tua nos dextera a Morte, quæ nostris exerto gladio cervicibus imminet, protege; sed & divinus ille Spiritus, quem ex aquis baptismi induimus, nobis tuæ misericordiæ fores aperiat, ut intra ejus limina admissi, tuorum erga nos meritorum amplitudinem testemur; interim suam senes defleant calamitatem, adeo percrebuere funera, ut juvenes senum funeratores pollinctorem desiderent; at si Mors juvenes rapit, quid præter ignominiam restat senibus sepultura cariturís. Cæteras ergo mittamus cogitationes, unaque sit cura precandi Deum, ne nos furor ejus ab omnibus solvat curis eo judicio, quod in Sodomitas exercuit, eò quia

[illegible]

[illegible]

quia aliis diſtenti negotiis ei uni vacare noluerunt, ut precibus & votis Dei clementiam exorarent. Sacerdotes in templo hymnis & pſalmis, quos a Spiritu ſancto acceperunt, tuam prædicant majeſtatem, precor quæſoque te, mitiſſime Deus, averte malum, ne ſacrum, quod tibi funditur melos, in nænias funera ſociorum convertant.

Crux ſancta, quæ Eccleſias fundaſti, & ad gloriam tuam magnificas excitaſti ædes, noſtram, quæſo hærentem pulveri frontem releva, cæteraque membra detrita & conſumta redintegra. Incolæ tecta reliquêre ſua, inde ſqualent deſertæ ædes, ipſa corpora, quum ferendo dolori non eſſent, deſtituerunt animæ. Crux Salvatoris vitæ reparatrix, expultrixque mortis, tu, quæſo, Mundum ſartum tectum, & ab omni detrimento ſincerum integrumque cuſtodi. Pater omnipotens, qui nos veritate obſignaſti, hæreditatem dilecti Filii tui juxta fidem tuam nobis conſerva, refecto, quod de luto formaſti, corpore. Annue, Deus, quod ſupplices, lacrymantes rogamus, ne, precor, noſtras deſpicias preces, ſed conſueta nos miſericordia complectere, & propitius da ſupplicantibus ſervis pacem & ſalutem.

[illegible]

CANON LXXVI.

Canon 32.

REX vitæ Repertor & Reparator de Cælo veniet cum majeſtate magna, redditâque ſepultis uſurâ lucis ſepulcra vacuabit. Univerſa terreni Adæ poſteritas in unum conſerta agmen reſurget, defunctorum Suſcitatoris potentiam teſtatura; quamobrem mœrorem pellite, mortales; fauſta quippè dies Domini adveniet, quæ & dormientes expergefaciet, & mœſtos exhilarabit: Angeli & cælites univerſi Dominum venientem comitabuntur, vobiſque ſua gratulatione diei illius lætitiam cumulabunt. Vos iſta petunt lætiſſima nuncia, quos Crux Salvatoris redemit, & ſempiterni regni hæredes inſtituit, triſtes proinde curas animo excutite, appropinquat ecce Domini adventus, cujus divina vox in intimos terræ ſinus penetrabit, indeque extrahet paratos laudum ejus buccinatores. Laudibus amplificemus & proni adoremus Jeſum Verbum divinum, ejuſque memores beneficiorum recogitemus, nos ejus Cruce fuiſſe redemtos, illumque iterum in terris conſpiciendum, & generi noſtro vitam redditurum die omnium maxima, in qua ejus majeſtas tota ſe prodet.

[illegible]

At

[illegible]

At quis nos liberabit de corpore ? generator hoc eſt & altor pravarum affectionum , mortis mancipium , & ſervus peccati. Deo autem gratia, qui dedit nobis pro ſua bona voluntate victoriam , & nece Dilecti ſui noſtro generi ſalutem aſſeruit. Næ tuam , homo , ſortem ignoras, ſi corporis tui diſſolutionem moleſtè feras. Rex ſiquidem noſter Chriſtus ſumma deſerens , ad ima deſcendet, è ſepulcris mortuos redivivos educturus; educet utique & gloriam regnumque ſuum cum illis communicabit.

Enimverò ſi Adami crimen Mortis invexit tyrannidem , totamque naturam perdidit , opidò quàm potiori jure juſtitiam & vitam nobis reparavit Chriſti Crux, quæ Mortem vicit , noſtrumque genus ab omni reatu purgavit. Hanc profectò ſpem mortuis Dominus oſtendit, magnum doloris ipſorum levamentum , tum quòd è ſepulcro propria virtute emicuit, tum quòd everſo Mortis imperio , aditum mortalibus patefecit ad immortalitatem, atque ad beatam vitam eximiis cumulatam bonis Protoplaſtum & omnes ejus poſteros traduxit ; ſcilicet quia deliquimus , meritò in nos exarſit ultrix juſtitia , quæ quidem nos univerſos diſperdet, niſi tua, Domine, clementia miſeris ſuccurrat, hujus profectò operâ illius remolleſcet ira, & ſtrictum gladium placata deponet . O præſidium & ſalus noſtra , tuam per omnia momenta imploramus opem : miſericors pie Domine, ſuccurre miſeris oppreſſis ; & præſta , ut in Eccleſia ſede gratiarum debitum Trinitati tuæ modulemur carmen . Propter ſcelera noſtra terram diebus iſtis improviſi concuſſêre motus ; ſcilicet quia aucta eſt iniquitas noſtra , ideo graviora nobis incubuere mala . Peccatores , Domine , ad pœnitentiam adducito, & miſerationes tuæ à nobis pœnam commeritam deprecentur, noſtramque nequitiam ſupremo Judici excuſent . Profectò niſi miſericordia tua noſtram in tuo judicio cauſam defendat, nulla ſuper. eſt ſalutis ſpes; genus quippè noſtrum per ſe impotens eſt ad mitigandam indignationem tuam , acceptas à nobis injurias jure perſequentem . Chriſte noſtræ aſſertor ſalutis , humanæ non ignarus conditionis, tuâ, quæſumus , erga nos utere clementiâ ; homines namque ardenter amas.

Jeſu Redemtor meus, ab implacabili Morte eripe me, prohibe malum , ne illa me in tartarum præcipitet , oppreſſum me

ſubleva, meos oppreſſores coërce, & ſervum tuum lætifica, quia ſpes mea & præſidium meum tu es. Jeſus veræ ſapientiæ Doctor viam ad Cælum ducentem nobis ſuis præceptis demonſtravit. Cor veſtrum, inquit, terrena deſpiciat, horreat animus quæcumque occurrunt nefaria & ſcelerata, hac itur ad vitam; ſi ſic res eſt, o me infelicem, quoniam ecce propinquat vitæ meæ finis, & quæ mea fuit ſegnities, nullum mihi viam propediem ingreſſuro paravi commeatum; ſed & quò me vertam, Creditori mox rationem dati & accepti redditurus? quare, dum vacat, remiſſionem debiti ab illo ſupplicibus multiſque precibus impetrare ſtudeamus, ut in proximo judicio nos accipiat placatus.

Lux ſalutaris Inferno affulſit, & mortuis reſurgendi poteſtatem fecit, revixere plurimi, & civitatem ingreſſi, ſuique Suſcitatoris præcones effecti, necis ejus auctoribus execrabile parricidium exprobrarunt. Reſurgetis vos ſimiliter, qui leges Dei negligitis, violatis, rumpitis, videte, ne vos ante peractam pœnitentiam Dei judicium opprimat. Supplices propitiemus Jeſum, ut noſtri miſertus partum nobis ſua nece theſaurum aperiat, atque perfectum ac ſincerum ſui amorem noſtris inſerat cordibus; nos verò, dum præſens agitur vita, paratum nobis ſub ejus alis quæramus perfugium.

Etiam, Domine Deus, meæ arbiter mortis & ſortis, quum veneris, tuus, quæſo, ſuavis & dulcis Spiritus me ſupplicem, ſolum, undique deſertum per ſalutis viam ad tua regna deducat. Chriſtum interim magnificemus & veneremur, ejuſque in nos merita recolamus; humiliavit videlicet ſemetipſum, & pro nobis mortem guſtavit; quid quod & ſuum modò Corpus & Sanguinem nobis impertit, & olim ſua Morte vitam Adæ, ejuſque ſoboli reddidit, & ab æterna morte liberavit? ſed & in extremo ſuo adventu nos pariter ſua Cruce redemtos cum univerſa Adæ progenie ſuſcitabit.

Divina vox, quæ Lazarum è monumento evocavit, tibi, quoque, frater, vitam amiſſam reparabit, mox etiam ad ſuam dexteram adſtare concedet præſtituta die, quâ ſe ejus Majeſtas manifeſtabit. Agite, Adæ nepotes, Filio Dei Hoſanna occinite, cantate hymnos, hunc dicite omnium mortuorum excitatorem; dum ego in hoc vitæ mortiſque confinio diſertè palamque profiteor, me in Patrem credere, cultumque Filii, & puram Spiritus ſancti

[illegible]

A sancti religionem suscipere, atque confidere, fore, ut via plana salutis mihi pandatur ab hisce tribus nominibus. Reputanti mihi tuum, Salvator meus, adventum, cor pepulit horror pectusque tremuit. Quid enim non expavescam, dum meæ menti objicis monumenta situ & illuvie squalentia, mortuorum rejectantia redivivos cineres, & refracta compage fatiscentem Infernum, indeque patefactum B resurgentibus exitum? Mortem præterea inexorabilem, nec ulla arte flectendam, ut parcat, ne fratrem a fratribus, natos a parentibus divellat. Quamobrem vos opto, carissimi, mihi apud Deum in Ecclesia deprecatores, sic vobis promtum est vestris precibus meum lenire dolorem; adproperato ecce gradu Mors vitam mihi in medio cursu abrupit, formam extin- C xit, corpus exanime in sepulcrum projecit. Quotquot ista audistis gentes, Christi gratiam magnificate; ejus quippè adventu & Cruce mortalibus vita reddetur, & servis regnum comparabitur. Siccine me mors abstulit, compegit in tumulum, cor perculit, turbavit mentem apprehensione mali impendentis, animam a corpore separavit.

Brevis est in hoc Orbe vitæ nostræ D cursus, celerrimèque peragitur. O vos, qui ad interitum ruitis, peccatores, resipiscite aliquando, & maleficia vestra damnate; nec enim Mors pretio, sed æquitate jura describit, non æstimat opes, opulentos juxta atque pauperes promiscuè rapit. Gloria Patri, qui nos condidit, & Filio, qui nos Cruce sua redemit, & Spiritui sancto, his nempe tribus constat E beatæ Trinitatis Mysterium, cujus numen mortuos nostros suscitat, & rediviva corpora claritate sua convestit & ornat. Tuâ, Domine, voluntate conditus, & eâ, quæ tibi placuit, formâ decoratus, qui limus eram, in tuam imaginem evasi. Et nunc quem sceleratum rejecisti, recipe sua scelera damnantem, amissam lucem mihi tandem aliquando restitue, ut resurgam, & laudum tuarum buccinator fiam. F Enimverò quicumque ab Adamo terræ filio traxere genus, in terram redibunt, indeque tuo numine reviviscent, & ad loca vivorum deportabuntur, ut in beata illa regione laudent & amplificent Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Illi videlicet qui tua, Christe, redemti veneranda Cruce, in tua fide resurgent, tuâ gratiâ integri culpæ scelerisque puri ipsi ad tuam dexteram collocabuntur. Hinc porrò nobis spes facta est, fore ut, quod enixè

enixè precamur, nobis pariter vitam reſtituas, poſthac in tuis laudibus traducendam.

Jeſum Regem noſtrum, hoſte debellato, revertentem cum hymnis & canticis excipiamus: ejuſque numen genibus advoluti veneremur: id videlicet exigit, quòd nos clementer inviſerit, ſuâque Cruce ſalutem nobis attulerit; quod iterum nos reviſurus ſit, genuſque noſtrum ſomno Mortis ſopitum excitaturus. Interim verò dum noſtram expectamus tuo munere reſtitutionem, te, Salvator noſter, orare obteſtarique nunquam abſiſtemus, ut oppreſſis ſuccurras; implacabilis quippè Mors nos captivos abegit, naturæ ſolvit compaginem, ſimul animam, ſimul corpus peſſum dedit, & cadavera noſtra tumulavit.

CANON LXXVII.

Canon 33.

TErribilis tubæ clangore ſuis excitati ſepulcris mortui laudabunt Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, quorum numine ſua recuperavere corpora. Summus namque Pater generis noſtri auctorem è limo finxit, poſteros Filius vana ſuperſtitione oppreſſos Crucis ſuæ virtute relevavit. Hujus ego beneficii particeps tuâ gratiâ factus, te, Domine, precor, ad dexteram tuam conſtitue me tui nominis laudatorem. Ob iſta tua in nos merita, Chriſte, flexis te genibus, adoramus & confidimus, te vitam & æternam felicitatem piis fidelibus impertiturum, qui videlicet & baptiſmum ſuſceperunt, & Crucem mortemque tuam confeſſi ſunt. Gratias itaque Chriſto agamus, qui Adæ poſteritatem perditam ſuo ſe adventu perfectè reparaturum recepit, noſque univerſos in ſortem Juſtorum, qui ei placuerunt, cooptavit, deſtinavitque ſuarum laudum præcones. Sit tibi laus & gloria, qui reſurrectione tua univerſo mortalium generi vitæ, & in priſtinum gradum reſtitutionis ſpecimen & pignus obtuliſti, quo facto moneremur, te omnis carnis Suſcitatorem pleno ore prædicare, & perpetuis celebrare laudibus.

Ecce appropinquat relegationis meæ tempus, nec ullus adeſt, qui irruentem Mortem a me prohibeat extra tuum, Domine, numen, cujus ſpiritu mortuis vita refunditur. Quare agite, mortales ſimul omnes, laudemus noſtræ ſalutis Auctorem, cujus morte Mortis imperium concidit, & reſurrectio, vitaque beata univerſo generi mortalium parta eſt. Idcircò

[illegible]

cò o anima, quæ ad Christi Crucem profugisti, confide, thesaurum in ævum omne manentem hereditabis: gratiam Reparatori tuo habeto, qui Cælestium spirituum societatem tibi promeruit & præstitit. Talia porrò recogitantes simul rapimur ad suspiciendam adorandamque divini Patris benignitatem erga nos singularem, a quo Unigenitus ad nos allegatus genus nostrum a Diabolo ac Morte liberavit, & nunc ad dexteram sui Genitoris assidens pro nobis omnibus interpellat. Et sanè si prioris Adæ inobedientia Mortem accersivit, & omnes ejus posteros damnavit & perdidit, versa vice secundus Adam reos absolvit & vitâ donavit. Quamobrem iterum iterumque supremo Patri gratemur, quòd dilectum Filium suum nostri generis Salvatorem instituerit, atque debellatorem Mortis & Diaboli dederit, statueritque eundem ad suam dexteram pro nobis adesse deprecatorem.

CANON LXXVIII.

Vitæ labentis usurâ defuncti suis è tumulis divinam erga se clementiam laudant: Deo gratia, clamitant, qui nos aliquando nostro è pulvere relevabit. Vos autem morituri confidite, postquam Adæ corpus ipsius culpâ consumtum, formamque squalore carceris corruptam Christus restituere & ad dexteram suam collocare decrevit, idque, fratres, ad vestri levamentum doloris frequenter animo revolvite, venturam aliquando diem, in qua omnipotenti ejus voce exciti evigilabunt dormientes, deque suo excitatore magna prædicabunt. Tuam propterea, Christe, Crucem adoramus, per quam constat salus & resurrectio nostra, mortuique resurgent, & sua resument corpora, indita sibi divinitùs luce clarificata. Etiam atque etiam te, Domine, laudamus, quòd ab initio naturam nostram condidisti & exornasti, deinde in servitutem abductam per Dilectum tuum pretio magno redemisti. Christi simul beneficentiam grata prædicatione amplificemus, quoniam se ipsum humiliavit subiitque mortem sua voluntate susceptam, ut Adamum ad eam, a qua exciderat, Paradisi hæreditatem revocaret. Tua scilicet, Salvator noster, Cruce redemti Adæ posteri, qui jam perditi erant, in novam evasere lucem, & de sepulcri pulvere Cælum invecti sunt; propter quod adorent te, salutis Reparator nostræ, Superi Inferique, tua videlicet resurrectione robo-

Canon 34.

roborati dudum excussimus peccati jugum. Quamobrem iterum Christi beneficentiam confiteamur, qui sua pridem Cruce nobis libertatem asseruit, seque rediturum recepit, ut animæ corpus restituat, & corpus infusâ claritate illuminet. Interim dum ego tua, Domine, admiranda opera memoro, tuâ me, misericors Salvator, consuetâ clementiâ fovere ne, precor, absistas, ut statuto tempore de terra relevatus, Majestatem tuam dignis laudibus amplificem. Iterum atque iterum laudetur Pater, & Filius & Spiritus sanctus, tria nomina, personæ tres, unus Deus humani generis reparator.

CANON LXXIX.

Canon 35. Ps. 118.

Legem tuam dilexi, Domine, ideo mandata tua custodiam. Diabolus suis me artibus circumvenit, & captivum abduxit, sic meâ culpâ in eum, unde creveram, limum redactus sum: attamen confido, me aliquando tua excitatum voce revicturum: temerè decerptum a Protoplasto in Paradiso pomum me reum fecit, peccato mortique addixit; Virginis Mariæ Filius me meo reatu absolvit, sibique in posterum vivere jussit; hac ipsa, Christe, precor, clementia utere erga defunctum modo servum tuum, tuo tandem adventu ad vitam rediturum, quia pius es, tuque solus peccata dimittis.

Ubi me subiit obitus mei memoria, ingemui enimverò rebus diffidens meis; quippè qui scirem me in multis graviter peccasse, & quæcumque nefaria scelerata perpetrassem, omnium oculis publicè proponenda: sed nec illic pœnitentiæ superesse locum, nec profutura veniam deprecantibus suspiria, gemitus, Judice acta cujusque justo pondere æstimante, nec illum proinde lacrymis & singultibus reorum fore flectendum. In præsenti ergo mihi tua est exoranda pietas, quam sperare jubet tua erga homines caritas. Veniet scilicet dies, quando sepulcra patebunt mortuorum, & clangore canet terribili tuba atque tonitrui imitatrix buccina resonabit, & Orbis universus contremiscet. Tum verò omnes Angeli tuis obsequentes jussis descendent, atque bonos a malis segregabunt & conglomeratæ nubes Sanctorum corpora in aëra sublevabunt. In ea, precor, horrenda rerum nostrarum conversione tuâ me misericordiâ exceptum, ad dexteram tuam statuito; bonus enim es, Domine, tuumque est favere miseris. Hinc

[illegible]

A Hinc ultra progreſſus in Infernum cogitatione deſcendi, reviſurus cadavera ſitu & illuvie labefacta, omniaque circum intra extraque oculis relegens, ad te, Domine, ſuſtuli clamorem meum precatus, ne ſervum ſupplicem & lacrymantem deſpiceres, illa uſurpans, quæ ab Ezechia olim dicta tibi audiſti: *Non Infernus confitebitur tibi, neque Mors laudabit te*. Ego utique confitebor tibi, tantum, quod rogo, miſerere mei, & lapſum releva, quoniam expectatio mea tu es, & Diabolum proſternito, qui gratulatur malis meis. Judicium namque abſque miſericordia in noviſſimo fiet iis, qui peccaverunt, nec dignas peccatis ſuſcepere pœnas. Quicumque autem operati ſunt juſtitiam, & Domini ſui præceptis obtemperarunt, juſtum meritorum præmium recipient in Cælo, & vitam æternam obtinebunt. Gaudebunt Juſti æternum otium adepti, ipſa præteritorum laborum recordatio ipſorum gaudium cumulabit, mutuâque caritate ſibi de ſoluta mercede gratulabuntur. Tu, Domine, qui pius peccantibus ignoſcere ſemper es paratus, nos ſupplices tuamque implorantes clementiam propitius exaudi, & domeſticis tuis benignus accenſe; ſed & defuncti fratris noſtri miſerere, ejuſque peccata dimitte.

Eſ. 38. 18.

[illegible]

CANON LXXX.

Canon 36.

Quin te, frater, prædicem hominem fortunatiſſimum; corpus namque tuum nullâ inquinatum labe velut acerram puri thuris plenam a prima ætate Deo ſacraſti; quapropter tuus te Dominus ad ampliſſimam pacis regionem, ad promiſſa vitæ ſempiternæ gaudia traduxit: totum vitæ tempus in piis vigiliis, jejuniis, & aſſiduo precandi ſtudio tranſegiſti, atque voluntariæ paupertatis ope velut ſuperimpoſito ponte trajeciſti fretum naufragiis plurimorum infame, nullus dubito, quin tuus, quem unicè dilexiſti, Dominus regni ſui tibi reſeraturus ſit januam, teque ad dexteram ſuam locaturus; & quoniam Domini tui vineam per omne vitæ tuæ ſpatium excolere nunquam deſtitiſti, auguror in omne ævum tui nominis famam manaturam, tuaſque nobis preces nunquam non profuturas: interim Chriſti beneficentiam juſtis laudibus proſequemur, qui te in vas honoris ſua majeſtate dignum formaverit.

Ad eum, quem Rex Chriſtus paravit,

vit, portum appulere omnes, qui suam posuerunt operam in ejus obsequio, & plenâ ejus mandatorum executione, quorum utique vestigiis nos insistere debemus simili in Deum studio, sic enim in sempiternam, quam illi assecuti sunt, felicitatem evademus. Omnes Justi palmam adepti sunt favente Christi gratia, qui Crucis ignominiam in triumphi gloriam invertit, inde sibi statuerunt omni ope enitendum ad cælestis Regni consecutionem, tanquam laborum suorum finem & ærumnosæ navigationis portum; nec enim ignorabant, Dominum in parte temporis ultima cum Majestate magna rediturum in terras, seque mox in Cælum ascendentem electos suos comitari jussurum.

Dexterâ pietatis tuæ, Domine, protege clientum tuorum coetum, qui solenni conventu memoriam cohonestavit viri spectatæ integritatis & sanctimoniæ, cujus precibus exoratus, perpetuam, confidimus, dabis pacem iis, quibus tuam dedisti lucem. Enimverò ejus gestorum fama omnia circum loca pervasit, & populos undique excivit, dum sperant, se ejus suffragatione aliquod a te beneficium consecuturos: tuere, Domine, pios ejus memoriæ veneratores, ut laudent te omnibus diebus vitæ suæ.

Amplum & nobile domicilium tibi, o Beate, paratur in Cælo, tuam videlicet fidem & caritatem & obedientiam justa mercede carere tuus Dominus nunquam patietur. Ora nobiscum Regem Christum, quem dilexisti, ne animas nostras sua unquam pietate destituat; magnificam domum felicitatemque fine carituram inter Angelorum laudantium agmina tuus tibi Dominus præparavit, in quam etiam te introducet condicta die adventûs sui, simulque dabit inter Cælitum ordines secum æterna beatitudine frui. Et sanè si illis, quorum vita culpâ vacavit, quique vitæ integritate atque innocentiâ floruerunt, vel ad excolendam Filii Dei vineam strenuam contulere operam, amplissimi honoris & gloriæ sedem decrevit, profectò tuus tibi Dominus æquale præmium negare non debet.

Tuum, Pater, venerabile nomen in Ecclesia Sanctorum fastis adscriptum recolitur; tua autem felicitas & gloria sursum in Cælo ad Christi dexteram constituta est. Interim te, Pater, obsecramus, ut preces tuas pro nobis interponas, tanquam firmissimum adversùs hostiles assaltus munimentum. Et tuam quidem, Sacer-

A B C D E F

[illegible]

[illegible]

A cerdos ſanĉte ac venerabilis, memoriam terra colit, tuos verò labores ſingulari gloria compenſat Cælum, cujus amore coronam mereri ſtuduiſti. Tu verò pio Fidelium cœtui ſatage pacem & veniam impetrare a Domino, qui te ad hanc ſortem elegit.

Modeſtia & lenitas, integritas & innocentia in hoc beato Viro tanquam in ſua ſede conſtitêre: propoſitum certamen ſtrenuè peregit & abſolvit; magnam B propterea Chriſto debemus gratiam, qui illum adverſus quorumcumque tormentorum vim & acerbitatem Spiritus ſanĉti loricâ munivit. Solennis dies, qui tuam, Pater ſanĉte, refert memoriam, non hominibus modò, ſed & Angelis cunĉtiſque Cælitibus accidit lætiſſimus. Tu verò quum ad portum appuleris, Chriſtum propitiare memento, ut fluĉtus, quibus miſeri nos mortales jaĉtamur, ſua pace C componat. Lætantur, inquam, in Cælo Angeli, & homines in terra, dum tuam inſtaurant celebritatem, ſimul Domini tui magnificentiam prædicant, qui tibi quidem pugnanti adfuit, & viĉtorem ex acie reduxit, nunc verò quaſi fontem ad abſtergendum mœrorem affliĉtis conſtituit, tutumque miſeris ad evadenda pe- D ricula perfugium.

CANON LXXXI.

[illegible]

Onginquum & anceps iter ingreſſurus Te, Fili Dei, viaticum mihi ſumſi, & ubi eſuriero, te generis noſtri Reparatorem manducabo; ſic enim fiet, E ut ignis accedere ad mea membra non audeat, odorem ſcilicet Corporis & Sanguinis tui ferre non ſuſtinet. Modò tuus, Domine, Baptiſmus cymba mihi fiat, naufragium nullus timeo, nec dubito, quin te die reparationis meæ ſim reviſurus. Interim verò anima exul, inops amaris miſcet hæc verba queſtubus: in diverſorio infelix habito, unde me modò excedere jubet Dominus, nec jam F hìc manere licet. Exaĉtor miſſus inſtat, mutare ſolum cogit, & quam haĉtenùs habui, vacuare domum. Vale igitur corpus, teĉtum ad paucos dies mihi conceſſum, ſpero me tibi in communi mortuorum reſtitutione deterſo mœrore reddendam.

Canon 37.

Ecce accelerato gradu venere liĉtores, corripuere me nec opinum, adeſt miſſus ſpiculator, nec præſenſi venientem. Libera me, Domine, a ſupplicio Dia-

Diaboli Juſtorum filiorum tuorum implacabilis hoſtis, meque ad regnum tuum pervenire jubeto, ubi Sanctis tuis ſociatus, incipiam laudare te, & cantare gloriam tuam. Quàm amarus eſt iſte calix, Anima dicet, quem mihi miſcuit inimica Mors, quàmque horribile eſt momentum, & funeſta hora, quæ me modò ad judicium acceſſit. Vale corpus carum mihi domicilium, quod habere licuit, quandiu id Domino libuit. O qualis exagitabit cor peccatoris dolor, quum Rex Chriſtus Judex formidabilis ſedebit, eique ſiſtentur quicumque quovis ſæculo vixere mortales, & omnia ſecreta patebunt. O horrendum judicium, o tremendum Judicem, o terrificam horam! felix, quem tua, Domine, proteget gratia.

CANON LXXXII.

Canon 38.

O Quali cum gloriâ, quàm horrendo cum apparatu tui, Domine, adventûs dies apparebit, quando æthere in alto te conſpiciendum dabis! Tuo fulgore ſuccuſſæ Cæli pandentur fores, & ſupremi infimique orbes & aſtra contenebrabunt. Gabriel Archangelus Crucis tropæum magnificè circumquaque oſtentans, filiorum ſanctæ Eccleſiæ fidem extollet & laudabit, ſuam Judæis ac Ethnicis inſipientiam & perfidiam improperabit; mox tua, Domine, omnipotente voce vacuabis Inferni ſinus, inde retracta mortuorum cadavera, refuſoque ſpiritu animata ad vitam transferes immortalem, magnificentiæ tuæ applaudentibus cunctis populis, gentibus & linguis. Tuba canet vicini adventûs tui prænuncia, Angeli Cælo delapſi venturi Numinis gloriam prædicabunt; continuò evigilabunt quotquot Mortis ſopiti ſomno hactenùs jacuerunt, Majeſtatis mox adfuturæ deſignati præcones; ex horum porrò numero quicumque ſanctè caſtèque vixerunt, Judicem in Cælum redeuntem ſequentur, quibus intrò receptis, occludentur fores, indeque repulſi ſcelerati, in tartarum detrudentur. Non hoc mihi, quæſo, Domine, contingat, ut a magna pietatis tuæ janua me abigas, quem ad enarrandam gloriam tuam condidiſti.

Adeſte nunc, cariſſimi, noſtrique fratris obitum piè honoremus, ſupremum vitæ mortiſque noſtræ Arbitrum obſecrantes, ut rebus humanis ſubductum ad regionem lucis transferat, illiſque adjungat, qui ſuam ipſi operam ſtudiumque legi-

A legitimè approbarunt : oremus , ut hujus lucis usurâ privatus , audiat invitantem ad regnum æternum , a Christo suis Electis in beatissima illa regione paratum . Ut porrò fateamur, casum tuum cunctis esse admodum lacrymabilem , & obitum acerbissimum , tum maximè funestum divortium , quod te è patrio solo avulsum in ignotas oras exulem abegerit ; attamen tenere debes dictum testantis , eum, B qui pro Christo nil molestum & grave perpessus fuisset , nec vitam in seipso habiturum . Quum ergo Domini tui ingenuâ suâ virtute benignissimi mandatum expleveris , profectò dubitare non debes , quin te ad regna lucis inocciduæ translatum , sempiternâ requie sit remuneraturus .

C CANON LXXXIII.

Canon 39.

Pretiosa in conspectu Domini Dei nostri Mors accidit Sancti ejus , obitusque venerabilis Patris nostri , qui mysticâ pugnâ fortiter strenuèque defunctus, ex acie superior discessit ; nunc verò extinctus sacrum corpus suum nobis reliquit , vas utique electum & præstantissimum atque purissimum ; Anima quippe D Cælum invecta est , & cum Angelis commoratur , Deum pro nobis perpetuò interpellatura . Quidni enim venerabilem Sacerdotem piè venerari debeamus , qui sacri corporis sui membra hostiam viventem , sanctam & acceptam Deo obtulit ; quapropter choris Angelorum adscriptus , nunc in Cælo gaudio fruitur immutabili ; unde autem liberum habet ad Christum E aditum , pro nobis orare non desinit.

Mittite ista , Fratres , quin potiùs omni , quâ potestis contentione , causam curate meam , ne incomitatus imperatam persequar viam , postquam a vestro consortio me Mors abstraxerit : idcircò quum in Templo congregati orabitis , mei , precor , vos subeat memoria , orate pro me , & rogate Deum , ut mea mihi errata dimittat . Ego sanè , donec veniat dies F judicii mei , recogitabo peccata mea , & veniam deprecabor . Dominus & Deus meus , peccavi , dicam , verumtamen da veniam petenti , & animæ meæ requiem cum Sanctis tuis concede .

CANON

CANON LXXXIV.

Canon 40.

QUum fortè ſepulcro aſſediſſem, ſceletum hominis intra conditum contemplabar; dolebam enimverò labefactum, ſitu & illuvie ſqualentem, & magnam partem in cineres redactum, adeo non erat, unde nota pulcherrimi vultûs lineamenta recognoſcerem; exaggerabaturque dolor meus, quum viderem per loca circum diſperſa mortuorum hominum oſſa diuturno ſqualore detrita, triſte ſpectaculum non ferens, inde diſceſſi, quum ſtatim revenit in mentem futurus omnium mortuorum ad vitam reditus, pepulitque aures tubæ ſonus tantæ rei nuncius. Tum verò tuam, Domine, bonitatem ſuſpexi ob paratum poſteris Adæ mortalitatis remedium, eòque magis, quòd idem in Evangelio prædictum legebam. Inde cœpi Majeſtati tuæ gratias agere, tum quòd naturam noſtram tuâ ab initio imagine decoraſti, tum maximè, quòd in fine temporum Filium tuum in terras miſeris erroris depulſorem, ſtatueriſque, ut idem ſupremo Mundi die redeat, & mortuorum ſepulcra reviſat, indeque extractam univerſam Adæ progeniem immortalitate muneretur, ita tamen, ut Juſtos in Cælum ſecum rapiat; iniquos contra in tartara præcipitet, Piis acclamantibus: juſtum eſt judicium tuum, Domine: Rex univerſorum, Domine, tu es, tibi laus & gloria.

CANON LXXXV. ET ULTIMUS.

Canon 41.

QUO', Domine, a facie tua fugiam, & ubi me abſcondam a conſpectu tuo. Cælum ſedes tua eſt, & terra ſcabellum pedum tuorum: ſemitæ tuæ in mari, & in Inferno poteſtas tua; quòd ſi Mundi appropinquat interitus, tua, Domine, miſericordia, precor, nobis bonum concedat finem. Noſti, Domine, multam eſſe noſtram iniquitatem, nos item novimus, multas eſſe miſerationes tuas; & niſi miſericordiæ tuæ ſuam pro nobis interponant gratiam, propter ſcelera noſtra omnis ſalutis ſpes nobis acciſa eſt & periimus. Domine, Domine, ne tuas circa nos laxes manus, ut deſeras, quoniam nos Corpore & Sanguine tuo paviſti; tempore noviſſimo, quando coram te ſingulorum hominum examinabuntur opera, ne projicias a facie tua, qui ſanctum

[illegible]

ctum nomen tuum confessi sunt. Pater, Fili, & Spiritus sancte Paraclite salva nos, & animas nostras tuere: oramus, Domine, clementiam tuam, ut peccata nostra dimittas, & ignorantias nostras dissimules: aperi nobis miserationum tuarum januam, quieta nobis tempora tribue; & quoniam resipiscentibus tuæ patent fores, nostras propitius ratas habeto preces.

ܡܐܡܪ̈ܐ ܕܥܠ ܚܐܪܘܬܐ ܕܒܪܢܫܐ ܕܐܒܘܢ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܣܘܪܝܝܐ.

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAEM SYRI DE LIBERO HUMANÆ VOLUNTATIS ARBITRIO SERMONES.

ܡܐܡܪܐ ܩܕܡܝܐ.

[illegible]

SERMO I.

A Quis dabit hominem eâ instructum patientiâ, ut tuam, Domine, persequi patientiam sustineat, quâ irrogatas tibi injurias toleras? Non nos puduit esse sceleratos, quæcumque in homine perdito crimina deprehenduntur, omnia in nobis redundarunt. Placuit esse sceleris aliquando puros, & noxæ integros, statim quæ homines probos infestare solet, incessit animum superbia. Alius in alium cæco impetu incurrimus, tantaque B est in plerisque improbitas, ut aliorum secundis rebus offendantur, & gaudeant adversis. Jure optimo vitæ nostræ spatia intra angustissimos terminos contracta sunt, quum vitia nostra latissimè manarent: intra septuaginta annorum periodum ætatem nostram vel maximè diuturnam coëgisti. Quid inde? nostra in te peccata ad summam septuagies septies ætate C majorem exaggeravimus. Scilicet gratia, non pœna fuit, quòd nobis vitam breviaveris, ne videlicet peccandi spatia produceres. In tua, Deus, misericordia, quam tuæ oppono justitiæ, præsidia omnia constituo ad omnes casus. Enimverò etsi impurum quemque sui similium consuetudo minimè delectet, licet puritas in

in te tanquam in sua sede consideat, hanc tamen hominum colluviem tu minimè fastidis. Jam & illud vehementer admiror, tuam justitiam a tua clementia minimè diffidere, quum non ferendum videatur, quòd crescente scelerum cumulo, bonitatis tuæ lenitas nunquam minuatur, sed neque hanc ab illa aliquando fuisse reprehensam, quòd illatas tibi injurias vindicare passim detrectet, adeo ut etiam offensoribus impunitatem procuret.

Et tu quidem honore & opibus supra modum nos extuleras, ipsi nos fine fine depressimus: quæ honesta rationique consentanea erant, præcepisti, præcepta contemsimus, & his contraria duximus nobis potiora: inditas a nostra conditione nomenclationes rescidimus, & exuimus imaginem tuam, ad quam nos è limo formaveras. Hinc incidit rursus magnopere demirari bonitatem tuam, tuamque justitiam fine fine laudare: etenim si hanc offendimus, insistimus statim precamurque, ne persequatur injuriam; si autem contingat quempiam in nos minùs æquum fuisse, tum ei obstrepimus, quòd offensorem impunitum dimiserit. Abnuit illa tamen, & instat accusatori, ut det sponsorem, fore ut ipse priùs acceptas remittat injurias, neque velit debita priùs repetere, quam reddere: causam itaque actori communem cum reo fecit, ut offensus priùs offensorem absolvat, quàm absolutionem ipse ab ipsa petat. Sic suomet judicio nequitia nostra absolvitur & damnatur, quo enim supplex debita sibi dimitti rogat, absolvitur, damnatur simul, ac deprehenditur ea debere, quæ repetit.

Hic porrò tortuosum & multiplex nostræ voluntatis ingenium observo; nam si ipsa facit injuriam, propriam statim imbecillitatem, & vires tenues excusat; si accipit, accusat offensoris improbitatem: nec cæca videt, sumtis consequentia esse contraria; etenim si accusator infirmus est, & ideo se commiseratione dignum affirmat, fortis certè non est, quem idem accusat, & ipsum de venia interpellat. Erramus, & in non errantem errorem nostrum rejicimus. Si humanæ naturæ lapsa est valetudo, & consenuere vires, absolvendus est, qui in nos peccavit; si autem adhuc illa suo pollet robore, nimium est, quod petimus, si nobis peccantibus ignosci rogamus. Novit Dei justitia nos de nostro revincere; enimverò si peccantibus a natura defuere vires, defectus utique peculiaris

[illegible]

liaris non fuit, nec unus modò delinquens excuſabitur; ſi autem nullus interceſſit defectus, ſed natura potens & robuſta potuit omninò non peccare; commune omnibus arbitrium omnes accuſat.

Cæterùm unde judicas, inimicum tuum, quod in te exercet odium, cohibere poſſe, inde voluntatem tuam liberam eſſe teſtaris, & arguis eam utique ad non peccandum impotentem non fuiſſe; etenim ſi tuo adverſario integra eſt eligendi poteſtas, eadem certè tibi imminuta non eſt. Jam ſi quum læſæ divinæ Majeſtatis rei arguimur, infirmitatem noſtram cauſamur, manifeſtus profectò naturæ defectus nobis noſtram, noſtrique offenſoris imbecillitatem exploratam & ratam facere debet; ergo quum legis tranſgreſſor Dei miſericordiam propitiaturus, propriam obtendit infirmitatem, ſuum quodammodo abſolvit offenſorem; contra dum nos in eos, qui injuriam fecere, judicio agimus, actio noſtra nos reos facit.

Liberi arbitrii natura ſimplex & una eſt, ac proinde in omnibus hominibus eadem, quocirca ſi in iſto ſingulari homine infirmam fingis, talem ponere debes generatim in omnibus; ſin contra robuſtam & planè expeditam huic concedis, reliquis ineptè negas; vel igitur fateri debes talem accepiſſe omnes, vel negare cuiquam fuiſſe datam.

Cibus naturâ jucundus quantumvis palato ſano ſapiat, ægro tamen inſipidus eſt. Talem finge tibi poteſtatem eſſe arbitrii, homines vitiis corruptos facit acerbos & aſperos, integros contra mites & mira quadam morum ſuavitate jucundos. Jam ſi quis ſaporis qualitatem dignoſcere ſtudet, non hanc in ægro corpore explorat, non eſt laborantis palati dijudicare ſapores; hoc enim homini guſtûs ſani minimèque depravati competit, extra hunc nemini. Si ergo poteſtatem arbitrii diſcere cupis, ineptè agis, ſi qualis ea ſit, in homine impuro diſquiris, is nempe ſanitatem amiſit & deſipuit: homo igitur frugi, qui benè valet & rectè ſapit, ſit ignis, quo ſtatuas tibi explorandam voluntatis humanæ vim.

Et ſanè ſi ægrotus quiſpiam cibum potumve per ſe dulcem, ſibi amarum redolere ſaporem renunciet, invaluiſſe morbum inde rectè colligis, alioquin eſculentum ſuaptè natura ſuaviſſimum, tale eſſe fateretur: ſimiliter ſi quis tibi obſtrepat garriens voluntatis noſtræ detritas

tritas eſſe vires, jam habes quantum is ſaluti ſuæ deſperet, qui liberum arbitrium humanæ naturæ theſaurum exhauſit.

SERMO II.

OMnes homines video bello implicitos, quem enim auri cupido non quatit, ſuperbia fatigat, quemve arrogantia non inflat, inflammat amor habendi. Quicumque tamen in hac acie cadit, ab eo, qui hoſtem fortiter ſuperavit, redarguitur propriâ ignaviâ proſtratus ſuâquemet ſponte cervicem ſuppoſuiſſe jugo. Vafrum eſt mali hominis ingenium & ſubdolum; quum ipſe eâ, quâ pollet eligendi poteſtate, turpis eſſe velit, malitioſè crimen in Conditorem ſuum detorquet; natus in imo corde dolor liberè peccantis malitiam arguit: nam ſi hominis natura ex propria conditione mala eſt, quî fieri dices, ut eum a perpetrato ſcelere ſtatim ſuffundat pudor & dolor, qui certè bonus & laudabilis eſt, & hominem ornat, atque ad expetendum honeſtum, & inhoneſtum fugiendum impellit? ſic ingenita homini formæ dignitas inductam turpitudinem, non ſuam manifeſtat. Succenſo rogo proximus de natura ignis nullus dubitat, ſuum hic nempe calorem vimque ſtatim prodit: talem cogita eſſe liberam voluntatem, intrinſecam nec ſeparabilem vim obtinet: quamquam ignis natura libera non eſt, quum arbitrii poteſtas nunquam non libera ſit, & vix unquam ſibi ſimilis. Modò invidet & æſtuat, modò timet & alget, modò deſidet & languet, modò concitatur & ardet.

Hauſtam minuſculi digiti ſummitate maris guttam delibas, inde deducis omnes maris aquas ſimilis eſſe ſaporis. Sic homine ab uno diſce omnes, ut neceſſe non ſit ire per ſingulos explorando, utrùm collato pede valeant Diabolum ſuperare; unus namque ſi hunc adverſarium dejicere potis eſt, conſequitur nemini hanc poteſtatem fuiſſe negatam. Noëmum contemplare, is profectò omnes ætatis ſuæ mortales revincit, eos ſcilicet felicioribus uſuros fuiſſe fatis, ſi modò ipſis libuiſſet; liberi quippe arbitrii vires illis ac Noëmo fuere pares. Quo factam tibi ab altero injuriam clamas, te ipſe accuſas, & publicas integrum tibi fuiſſe nec hominem, nec Deum offendere; idque fatereris, ſi humanis ingeniis parata ſimulatio non eſſet; quotus enim quiſque eſt, qui ad libidinem verba non fingat?

A gat? qui si deliquerit, non propriam infirmitatem prætexat, contendatque naturæ, non voluntatis vitio factum fuisse, ut peccaret? sin contra erraverit alter, errorem in naturam per se infirmam ab illo derivet? hic homini sensus adeo insitus est, ut si fortè criminosum quempiam Deo supplicare auscultes, audias plerumque duas ejus deprecationem habere partes; sic enim supplicat, ut suas elevet vires, al- B terius invidiosè extollat, propria peccata tegat, aliena propalet.

Quam viam in hoc bivio sibi tenendam putet, ipse dijudicet: nam si culpam naturæ imbecillitati adscribi rogat, hoc non magis sibi, quam alteri rogat; sin autem se esse nocentem negat, superbus est, & judicis iracundiam inflammat; ut alterutrum assumat, certè causam cum adversario sibi commu- C nem habet: urget utrumque virium defectus, utrumque ornat expedita potestas consulendi, quid velit. Quare obliquos hosce anfractus fugere eum oportet, qui ad rectam venire studet, quisquis sibi peccanti misericordem postulat judicem, & alteri postulat: qui autem alteri severum criminum ultorem optat, talem habebit ipse sibi. Utrumvis eligat, eo certè se obligat, nec enim alia lege secum agen- D dum speret; si sibi mitem & placidum judicem cupit, alteri implacabilem optare non debet. Ecce autem paratum tibi utrumque, quid velis, quidve recuses. Oras, ut judex tibi clementiam adhibeat, alterum eâdem æquitate tractandum pronuncias, instas illatam tibi injuriam ut vindicet, clementiæ locum esse negas, adeo tibi tuus proximus usquequaque conjunctus & intimus est.

E Rursus cogita tuos offensores illic morari, ubi sedet clementia, tua autem peccata in unum conglomerata teneri, ubi sontes coërcet justitia; fieri non potest, ut clementiam exoratum adeas pro delictis tuis, quin simul eandem pro tuis offensoribus quadantenus interpelles. Ratum denique habeto, tibi alterutrum obventurum, vel ut appellando clementiam F adversarios tuos absolvas, vel appellando justitiam te ipse reum ad pœnam deposcas.

SERMO III.

HOC, precor, honore, Deus, dignare me, ut placeat tibi me tuas modulantem laudes audire; hanc scilicet gloriam indignum me mea crimina clamant. Quum omnia noris, utique non ignoras orantium patrocinium suscepisse impudentiam, hac enim interveniente, clausa ostia patefiunt: victa vincit, audacia fecit, ut peteret, miseria facit, ut impetret, sic miseram esse juvat. Tua quidem janua nemini clausa est, nobisque semper patet, nisi nostri obstent mores; quòd si nobis quandoque occluditur, id utique sapienter agis, inque bonum nostrum ordinas, tuam idcircò laudo sapientiam, simulque suavem providentiæ modum admiror, quo pacto videlicet ista fores seris firmatas reseret, & illa liberæ arbitrii nostri potestati thesauri sui clavem tradiderit. Et quoniam hæc una nobis obstat porta, obviis quibusque difficultatibus obluctandum obnitendumque velis & remis, ut oblatum aditum teneamus, occurramus occasioni, ne cunctantes prætervolet.

Suos gratia motus habet ratos & constantes, justitiæ fores frequens invisit, altera nimirum alterius ædes frequentat, & consilia promovet. Et gratia quidem hominem vel reluctantem facere justum potest, recusat tamen, nec exequitur omne, quod suæ potestati subesse novit, ne videlicet rationem ac mentem, qua hominem ornavit, extinguere velle videatur, sed & a simili vi nos item cavemus homini, qui accenso lumine oculos claudit, nec invitum cogimus intueri Solem. Alterutram profectò notam meretur ille, qui ducem parat homini minimè cæco tenebras in meridiana luce captanti, nam si id seriò facit, hunc nec pueri sensum habere dices; sin autem joco, ut hominem aliis irridendum objectet, id porrò contumeliam sapit, & illiberale jocandi genus est. Nec alia sanè inurenda nota fuerit ei, qui non videat apertos habere oculos eum, cui se spondet viæ ductorem. Apage nefarium dictum, ut blateres Deum irridendum se præbere voluisse, dum se ducem obtulit homini acutissimè cernenti, perinde ac si oculos, quos ei dedit, ipse non cerneret.

Idem profectò judicium ferendum ajo de illo, qui homini integras & expeditas manus ambas habenti, & earundem usum recusanti, tertiam ad sumendum cibum & potum depostularet. Næ tu stultum & fatuum hunc argues, quin ergo talem

[illegible]

talem habebis multo etiam potiori jure, qui ſimilem agendi rationem Deo affingeret, poſtquam homini liberam poteſtatem dedit conſulendi quid velit. Quod ſi malit ipſe externa vi, quàm liberâ ſuâ voluntate duci, divinæ gratiæ ingratus arguendus eſt accepti beneficii immemor: ſique a facinorum vindice juſtitia plectatur, ipſe coëgit invitam. Quare ſi liberum arbitrium attentè inſpicias, manui ſimile eſſe deprehendes, quam tibi integrum eſt ad quodlibet fructuum genus porrigere, & ſicut antè tibi liberum fuit frugem lethiferam decerpere, ſic modò licet tibi pomum mortis antidotum auferre.

[illegible]

SERMO IV.

[illegible]

SI naturâ mali ſumus, in Conditorem, qui tales condidit, culpam, licet, conferamus, ſin malitiam invexit conceſſa nobis poteſtas conſulendi quid velimus, næ nos iniqui ſumus, ſi extra nos cuipiam alteri ſuccenſeamus. Atenimverò ſi libera nobis eligendi optio non eſt, cur noſtra accuſatur voluntas? ſi hæc libera non eſt, nec juſta fuit Judicis eam plectentis ſententia, æqua hæc fuiſſet, ſi illa faciendi, quid vellet, arbitrio donata peccare maluiſſet. Pœna libertatem ſequitur & premit, eam ab iſta dividi jura vetant, una modò libera voluntas accuſatur, quæ legislatoris decreta violavit; quorſum itaque ſummus ille rerum Conditor, quo nemo magis candidus & apertus, eâ arte uteretur, ut etſi eligendi poteſtate nos carere vellet, lege tamen obſtringeret?

Enimverò ſi auribus fidem negare non poſſumus, multi a multis feruntur ſermones ſcitantibus, utrùm qui nobis exiſtentiam dedit, liberum arbitrium negaverit, & ſi quidem hoc ille decreverit, decreti cauſam diſquirere cuilibet ſtatim occurrit. Age jam ſi nulla nobis ineſt conſultandi deliberandique poteſtas, quonam ille conſilio nobis indulſit, ut circa talia diſceptaremus, vel tales haberemus quæſtiones? quæſtionem enim & diſceptationem ſola parit libera voluntas, germanæ ſorores ambæ & liberi arbitrii filiæ cenſentur. Non vacat ire per ambages & ratiocinationes, ut ſciendi ſtudium ex libera voluntate manare ſciamus; res per ſe liquet, nec ſcitari jam licet, utrùm libero arbitrio ornati ſimus: etenim ſi rogaris utrùm tui compos ſis ac tuus? alter te item rogat, tua ne voluntas, an potiùs externa quædam vis de hoc arcano ſcitetur,

tur, utrùm autem quæſtio ab altero proponatur, vel a tuo arbitrio fluat, id ſanè ignorare non potes; intra te quippe res agitur: quòd ſi neutrum te nolle dicis, teſtaris nec utrùm exiſtas tibi eſſe notum, adeo tibi ipſe non conſtas, quare nec mirùm ſi deliras, & pugnantia loqueris, fingens illatum nobis ab externa poteſtate organum, per quod incertus auctor ſcitetur & diſputet: ſive de te uno, ſive de pluribus narres, idem concludis; quod igitur de te ipſe fingis, de omnibus fictum puta.

Conſtat tamen ubique ſecum pugnare eum, qui hæſitat, & quærit, an homini ſit poteſtas eligendi quid velit, quidquid tibi ſuadere contendat, quidquid proponat, ſuam ipſe ſententiam oppugnat; unde conſultat, & deliberat, indidem docetur, ſe ingenua naturæ ſuæ virtute eſſe liberum; & ubi animi anceps conſultat in utramque partem, in medio habet ſummum de tota controverſiâ judicium, & velut ſupremi tribunalis ſententiam. Quapropter ſi quærere potis es, quærere abſiſtito; nec enim tibi quærere opus eſt; ſi autem quærendi conſultandique facultate cares, arbitrii poteſtate cares, voluntas ligata ad unum, non deliberat, naturæ liberæ proprium id eſt, quæ juris ſui ſit, & plane ſua.

Duo, quæ dixi, ex duobus exemplis diſces, ſcilicet a notioribus ad ignota pernoſcenda quærendus eſt aditus. Mutus utique diſceptare non poteſt, linguam nempe impeditam habet, poteſt loqui & diſputare, qui ejuſmodi impedimento caret, linguæ nempe ſuæ dominus eſt. In muto naturam agnoſce impeditam, quominus quod libeat facere poſſit, in eo, qui linguam ſolutam habet, voluntatem contemplare ſui compotem ſuique juris atque arbitrii: uti loquendi facultatem expeditam habenti ſermo ſolutus eſt; ſic liberæ voluntati decernendi, quid velit, ineſt libera poteſtas; qualis mutus, talis eſt natura minimè compos ſui, nec ille linguæ uſum habet, nec iſta arbitrii poteſtatem. Ex his quæ hactenùs diſſerui, liberum arbitrium tu in te ipſo cognoſcito, ipſe te conſulito, utrùm tui juris ſis, utrùm tibi integra ſit eligendi facultas, nec ne? ex te videlicet, & in te ipſe habes, unde planè apprehendas liberi arbitrii poteſtatem.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

SANCTI PATRIS NOSTRI
EPHRAEM SYRI
PARAENESES, SEU ADHORTATIONES AD POENITENTIAM.

ܡܐܡܪܐ ܩܕܡܝܐ.

A

PARAENESIS I.

Poenitentia est civitas refugii, longè posita non est, quum sit unicuique nostrûm præsens, & omnes ejus obsideamus januam. Hebræus longam ire viam cogebatur, designatam sibi refugii urbem tenere cupiens, nec tamen assequi semper, vixque unquam sine multo labore B licebat, & periculum evadere. Felices vos, quibus illa spontè se offert: disce Deo habere gratiam, qui tibi fugienti receptricem pro foribus statuit Poenitentiam. Si fortè quispiam lectos ex agro lapides projiciens, aut ligna in silva cædens, illac incedentem vulnerasset; non ideo quòd invitus & imprudens id fecisset, censebatur culpâ vacare; ut ergo C poenam evaderet, Pœnitentiam ostendere debebat, & ad voluntarium exilium in urbem refugii concedere. Quale ergo extra Pœnitentiam perfugium speret, qui initâ subductâque ratione hominem sive telo, sive isto pejore dicto offendat? Illum proinde suspice & lauda, qui civitates refugii benè multas condidit, ut resipiscentium numerum conduplicaret.

Ad januam Arcæ Noëmicæ plurimi D confluxêre deprecaturi naufragium, neminem tamen illa recepit, exclusitque sceleratos, quæ muta animalia ultrò admisit. Arcam, fratres, putate Pœnitentiam, Deo nostram miserante infirmitatem; homines intrare recusantes trahit; brutis ratione carentibus ingressum negat. Arcæ thalamos breve spatium circumscribebat; tuus, Pœnitentia, sinus tam latè patet, quam amplè se pandit animus sua crimina sincerè damnantis.

Moses

A Moses in tribus civitatibus refugii totidem virtutes adumbravit, fidem, spem, hujusque cognatam caritatem, quum extra hujusmodi septum nullam sit sperare salutem; hisque adjecit alias tres, triplicem designans futurum in populo nostro ordinem hominum, infimæ nimirum virtutis, mediæ ac summæ. Quamquam similitudines & comparationes non semper res ipsas perfectè assequuntur, sed ab eis sæpe B deficiunt in multis, quæ proinde abjicienda sunt; nec enim tutè nucleum quantumvis palato gratum comedes, nisi ante putamina reseces; quamobrem etsi Hebræis ex urbibus, quò profugerant, excedere tandem licebat, nobis certè Pœnitentiam deserere nunquam licebit: rursus si Hebræi figuras abs se missas fecerunt, nos utique res ipsas illis symbolis adumbratas usque retinere debe- C mus.

Porrò Noëmus Arcam reliquit, innocentiam nunquam dimisit, freta fugit, conservavit fidem. Vidit illum Cham ex non prævisa temulentia indecorè nudatum, nunquam vidit Satanas culpâ inquinatum, quum sanè gratissimum ipsi fuisset, ejus corpus cernere honestissimè compositum, modò animum inhonestà cogitatione turpatum intueri licuisset. At D tu cave, ne tibi Diabolus auctor fiat, ut vultum magis, quàm ingenium modestum habeas, extrorsum castis moribus & pudore integrum, introrsum perditum, & flagitii plenum. Quid, quòd nec civitas refugii cuilibet sine delectu patuit? neque enim unquam admisit sicarium, qui meditato scelere hominem necasset; talem enimverò ferro illa nudato re- E trocedere jubebat, tradebatque insecutoribus trucidandum severa, atrox, terribilis. Opidò quantum ab ejus moribus in hac parte abhorres, Pœnitentia? sic effuso sinu omnes promiscuè delinquentes excipis & complecteris, divinam imitata clementiam: tuum id est ingenium, nec enim decebat, te Domino dissimilem esse tuo. Quamquam sicuti civitates refugii Dei misericordiam repræsenta- F bant simul & æquitatem; sic Pœnitentia ambarum imagines expressit, & ubique præfert; quapropter uti jura in reum cogitatâ ratione hominem interficientem severè animadvertendum statuunt; sic Pœnitentia non omnes indiscretè absolvit: Iscariotam namque fictè resipiscentem abjecit.

Ehodum erubescite pietatis desertores increduli, quicumque justissimam legem

[illegible]

A gem carpere & vituperare non veremini; nam etsi culpandi non sunt homines oculis, aut pedibus capti, si opportunâ ad civitates refugii fugâ persecutores prævertere non potuerunt; acerrimè tamen increpandi quicumque languori desidiæque se dedidêre, indeque sibi oblatum Pœnitentiæ perfugium aspernantur; qui enim, quod vehementer appetunt, non assequuntur eo, quòd vires, desiderium non B æquant, satis ostendunt, quàm culpabiles sint, qui, quam quærere debebant pœnæ immunitatem, & obtinere facilè potuissent, neglexerunt. Trepidus procurrit ad templum Joabus, & cornua altaris æquissimi Judicis apprehendit, supplicem tamen ille repulit & Banajæ filio Jojadæ confodiendum reliquit. Cavesis ergo, neglectis Pœnitentiæ remediis, C soli religioni confidas; nec enim minùs ista sceleratos execratur, quàm altare nocentem Joabum.

III. Reg. 2.

PARAENESIS II.

[illegible]

QUum Dominus sis meus, ad tuos supplex accido pedes, & quum bonus sis, tuas pulso fores: neminem tuum, Domine, fefellit promis- D sum: *Pulsate*, dixisti, *& aperietur vobis*. Illæ nunquam occluduntur; & ne fortè scelestos eas pulsare pigeret, Justis & Iniquis assiduè patent. Ædium tuarum limina reis demonstras, ut intelligant sibi semper orandum atque pulsandum, nec unquam desperandum introitum, scilicet tantoperè nos amas, ut non modò nos doceas, verùm etiam E compellas tuorum thesaurorum pertentare aditus. Ecce autem petivi, quæ me petere docuisti; quæ tu, Domine, promisisti, ut jam præstare velis, oro; tuas pulsavi fores, quod meum esse monuisti, quod tuum est, teque facturum recepisti, ingressum annue petenti. Aurum non postulo, mammona iniquitatis est & ipsa iniquitas, neque fundos & luculenta prædia quæro, inutilia F sunt hæc ad salutem; longè potius est, impetratâ delicti veniâ, evasisse pœnam, quàm multas collegisse opes, & inopem vacare culpâ, quàm criminosum amplo gaudere censu; quare nec dubito, quin dives ille exitus sui certior factus, omnia quæ numerabat auri pondera cum inopia simul & corona Lazari libentissimè commutaturus fuisset. Nemini è corpore excessuro aliquid secum auferre permittitur, sicut scriptum est, ac si totum

Matth. 7. 7.

tum ei liceret asportare patrimonium, quid? num non pro guttulæ aquæ pretio id distraheret? quisquis sepulcrum deserit, alterutrum secum efferre cogitur, aut laudem virtute partam, aut reatum culpâ contractum.

A prudentibus & fatuis Virginibus didici, quales tibi merces afferre debeam, ædium tuarum ingressum postulaturus; atqui si hic illis non patuit, quibus etsi aderat virginitatis honor, deerat olei copia, quis mihi homini ad omnem nequitiam projecto similem defectum suppleat de suo, misertus mei? Et Virgines quidem fatuæ nobis describunt exemplum, dives autem etiam speculum offert, monent, ut, dum vacat, misericordiam, absente justitiâ, exorare studeamus. Et sanè dum opportunè suppetit balsamum aptum cæco ulceri medicamentum, idque medicus ultrò offert, næ ille chirurgus ineptus sit, qui istud ægro adhibere usque detrectet, donec hunc opprimat justitia, eique magnas intercludat fores.

Atenimverò saluti non despero meæ, quandoquidem incidere dudum ulcera lethifera pluribus, quæ porrò Pœnitentia curavit: labes item alii contraxere fœdissimas, quas Dei miserentis benignitas detersit. Quidquod Jesus ægrum sanaturus, sic præfatus est: *Dimittuntur tibi peccata tua*, & omnes seu animæ, seu corporis morbos depulit, idem regum Rex Crucem in clavem Paradisi mutavit, & hunc latronibus & sicariis aperuit? ipsum sanè repræsentat pius pater, qui reducem filium illis excepit verbis: *Hic filius meus mortuus erat & revixit, perierat, & inventus est*, resipuit, & vitiorum laqueos evasit. Meam iterum spem erigit vitulus saginatus, perditique juvenis abstersæ ejus cruore labes, & nobili fasciâ alligata vulnera; latro item ob simplicem confessionem in Paradisum receptus, & meretrix criminum suorum chirographum lacrymis obliterans. Sciens itaque post delictum resipiscentibus promissam redintegrationem, & factam commissorum gratiam Publicanis atque Avaris, quam cum fide poposcerunt veniam, libens Zachæo me socium adjungam, & fœminam sequar, quæ ad pedes abjecta tuos, præteritæ vitæ malefacta flevit, lacrymisque delictorum relaxationem exoravit.

Ab istis & in istis, qui ante tibi extranei fuere, deinde tui per fidem evasere familiares, didici, Domine, tuum mansuetudine ipsâ esse mitius pectus. Et sanè

Marc. 2. 5.

Luc. 15. 24.

[illegible]

A nè si scire cupis Judicis ingenium, ejus scitare domesticos, ac si Legislatoris naturam conjectare velis, utrùm ad lenitatem & indulgentiam propensior fuerit, latas ab eo leges considera. Ex discipuli formâ magistri informantis disciplina arguitur, & quam ille voluntatem habuerit, facilem ne ac benignam erga extraneos & ignotos, quamque illi grata fuerit Sanctorum consuetudo, & quàm jucundus conspectus.

B Ecce autem tua, Domine, domus peccatoribus plena est, & resipiscentibus ultrò se offert, accedentibus prætendit manum, amplissimum præceptorum tuorum rete evolvit & pandit propinquis & extraneis; hanc intra retem erat Paulus, quando clamabat advenisse Christum, ut salvos faceret peccatores, quorum, inquit, *primus ego sum*, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam gratiæ suæ. Petrus item flevit & convaluit, postquam Magistrum negavit, seque ab illo alienum finxit. Aaron similiter turpiter lapsus est, quando vitulum conflavit, tandem resipuit, & Justus factus est; sed & David medicus cæterà expertissimus aliquando ægrotavit, ægritudinem fassus est, salutem non desperavit, & consecutus est. Rursus Israëlitarum Seniores, & militiæ Duces Deo offenso, commissâ pugnâ victi sunt, mox eodem placato repararunt bellum & feliciter confecerunt. Quis jam obducat oculis velum, ne speculo scripturarum monitore utatur, vel spectatâ felici tot criminosorum Pœnitentiâ, languori suo similem medicinam adhibere recuset?

C

D *Jud. 20. 26.*

E Undique premunt me, Domine, mea mala, morbi, peccata, nec porrò mihi alius extra te occurrit medicus similis tui, cui ea aperiam. Atqui nec te in terras accersivere Justi, sed peccatores, amissam tuam gratiam reparare cupientes, neque propter benè valentes sua componunt medicamenta medici, qui utique laborantibus consulere satagunt, & perditam restituere sanitatem. Tu ipse affirmabas, sanos medicorum operâ non egere, neque Pœnitentiæ remedia Justis & consummatæ perfectæque virtutis hominibus parari. Omnes medici seu simplicibus, seu compositis medicamentis morbos depellere conantur; tua verò caritas nec medicinas, nec pharmaca ægros curatura affert: peccatores similes mei tuâ indulgentiâ indigent, & qui non dissimili laborat morbo, non aliam efflagitat curam. Medicus mercedem priùs paciscitur,

F

deinde curationem aggreditur ; qui autem sanandus ad te profugit, morbum depulit, mercedem non dedit , sed accepit .

Paralytico illi ad te accedere non licuit, ut tibi ægritudinem suam ostenderet , tua te benignitas & clementia ad ejus lectulum pertraxit , & ejus morbum fugare persuasit : tua , Domine , bonitas fatuos & errantes insequitur , & insanis ingeminat , ut insanire desinant . Perduelles & refractarios tua domat caritas , & doctrina feroces mansuefacit , perditos tua misericordia recuperare laborat. *Venite ad me* , clamat tua caritas, vos, qui in vanum laboratis, *& onerati estis* , vosque , quorum pectus ardet cupidinibus , *discite a me* , *quia mitis sum & humilis corde* ; *jugum meum* volentibus *suave est* , *& onus meum leve* .

Matth. 11. 28. 29.

Averte , Domine , malum , neve committas, ut tuum ego excutiam jugum, quod utique suavissimum cunctis esse debet, aut voluntatis meæ humerus susceptum tui amoris onus permutet. Prohibe, ne venator ille callidissimus doctrinæ suæ laqueum mihi obtendat, meque suis illecebris & voluptatibus capiat, neve victum me tanquam leo corripiat, meaque consilia frangat ; & culpa , quasi leæna opes, quas hactenùs collegi , dissipet . Leo quem invaserit , palam discerpit ; culpa contra clam , truculentior illo ista est , quòd corpus & animam dilaceret . David tua virtute munitus leones stravit , & interfecit lupos , confido me de Diabolo triumphaturum, lupus ille & leo est, mihi exitium machinatur ubique, ferum , precor , cohibe istud ; vereor, ne animum suis dentibus petat meum, & mentem noxiis discerpat curis , quin ipse victus occumbat , servus autem tuus Davidicæ victoriæ geminet exemplum.

Porrò David leonem quidem vicit, victus ipse in solario fuit, fulmineis culpa venit ad eum dentibus , & incautum momordit , ictus ipse ferientem repulit , & pœnitentiæ jactatum fundâ procul a se abjecit. Leonem ipse peremit, & occidit lupum , a musca in pace profligatus stratusque fuit; quamquam a Nathane monitus, mox sustulit flagitium , cujus lenocinio captus , ad illud pertractus fuerat. Non ego mortalium deterrimus sanctissimorum Patrum in mores inquiro, quorum præclara gesta recolens , sapientiam vehementer admiror , & eam, quâ te post lapsum dilexere , caritatem . Alius omninò mihi hoc loco scopus , is videlicet , ut in illo-

illorum peccatis velut in ſpeculo vitiorum meorum colluviem pervideam, atque, dum hæc mihi agitur vita, quam illi conſecuti ſunt veniam, ipſe perſequar. Equidem non video, quamnam ego cauſam obtendere valeam, quominus Juſtis me adjungam, qui quando deſipuerunt, vix deſipuiſſe viſi ſunt, & ubi deſipuere, inde ad te amandum luculentiore quodam incendio vehementius exarſerunt. Me miſerum, cui vix elabitur dies, quo non delinquam, nec hora, quâ me deliquiſſe non pœniteat; ſed nec pœnitentiam meam ſinceram eſſe reor, quam culpa mox ſubſecuta diſſolvit.

Quiſnam extra te tui ſimilis nobis occurrat Chirurgus, omnia vulnera obligare paratus? Nec enim ſi contingat, ut uno coëunte ulcere alterum proſerpat, & ægrum diù tenere pergat, ejus aliquando curationem intermittit. Tua ſiquidem caritas ad procurandam ægris medicinam ſolicitat, tua peccatorem miſericordia ad illam accipiendam provocat. Infelix homo, clamat, quin ad me ſecurus properas, cur criminum tuorum veniam deſperas? Nam etſi ſeptuagies ſepties peccaveris, brevis hora amiſſam reparabit gratiam, etſi debiti ſumma ad quingenta talenta procedat, fœminæque peccatricis debitum exæquet, tibi utique iſtud condonare non abnuo. Decies millena criminum pondera, ſi me rogaveris, remittam, ac ſi ſub occaſum unam horam laboraveris, tibi denarium ſolvam, ſique cum noviſſimis veneris, cum primis te accipiam; quæ tibi inflixerit Diabolus vulnera, omnia curabo, omnes, quas latrones impoſuerint, plagas medicabor; quin & ſi totum corpus tuum mortuum fuerit, illud reſuſcitabo, & ſi tota tua anima conciderit, relevabo.

Oro quæſoque, Domine, prohibe malum, quæ unquam pertulerim maximum, ne a tuis foribus diſcedam, deſeramque tuam illic aſſidentem clementiam, & arcem refugii, quam tua iſta obtinet miſericordia: neve mihi incidat languor, deſidia, torpor, unde contracto, quem culpa generat, morbo, Pœnitentiæ medicamenta requiram, aut dum iis præpoſterè confido, medicina mihi fiat cauſa deſidiæ, & precandi ſtudium extinguat, quo carere mihi majus malum eſt, quàm quòd Eſau paſſus fuit, juribus primigeniis ſpoliatus. Cave mihi, precor, ne pecuniam, quam a te accepi recondam, indeque ob neglectam fœnerationem a te juſto Judice condemnatus ignavi illius ſervi

vi

vi supplicio plectar, nè, quæso, tua sententia arguar sortis & usuræ decoctor, pœnasque audaciæ feram meæ, quòd utrobique officium neglexerim; annue supplici & elargire, unde tibi pecuniam tuam cum suo fœnore appendam, & gaudeam meã me nomina explicuisse, & creditori fecisse satis: adesto mihi, ut, dum vacat, facta, dicta cogitata mea discutiam, & omnium, quæ per omnem vitam deliqui, gratiam obtineam: ferto opem, ut ipse meis medelam afferam malis, & vitia revellam, dum adest Medicus curationem non recusans, & Chirurgus ulceratos ac tabidos non fastidiens.

Et quoniam liber ad tuæ clementiæ conspectum conceditur aditus, ejusque ædes, accedentibus quibusque patent, præsta, ut mea ulcera videam, eisque salutarem pœnitentiæ pulverem inspergam. Interim autem dum misericordiæ dies nobis constat, & operæ fructus, pro salute excubandum, ocyùs enim sese obtendet nox, in qua, sicut nos admones, nemo potest operari. Stat ergo circumfusam vitiorum caliginem perrumpere, & sursum versùs ad solem festinare.

Enimverò tandiù erraſſe pudet, ad tuam januam redeo: Diaboli fraude circumventus, libidine insanire cœpi, abdomini inservire, & inerti torpere otio, at si tribus ille me cepit, tribus item enitar ejus evadere laqueos, caritate nimirum, quæ torpentes excitat & accendit, spe, quæ, demonstrato ad salutem aditu, iniquos ad justitiam allicit, & fide, quæ ad bonam frugem redeuntes propositâ veritate, velut porrecta manu sustinet labantes, & infirmos corroborat. Dicentem te audivi: nunquam despectum iri cor contritum, malefacta damnans sua, & in palæstra pœnitentiæ exercitatum. Jam si cor ita dispositum non damnas, modò ipsum se damnet, & factorum recordatione se torqueat in asceterio pœnitentiæ, nos ecce mœrentes habes, demissos, memoriâque peccatorum afflictos: mens tota dolori incubat, lacrymis diffluunt oculi; intima creber quassat viscera gemitus; ut delictorum suorum chirographum recipiant, instant, veniam erroris efflagitant. Davidem interpellabimus, qui e suis Psalmis magnum illud Pœnitentiæ carmen nobiscum recinat: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*, exaudi nos, ne nos, quæsumus, tuæ clementiæ janua antè dimittat, quàm exorata expungat debita nostra; nec enimverò alius nos solicitos tenet creditor extra te; annue ita-

Ps. 50. 1.

[illegible]

A itaque ſupplicibus, & *ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos*, & dele peccatorum noſtrorum chirographum, dumque meorum ego ſcelerum colluvionem in ſpeculo pœnitentiæ contemplor, tu, Domine, *ampliùs lava me ab injuſtitia mea, & a delicto meo munda me*: Te aſpirante, confido, fiet, ut corpus quidem ſuas ſibi gratuletur ablutas ſordes; anima verò terſas vitioſarum cogitationum labes, ſeque tuâ aſperſam hyſſopo mundatam, indeque filio Jeſſe gratias habeat ob fructum a ſuis pſalmis perceptum.

Atenimverò majoribus adhuc tybiis præſtat tuam extollere miſericordiam, indeque natam de reſipiſcentium pœnitentiâ lætitiam, tum adorare & mirari caritatem, quæ ad recipiendos criminoſos & ſceleratos te ſemper paratum facit. C Quandoquidem igitur inexhauſta tua bonitas tanta cum liberalitate delinquentibus ſe profundit, quid jam eos moretur, quò minùs alis clementiæ tuæ ſublati, ad te profugiant? & fœminam illam imitentur, quæ ſui languoris medelam ex veſtis tuæ contactu ſe recepturam confidebat. A Publicano Pœnitentiæ documenta ſumamus, verba uſurpemus, ſupplices clamemus: Fili Dei Deus, pro- D pitius eſto nobis peccatoribus, teque invocantes exaudi; tua me è luto decerpſit pietas, tua exemit laqueis diſciplina, lapſum è fovea eduxiſti me: nos tuere, precor, omnes, ne in noſtra relabamur mala, unde Diabolus de noſtra lætetur ruina, poſtquam erecti ſumus & convaluimus; vel novas a latronibus accipiamus plagas, poſtquam acceptæ coaluerunt.

E Pie Medice, qui cunctis ubique ægris te præſentem & facilem impertiris, noſtra, quæſo, medicare mala, Chirurge admirabilis, qui, dum vulnera alligas, ſanas, animarum noſtrarum ulceribus adhibe medicinam. Omnis ægrotorum ſpes in Medico poſita ſemper eſt, & Chirurgi ſermo languentem recreat. Verba tua, Domine, me confirmarunt, ut languorum noſtrorum medelam à te depoſcerem. F Veſtri vos facti pœniteat, filii, veſtras reprimite cupiditates, & ego veſtros depellam morbos, vos ad vos ipſi redite, vobiſque redintegrata ſanitas revireſcet. Ægrotus ergo quiſque accedat, paratam morbo medicinam inveniet, & qui plagam accepit, Chirurgo illam oſtendat, nec ambigat, quin ille pias vulneri ſit admoturus manus. Verumtamen eò quòd Cælum rorem & pluviam non mittit, Agricola colere arva non debet, & ſemina

mina terræ committere : neque quia medicina proſtat ad ſanandos omnes peccatores præparata , ipſi ſupplicibus multiſque precibus veniam petere non debent. Enimverò niſi colonus ſementem faciat , nil ei pluvia proderit , & niſi peccator oraverit , miſericors Deus ei ſanitatem haudquaquam reſtituet ; ſed reponet , quod ſolent Medici : ſi curam petis , vulnus oſtende ; converſionem videlicet morumque mutationem poſtulat , fac , ut ille te videat benè pœnituiſſe peccati ; ſi tuo petis languori medicinam , pœnitentiam ſinceram illi afferto , & ſuſcipiet te ; tibi ſiquidem illa per Prophetam renunciantur : *Convertimini ad me , & ego convertar ad vos*. Converte cor tuum ad orationem , oranti occurret gratia , ad pœnitentiam converſum excipiet miſericordia. Vide , ne commiſſa damnes hodie , & cras , quæ damnaſti , iterum committas : hodie in conventu Juſtorum , iniqua te perpetraſſe doleas , & poſtero die factum iniquorum ſocium tuæ te pœnitentiæ pœniteat : hodie clamites : *Propitius eſto mihi Deus* , quoniam erravi , exorbitavi , lapſus ſum , & altero die illa hominum deſperatorum dicta palam uſurpes : *Manducemus & bibamus , cras enim moriemur*. Vide , ne interea dum mors quaſi gigas te inopinantem parat opprimere , tuus te fallat ſenſus , & vanis diſtrahat curis , commodaque corporis amittas , & Pœnitentiam non invenias . In Palæſtra Pœnitentiæ ultimus te videat dies pro pietate decertantem : hæc pugna finem operi tuo imponat , ut vitæ tuæ curſum excipiat corona juſtitiæ .

Ezech. 36. 9.

Eſ. 22. 13.

Mundum ejuſque viciſſitudines , dolores & voluptates conſidera in ſtadio turbâque ſpectatorum pugilum & aurigarum . Enimverò ſi pro corruptibili corona tantoperè athleta laborat , quantoperè pro incorruptâ certare debet , qui pro veritate pugnat ? *Quiſquis in agone contendit* , Paulus ſcribit , *ab omnibus ſe abſtinet* , donec conſequatur coronam ; in lucta , quam contra Diabolum habemus , qualem continentiam obſervare debemus , donec perveniamus ad palmam , & quam ille molitur nobis perniciem , amoliamur , & quas inſtruit , evadamus inſidias ? Et quoniam ipſe ſuâ concitatus invidiâ , noſtram deſpiciens imbecillitatem , nos oppugnare non ceſſat , contra ejus tela clypeum nobis miniſtrat Deus pharmacum ſalutis Pœnitentiam , ad quam etiam per Prophetam nos adhortatur . Ubique illa ſalutaris eſt , ſi tamen vera , nec illi ſimilis ſit , quam

I. Cor. 9. 25.

A B C D E F

A quam fingebat ille populus, qui quum furta manu teneret, haberetque corpus flagitii plenum, simul ore clamabat: serva nos, Deus.

Audi Dei vocem antiquis sua crimina objectantem, tequemet ipse tuorum maleficiorum arguito, & cupiditatum tuarum impetum refrena: cave, ne duplici corde accedas ad omnium cogitationum scrutatorem, neque duplici via coram arcanorum B inspectore incedas: Dei misericordiâ lotus, ad lutum ne redeas: evasisti creditoris manus, debita, quorum chirographa rescissa sunt, cave, ne rescribas. Qui ab hoste captus, in barbaras terras deportatus fuit, si inde aufugerit, illas utique revisere abnuit, & orat, ne iterùm in captivitatem retrahatur. Tu verò, qui jugo infensissimi hostis Diaboli ex-C emtus fuisti, precare, ne iterum in ejus retia impingas.

Quis factam mihi gratiam cum vulgo servorum communicet, ut, si velint, suam retineant conditionem, sin verò abnuant, eâ dimissâ liberi evadant? Utrumque scilicet integrum tibi Deus manere voluit, adeò ut utrumque sit pariter in tua potestate situm, vulnus accipere, & acceptum curare. Medicum profectò per decies mille D vices ad faciendam medicinam redire non piget, adeo ut si quidem tu te ipse ferire non parcas, Chirurgus tamen labori non parcat, ut tibi accepti vulneris medicinam petenti succurrat. Rursus in ea epistola, quam ad Peccatores a pœnitentia minus abhorentes per Jeremiam Deus transmisit, voce magna te inclamat, hortatur, ut ad ipsum accedas. Pœniteat te E peccasse, ait, & quare morieris; sed & per eundem Prophetam jurat, se nolle mortem impii.

Jer. 27. 13.
Ezech. 21. 31.
Id. 18. 32.

Jam vides, quibus, quàm solidis spes nostra nitatur fundamentis. Suas Deus fores accedentibus perpetuò patere jubet, misericordia de resipiscentium reditu mirificè lætatur, gratia protendit manus & amplexum offert, clementia effuso sinu venientes excipit, & infirmos F adjuvat, Spiritus sanctus illapsu suo purificat: gaudium erit in Cælo, protestatur in Evangelio Dominus, super peccatore pœnitentiam agente: Angeli lætantur, exultant Sanctorum chori, osanna canunt Cælitum agmina, & Seraphim triumphant. Angelus severus Paradisi custos, aditum neutiquam negabit tibi, quicumque per poenitentiam ejus loci factus es hæres, ipse hortus te, ut aliàs latronem, suspirat, tibique portam triumphalem clave

Crucis Christi recludet. Arbor vitæ tuâ A gestiet præsentiâ, sua ultro tibi porriget poma: regio illa deliciarum nemorum suorum coronam ad tua commoda usumque præparavit. Lucida Justorum castra ubique te opperiuntur, magnifica civitas Sanctorum cum suis habitatoribus tuum præstolatur adventum, qui Beatorum sedem exhilarabit, & cælestis triclinii convivas mirâ jucunditate perfundet, regnique immortalis cives universos etiam B atque etiam recreabit; promissum claris pietate viris diadema auro gemmisque grave tibi proceditur, sique sapis, satages utique eo tuum exornare caput.

Quisquis ergo ad Pœnitentiæ præmium aspiras, facesse moras, dumque vacat in triclinio locus, cura, ut eximii cultûs amictum habeas, peculiarem scilicet vestem exigit nuptiale convivium, tu C candidam sumito: ante sponsi adventum ardentem tibi parato lucernam, & insuper antequam nocturnus aures percellat clamor, vide, ut tibi præsto sit in manibus symbolum. Tantum ne tibi otium placet? ut quum non ignores te esse debitorem, multo alieno ære obstrictum, adhuc in pigritia perstes, & cessatione torpeas, quasi verò creditor rem D suam minimè curet, & ideo silentio tuam dissimulet moram? & ille quidem tibi patientiam suam hucùsque satis probavit, quin igitur tu ei pœnitentiam tuam lacrymis testaris? suam ille benignitatem tibi profudit, quin tu ei sortem cum fœnore reddis?

Omnibus argumentis modisque tua Deus nos gratia vocat, omnibus blanditiis & E illecebris tua nos misericordia ad salutem provocat. Magnum doctrinæ tuæ rete omnibus hominum ordinibus objicitur, publicanis & meretricibus obtenditur, rebellibus quoque, ut a perfidia ad fidem animum convertant, nec non perditis, ut ad cor redeant: tuam Deus sedens expectat salutem, ad quam pro sua summa bonitate tuum præstolatur consensum. F

En ego ex turpitudine & nequitia evasi, tanquam ex retibus avicula, in tuæ, Domine, Crucis nidum tutissimum mihi perfugium, si permittas, me recipiam; nec enim coluber illuc accedere audeat. En ego a peccatis meis avolavi, tanquam è laqueo columba, in sublimi loco conquiescam, quem tua mihi Crux præparavit, huc utique draconi ascendere non licet. En ego confessus sum tuum salutare nomen,

[illegible]

A men, & nomen sanctum Filii tui, nomenque Spiritûs veritatis, signaculum & characterem trinum Dæmonibus verendum, Satanæ formidabile, quo audito ejus satellites & emissarii contremiscunt.

PARAENESIS III.

B TE, Deus magne summe, quem propter tua in homines beneficia magnum bonitatis thesaurum appellamus, scientiæ, quæso, tuæ mihi impertire divitias. Rursus quum idem ipse sis omnium bonorum fons, mihi tuæ beneficentiæ scatebram ostende: dives, cujus opulentia tantum indiget inope, cui suas effundat opes, ne me in turpi egestate manere patiaris, quoniam ad te reveni, & C justitiæ mnam non attuli. Sancte & humani generis sospitator, cujus misericordiæ fores accedentibus semper patent, hasce, oro, ne occludas mihi, quem pravæ cupiditates a pueritia usque ad extremam ætatem exercuerunt, & exoleta jam vetustate vitia usque modò exagitant. Optimi Parentis nate, qui nobis magnam utique spem injecisti tuo illo dicto: *Petite*, *& accipietis*, annue supplici D mihi, & quam poposci debitorum remissionem, indulge; jam nulla tibi elabitur dies, quin cuivis homini tuum alta voce intimes præceptum: petite, peccata vobis invicem dimittite. Quid? num poscenti veniam negabis tu, qui, quum sis sapientissimus, tibi semper es simillimus?

Hucusque miser, excusso jugo, per anfractus & salebras erravi, obtine, quæso, E prædam, quam optimus venator cepit, amor nempe tuus. Tu mihi, Domine, speculum exhibe, in quo meos videam socios, & magnum, quod imitari debeant exemplum, quicumque resipuerunt, & peccasse se dolent; istud ego velut in scena repræsentabo, & oculis subjiciam.

Quum aliquando in publicanum incidissem, notum aliàs hominem sic adortus F sum: peccavi infelix, quid consilii capiam non explico, nisi tu quid fieri expediat, suggeras mihi ipse, hujus non ignarus mali. Confide, respondit, Verbum divinum in terras descendit, sceleratos & perditos requisiturus. Vidi meretricem mœrentem, mox exhilaratam; causam rogata, vade, dixit, meo doctus exemplo, & veniam exposcito. Juvenis ad bonam frugem conversus, quum suam substantiam prodegisset, eodem modo a me

me interpellatus, eadem reposuit. Cave, ne de salute desperes, nam si eum, in quem peccasti, adieris, haud aliter ac nos te quoque venientem cum magna amoris significatione suscipiet. Latro me bardum ac stupidum credidit, quum anxius de tua misericordia illum sciscitarer. Quid est, quòd sic angeris? regessit, quid? an non ille venit nos requisiturus errantes? tuque contra otio torpes, teque illum adire piget, dexteram protendit suam, tuam, quum veneris, prensaturus: non te terreat ejus aspectus, nemo illo humanior. Unum & alterum verbum dixeram, quum magnam mihi Paradisi clavem obtulit. Ut oravi, ille planè exoratus, tot me sceleribus impiatum expiavit, suumque ad hortum deliciarum destinavit legatum. Vide, ut tu tuos exuas mores, vitiaque abjicias, statim ille gratiâ sua te decorabit: fac, ut ei tui oculi aquas suppeditent, quibus ejus misericordia te tuis eluat sordibus: non ille tibi tua recenſebit malefacta, uti nec mihi mea, si modò pœnitentiam ostenderis, statim ille, quam poposcisti veniam, dabit: ne te usquequaque dejiciat criminum tuorum gravitas, habes similes tui: illum invoca, audiet illicò vocem & sublevabit: hanc ergo ingredere viam, nostris insistens vestigiis, & quæ nobis obtigit, sortem confide tibi perinde obventuram.

Ego sanè Dei misericordiam erga Latronem nunquam non magnoperè admiratus sum, nec divitias bonitatis ejus laude satis idonea extolli posse unquam putavi, adeo ut ad illum grassatorem respiciens, de salute mea desperare non possem; quam spem adhuc certiorem mihi faciebant Publicani & fœminæ peccatricis exempla, utque inde didici culpæ meæ dimissionem exorare, sic mihi in Pauli persecutoris facto licuit videre specimen quoddam benignitatis & dulcedinis tuæ mirùm quàm suavis & facilis, ejus præsertim, quam experti fuere plerique homines, qui magnis ante contaminati sceleribus, deinde ad bonam frugem conversi, tuarum laudum buccinatores evasere. Quæ quum ipse mecum animo revolverem, confidebam fore, ut me quoque tua sancta hyssopus aliquando aspergeret.

Ovis amissæ comparatio meorum me scelerum somno oppressum excitavit, & a proposito inventæ drachmæ exemplo, tuâ me docente misericordiâ, didici tuam de nostra salute curam. Ad colendam vineam vocatus, utique labori

[Syriac text illegible]

[illegible]

A ri non parcam, nec desidebo otiosus; nec enim qui vel unam horam agrum coluerint, justa mercede fraudabuntur. Diligenti Medico meis malis medicinam facere parato, ea prodere non dubito, certus eum in illis curandis se impigrum & accuratum præbiturum, quum se totum ægris impertiri consueverit; uti nec Zachæo, sic neque mihi tuam, Domine, denegabis præsentiam, B sed quemadmodum tua illum gratia è grabato avaritiæ relevavit, ita me quoque, porrectâ dexterâ, humi afflictum surrigito: quum me simili Diabolus fraude gradu dejecerit, tua me pietas è lecto nequitiæ ac turpitudinis excitet & abstrahat. Quum ad hominis cupidi ædes tua te aliquando voluntas adduxisset, Publicanum telonii & C avaritiæ catenis obstrictum absolvisti. Quidni etiam mihi feras opem, cui infesta vitiorum acies incumbit? quin vincula rumpis, & carcerem aperis, in quem me tyrannus simulata pace detrusit?

Miserere, Deus, mei peccatoris, qui peccati mei laqueum evasi, vulnera medicare mea, ut in Publicani sortem adscitus, ejus pariter induam cogi- D tationes. Fracto navigio periclitantem ex aquis educito, ne in cæca nequitiæ vada delatus peream, uti illum, sic me quoque è vitiorum meorum fossa extrahito; contractas in juventute absterge labes, actam in senectute pœnitentiam suscipe. Obliviscere Judex, qui admonitore non indiges, quæcumque a mea pueritia commisi peccata, & om- E nia, quæ perpetrasse me mala ego recordor, neque tu certè ignoras, de tuo, precor, dele rationario, neve mihi ad tuum tribunal causam brevi dicturo objicias.

Quandoquidem verò ea conditione nati sumus, ut vitam agere neutiquam valeamus, cujuscumque prorsùs noxæ integram & ab omni labe puram, ne, precor quæsoque, te pigeat me communi morbo la- F borantem curare. Item quoniam nemo, luto si modò fictus est nostro, sic sibi constare potest, ut aliquando non desipiat, servo tuo ab insania resipiscenti ignosce. Omnium mortalium delicta vaporem esse video, quum bonitati tuæ oppono. Colorem maris omnia simul flumina mutare, aut quietem turbare non possunt; omnia enimverò posterorum Adæ peccata cruciatuum tuorum exhausit mare. Omnium itaque iniqui-

quitatum nostrarum colluviem tolle, precor, & in pelagus misericordiæ tuæ projicito.

Mi Deus, meas accipe preces, & quoniam omnia prehendis tanquam piscator omnipotens, magnum mihi tuæ voluntatis laxato rete, meque, ut olim è pelago Jonam, de profundo malorum meorum educito. Ne mihi, quæso, tyrannus insultet, quòd memetipse ejus potestati subjecerim, neque me Satanas subsannet, quòd quum mihi integrum fuerit ipsius me expedire catenis, in carcere volens libensque perstiterim. Me meis absolve, precor, peccatis, ut aliàs suo languore fœminam profluvio sanguinis laborantem; scelerum me meorum vinculis eximito, uti olim hominem dæmonum legione obsessum liberasti. Et ipsi quidem ope tua patentibus & conspicuis convaluere malis; meum autem intestinum est malum, nec sensibus obvium; illorum languores depulisti, mea mihi dimitte peccata. Revixi ego, quem non aspectabilis mors sustulerat, quem in abrupta error a via impegerat, inventus sum; filium patrimonii decoctorem pius pater reducem complexus est, tu me pœnitentem simili pietate recipias, oro.

Peccavi, fateor, atqui peccarunt alii & nefaria perpetrarunt, quos tamen in regno tuo præfectos designasti & satrapas: Telonium placuit aliis, quibus pectus habendi cupiditate fervebat, quos tamen regalibus mox ornasti insignibus. Novimus Latronem in viatores grassari suetum, tuum, te volente, Paradisum invasisse: novimus homines, qui ante lupi fuere rapaces, in agnos fuisse reversos, in tuum etiam transcriptos fuisse gregem: novimus vultures in columbas sub tua disciplina mutatos, & vidimus lolium, quum tuæ doctrinæ bibisset imbrem, & crucem tetigisset, in triticum migrasse, & bonam protulisse frugem.

Quæ autem dixi, nec verò dixisse piget, mihi ipsi, homini videlicet ex pravitate ac turpitudine concreto subjicere soleo; hujusmodi quippe argumenta me vehementer solicitant ad implorandam interim misericordiam tuam, dum ejus video patere fores. Faxit tua, Domine, pietas, ut illis similis fiam, qui mei similes aliquando fuere, & nunc nobis tamquam exemplaria proponuntur, unde virtutum documenta sumamus. Præsta, precor, ut in meis actibus exprimam propositas mihi imagines Sanctorum,

[illegible]

A rum, qui errorem Pœnitentiâ correxerunt, adeo ut promiſſam illis gloriam aſſequar, quandoquidem eorum aſſimilavi mores & vitia, Latronem dico, & fœminam peccatricem, qui, quum noviſſimi eſſent, facti ſunt primi. Univerſa Eccleſia homini res ex vero æſtimanti pœnitentiæ imaginem deſcribit, Piorum cœtus, qui perfectæ abſolutæque virtutis apicem attigerunt, ſpectatæ

B ſapientiæ viris ad imitationem proponitur. Omnis vitæ curſus, quem, quum ad nos veniſſes, tenuiſti, in gratiam nocentium reſipiſcere volentium actus eſt; univerſa tua, Domine, doctrina ad magnam ſpem delinquentes vocat.

Facite fructus dignos pœnitentiæ, clamat Joannes; en ego, Domine, fru- *Matth. 3. 8.*

C ctus poenitentiâ & fide plenos attuli, en peccata mea in conſpectu tuo flevi, chirographum tu præbe mihi, quem dediſti ei, quæ in triclinio ſua planxit crimina. Quòd ſi illa pedes tuos deoſculata eſt, hoc verò ego tuo Corpori nec ſemel exhibui; quam proinde illi pacem & veniam de pietatis tuæ theſauris largitus es, redde mihi. Prohibe, Domine, malum, ne vulneribus, quæ

D meum mihi intulit arbitrium altiùs ſerpentibus confectus extabeſcam, pie Medice, qui ulcera putri fluentia tabo non faſtidis: neve committas, ut retibus tenear, in quæ ipſe mea ſponte conjeci. Optime Piſcator, qui Diſcipulos tuos non ad piſces, ſed ad homines capiendos miſiſti: ne, quæſo, laqueis, in quos mea me voluntas induit, dudum implicitum deſeras. Præpotentis regis Fili,

E qui noſtræ factus es vindex libertatis; ne gaudeat de meo infortunio inimicus, qui in hæc compegit me vincula, aut Satanas, qui ſeduxit & huc abduxit. Multos dies carcer ille me tenuit, inde ſi evaſero, ad loca, ubi commorari ſoles, continuò meum intendam iter.

Quum generis noſtri auctor captus

F fuiſſet, tu, Domine, terras noſtras intraſti, quaſi hoſpes regionis ignotæ naturam & incolarum mores inſpecturus, hac arte illum fortem adortus, qui parentem noſtrum ſuis ceperat dolis, captivum ex ejus caſtris rapuiſti. Ad requirendam ovem perditam in mortuorum ſpelæa tua pietate penetraſti, indeque velut ex mortis gremio extractam ad ovile reduxiſti, ſævo vivorum tyranno nec hiſcere quidem audente.

Quum

Quum unam inveniſſes animam, ſummis & infimis gratulationem indixiſti ; non eſt ergo , cur non eam ex meo reditu haurias lætitiam , quam ex perditæ ovis inventione percepiſti . Peccavi ſceleratèque feci , ſentio , quæ ſcelera admiſerim , ob quæ à latronibus ſpoliatus nudus remanſi ; Diabolus ſiquidem nihil præter meam in te fidem mihi reliquit , tuam deprecanti miſericordiam tribue , obſecro , is ego ſum , qui fuit ille , cujus vulnera tuam flexere clementiam , ut miſero abjecto , undique deſerto curam adhiberet , ejuſque plagas perſanaret . Tuam , Domine , hortare juſtitiam , ne in mea inquirat crimina ; non enim habeo, quo putatis cum ipſa rationibus paria faciam. Miſericordia , cujus myſterium quemque latet , & omnium hominum iniquitates patienter tolerat , actorum meorum rationes a me repoſcat , quæ videlicet , quum tolerat , ad veniam & gratiam invitat . Non ut juſtitiæ legibus me ſubtraham , talia majeſtati tuæ dicta velim ; liquet enim,non niſi a juſtitia coronari victores; ſed ut tua mihi gratia quantulumcumque locum indulgeat ; novi ſiquidem me ab ipſa totius debiti remiſſionem facile impetraturum , ſi pro ſatisdato parum aliquid ſolvam . Enimverò etſi delictorum dimiſſio gratiæ ſit donum , non ideo tamen reus ſine labore abſolvitur , nec eo , quòd animæ expiatio divinæ pietatis ſit opus , ideo ſine lacrymis tranſigitur . Lacrymæ , quas peccatrix fœmina fudit magnam commiſſorum criminum ſyngrapham ei reſtituerunt & deleverunt , meorum mihi , precor debitorum rationes pariter diſpungito ; id videlicet repoſcit , in quo jacui , luctus; ſed etſi collatæ operæ meritum oſtentare non poſſum , exhibeo fidem , & quamvis indignus ſim , cui ignoſcatur , veniâ dignum tua me gratia præſtare poteſt ; & quandoquidem a primis longe abſum , me cum noviſſimis , quæſo , recenſe ; & quoniam , quum jam fluxiſſet hora diei ſexta , deprehenſus ſum eò uſque ignaviâ deſidiâque obtorpuiſſe , inter ultimos operarios ad undecimam tranſcribito . Extra tuæ gratiæ agrum occurrit ſtatim vaſtum criminum ſcelerumque deſertum , in quod quicumque ſe induerint , in ſalebras & anfractus ancipitum curarum ac perturbationum delabuntur .

Me miſerum , cui nec prima , nec tertia , ſed nec ſexta quidem hora diei operi

[illegible]

[illegible]

A operi meo incumbere libuit ; sed quoniam mihi nondum sol occidit, patere, precor, ut ad horas, quæ superant, vineam tuam excolam, constitue me agri tui cultorem, & sub jugo tuo aratorem, tuæque pecuniæ negotiatorem, ne videlicet vitæ totus inutilis mihi labatur cursus. Diaboli laqueos evasi, fave, precor, ne iterum in eos incidam, quos rupi compedes, B neve tyrannus me denuò subjiciat servituti ; insequitur enim me, ut retrahat fugientem ; a mea ille pueritia me sibi mancipavit, nec ego quidem abnui ei meam exhibere operam, & præbere famulatum, sic me tyrannus oppressit in cunis : grande, precor, prohibe malum, ne suas ille adversus me molitiones ad effectum perducat.

C Homo hominem poscit opem, & potentiores potentes appellant, ad tuam ego profugi misericordiam, tutum mihi arbitratus adversus illum perduellem præsidium. Quisquis carcerem evasit, perfugium circumspectat, oblatum statim occupat : criminum meorum exercitum me prementem fugiens, ejus legionibus pietatis tuæ arcem opposui, illa aspirante, duros iniquitatis compedes in-D fringere non erit difficile, offendicula ab adversario objecta superare, turpes evitare lapsus, obscœnas libidines, & nefaria flagitia fugere, & erroris contagia declinare. Et quoniam, tuo favente numine, ex hoc luto emersi, & è puteo, in quem decideram, evasi, indeque offusam caliginem dissipavi, totum quod cernis medicare malum, oro, tu idem fer opem, qui spem dedisti.

E Jonam è pelago extraxisti, & eripuisti Simonem fluctibus, turpitudinis ac nequitiæ procella me mersit, porrige, Pie, manum. E ventre ceti extitit filius Amathi, & de fluctibus & profundo maris Bar-Jonas. Oravit Jonas, & validè incursantes undas fregit, & periculum discussit Simon Cephas. Oratio nunquam fluctibus cessit, quæ flu-F ctibus haustos in Cælum sustulit, nec unquam in scopulos, aut in arenam impegit, cui divinus spiritus alas ministrat. Oratio Justos ducit ad coronam, & perditos ad salutem.

Deus magne summe, precamur, utere nobiscum eâ clementiâ, quam nec Latroni negare voluisti, qualis ille, talis & ego sum reus & miser, quam illi dedisti Paradisi clavem, hujus mihi copiam facere ne abnuas. Sat scio ini-quitates

quitates meas meo lateri, velut coactis cuneis adeo densas agglomerari, ut eorum numerum inire non possim, & ideo dum eas cum corporis mei statura compono, video supergressas fuisse caput meum; ex isto barathro extrahe me, Domine; en ego conscientiam meam exonero, & illas ab humeris animi mei depositas in humilis & simplicis confessionis sinum projicio. Enimverò *sicut onus grave gravatæ sunt super me*, nec eas jam ferre sustineo. Hoc ego onere pressus olim, in tui Baptismatis aquas descendi, indeque integer noxæ scelerisque purus emersi: absit, Domine, ut sinas me iterum in idem relabi lutum, eoque sepultum destituas, sicque Ægyptiorum in luto aquarum multarum pereuntium exempla congeminem. Hebræi Mose pro ipsis suas interponente preces, mare trajecerunt, nullo affecti damno, magno immerentes protegente nomine tuo. Fateor me eâ, quam peto, gratiâ indignum: reum me esse agnosco, eâ tamen dignum me efficere tibi decorum est, mihique proinde ignoscere, meorumque delictorum veniam annuere. Equidem vereor, ne peccata mea mihi tanquam satellites ad tuum tribunal occurrant, meque uti reum magnæ Majestati tuæ sistant. Supplici parce, quæso, prohibe, ne mea me peccata in compedes compingant igneos, & in horrendum illud ignis barathrum detrudant cæterà non immeritum; tesseram tuum Sanguinem fero, telum formidabile Gehennæ ori iniquorum prædâ exsaturando.

Ps. 37. 4.

Sacro Agni cruore perterrita mors ab Hebræis fugit, magis utique tuum, Domine, pretiosum Sanguinem Gehenna timebit, cujus Babylonicus ignis imaginem quamdam nobis descripsit, quum è fornace erumpens flamma lictores corripuit & combussit, beatis contrà pueris amicum & blandum se præbuit; mea omnis in tuo nomine residet spes, illud nempe scelestos & flagitiosos honestate justitiâque imbuit & ornat. Ego verò quandoquidem justus non sum, in ordinem illorum transcribito, qui scelera sua pœnitentiâ expiarunt, & quoniam è vitiis emersi, præteritæ vitæ malefacta dolentem a perfidis & sceleratis secernito.

Næ tu, Domine, misericors es, ut similem non habeas; tua quippè pietas ad probos, & improbos latissimè se pandit, tuaque gratia justos & iniquos

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

quos pio rore perfundit, & sol bonos & malos promiscuè illustrat. Jam erit ne aliquis tam vecors, qui talia contemplatus tuam misericordiam non sentiat? Quumque assiduè cernat pessimorum hominum agros & arva tuis rigari imbribus, tuam non suspiciat bonitatem? Utinam ille mihi tandem oriatur sol, tua nimirum misericordia, quæ circumfusam mihi errorum caliginem dispellat & dissipet: utinam ille mihi accidat imber, tua scilicet misericordia, qui meas eluat sordes. Profectò non labascet, quem tu sustines, neque vestigio falletur, quem ex te pendentem gubernas.

Qui te sibi præsentem cogitat, hunc nec inhonestæ voluptatis titillat sensus: qui intento animo in te intuetur, hujus mentem res nulla perturbat: qui diligit te, huic Mundus totus vilescit. Fixum in te Josephi animum sapientia in conclavi neutiquam deseruit, non ita Samsonem, qui in Dalila turpiter offendit, & sensum amisit. Mentem, quæso, meam, Domine, inflamma, ut Josephi doctus exemplo, me a te etiam in abdito videri intelligam, effugiamque laqueos, quibus captus est Samson. Tuque sis mihi via, per quam incedam, tu præsidium & perfugii locus ab incursionibus Diaboli, qui adversus me se extollit, & omnes meas rationes perturbare molitur.

Sat scio Pœnitentiæ colloquium tibi esse gratissimum, ejusque verbis aures te præbere pronas, dum sua præsertim retractat errata. Hem ego mea ad te detuli crimina, iniquitates meas tibi confessus sum, & nunc supplici hoc libello peto, ut illæ de medio tollantur: Tu, Domine, petenti & oranti fave, & latam contra ipsas a tua Bonitate sententiam exequere, easque exscindi jube; quod si feceris, beabis me, & habebis perpetuum tuarum laudum præconem.

PARAENESIS IV.

Sine te hoc exorem, magne summe Medice, qui Adæ posteros curatum in terras venisti, excogitata ferens a tua benefica & liberali bonitate remedia, delictorum nempè meorum posco veniam. Hæc scilicet mentem solicitat cura, hic animum terit dolor. Tua me, quæso, pietas invisat, tua me clemen-

mentia sanet, sordes eluat meas, & A maculas tergat, eâ me benignitate accipiat, quam erga fœminam peccatricem adhibuit. Profectò ut multa sint, in quibus peccavi, & officio erga te meo defui, tua tamen multò latiùs se fundit misericordia: secùs si tu sceleribus impiatos non expias, quis jam pius erit? Tribue, rogo, mihi Pœnitentiæ locum, dolorem & B lacrymas, ut multis precibus & largo fletu scelerum meorum veniam tandem exorem, dum utrisque datur locus: tuam suspirat animus gratiam, quâ absente, salutem desperat.

Tua, Domine, misericordia pelagus est, nec tibi tuæ pietatis opibus utendi facultas deesse potest. Ecce malorum vita suis me illaqueavit vitiis, laqueos tu, Domine, tua pietate C dirumpito, & incautam avem his expedi retibus; quæcumque admisi peccata, in meam conspirarunt perniciem, & meum sitiunt sanguinem; præpotens Deus, Custos & Rector Universi fer opem misero. Princeps hujus aëris suo me confodit jaculo: Tu Rex regum, & Dominus dominantium ægro mihi ferto medicinam, & sanitatem restitue, D neve committas, ut venenatis ejus sagittis sauciatus intercam. Tua, Domine, singularis benignitas & misericordia magnis pollet opibus, & inexhaustum possidet thesaurum cuique volenti patentem; aspice ergo supplices, quamvis immerentes, tuæque benignitatis aspergito aquis; nam & fœminam peccatricem accedentem & veniam crimi- E num suorum orantem non repulisti, indulsisti ei quod petebat, adeò ut detersis tuâ hyssopo maculis, singularem animi candorem induerit.

Tuæ profectò misericordiæ pharmacis non indigent, qui ægri non sunt; ecce autem morbidi benè multi tuis prostant foribus, qui conscientiâ oppressi scelerum suorum, opem & curam efflagitant. Qui misericordiâ non indiget, F hanc captare non solet. Excellentem in arte sua medicum nemo miratur, priusquam lethiferi morbi curâ perfunctum aspiciat, nemo ad benevalentem accersit; nec enim huic valetudinem, quam habet, ille dare potest; ad ægrum ergo medicus accedit, nam usquequaque sanum quâ in parte curabit? idcircò stultâ & inutili curâ relictâ, ad ægrotos intendit artem; in evincendis quippe difficilibus

[illegible]

A bus cæciſque morbis ſcientiam medicus præclarè oſtentat & approbat, curâque finitâ præſtitæ operæ mercedem æquiſſimo jure repoſcit.

Triumphat medicus ſi ægrotus periculum evaſit, at tibi, Domine, longè gratius accidit animi morbo laborantibus, depulsâ ægritudine, perditas reparaſſe vires. Profectò ſi a te nec lenitas, nec pietas abeſſe poſſunt, nec B verò a me peccatum. Ecce autem gratia tua meum opperitur reditum, ut delictis ignoſcat meis, quod quidem ſi mihi præſtiteris, palam conſtabit, opidò quàm ſuave & facile tuum ſit ingenium. Næ tu miſericors es, & ultrò peccata dimittis, nec in noſtra perditione lætaris; nec ego unquam nota Caini parricidæ dicta uſurpem, ut dicam maC jorem eſſe iniquitatem meam, quàm ut veniam merear, magno mari Oceano quum ſit miſericordia tua major: hac ad me utere, precor, & maculas terge meas. Tua tibi ingenua pietas gratiſſimum præparavit opus, id eſt, liberalitèr excipere & ſublevare miſeros, atque fontibus ignoſcere, vix eſt, quod te magis delectet; nec enim medico moleſtum accidit, ſi in propinquis ædibus pluriD mos ægrotare contingat, & incidant morbi & caſus, qui ejus requirant operam; quippe cui diſplicere non poteſt per hanc occaſionem proprio inſervire quæſtui, rem augere ſuam, ſuæque arti laudem & gloriam colligere; qui ergo ingenua virtute mitis es & miſericors, non te utique pigebit gratiæ tuæ remedia ægro adhibere mihi; eſt hic enimverò, unde tibi acceE dat laus & decus. Sine itaque me tuam exorare miſericordiam illam magnam; hanc quippè petit opus, quod in curandis ægris tractas, & officium, quo fungeris expiandi animas ſcelere contaminatas.

Atqui non te præmium trahit, quod ab hujuſmodi ægrotis ſperare debeas, ſola movet eorum Pœnitentia, ut eis ſua F omnia peccata dimittas. Et ſanè quamnam tibi mercedem appendit fœmina illa peccatrix, quòd omnium ſcelerum ejus colluviem ſuſtuliſſes? præter unguentum, quod ad unctionem pedum tuorum comparavit, & contulit, quid ampliùs illa dedit? ſcilicet ſupplevit defectum amor, quem unicè deſiderabas, & qui actionem illam maximè decebat; evicit fide, ut unguento & lacrymis veniam, quam petebat, impetraret. Ferebat illa ſuis

ſuis cum flagitiis unguentum & lacrimas, tu contra offerebas clementiam, & profundam commiſerationem, lacrymis tuos lavit pedes, capillis terſit, unguento tua membra perunxit, Pœnitentiâ ſuorum peccatorum remiſſionem recepit; minimum ergo fuit, quod illa dedit, maximum, quod reportavit ſuis expiata peccatis. Fluvium flammas glomerantem intraverat peccatrix non uno contaminata ſcelere, parvę lacrymarum guttulæ vaſtum illud incendium reſtinxerunt, tuos ſacros pedes lacrymæ aſperſerunt, ſubtraxerunt illam igneis torrentibus, quorum ardore deflagratura fuiſſet: flammarum procella reſedit repreſſa lacrymarum ex oculis peccatricis manantium influxu: pius ille fletus eam perduxit, unde ſecura rogum aſpiceret.

De hac tamen impudica muliere multiſque inquinata flagitiis plura adhuc dicere operæ pretium duco, ratus nec ingratam, nec inutilem meam orationem fore iis præſertim fœminis, quæ uti cum illa communem habuere ad flagitium mentem, ſic ipſam ad virtutem ducem ſequi deſiderant, ac proinde noſſe, quomodo illa e ſuis emerſerit vitiis, & peccatorum ſuorum conſecuta fuerit remiſſionem. Iſtis profectò injucundum eſſe non poteſt, quæ de ea narrantur, audire, quum eâdem cupiditate ardeant, quæ illam ad petendam criminum ſuorum gratiam inflammavit. Enimverò peccatores, qui ſibi diſplicent, Deo vehementer placent, eoſque benè ſperare jubet, aſſeverans ſinceram Pœnitentiam a venia nunquam diviſum iri. Nemo itaque, Fratres, hanc aſpernetur gratiam, neminem pigeat Dei miſericordiam ſupplicibus multiſque precibus exorare, Deique pulſare fores, orantem utique ille exaudiet, ea eſt ejus in omnes homines caritas; hanc certè teſtatur, & planè declarat peccatricis factum, cui ad pœnitentiæ fores accedenti plenam ſcelerum gratiam mitiſſimus Dominus fecit.

Quicumque reum ſe eſſe novit, de gratia non deſperet, quam quum deſperaſſet Apoſtolus Judas, cecidit alto repente tractus in præceps gradu. Si meretrix, abjectâ ſpe, ſalutis curam pariter depoſuiſſet, nunquam expiaſſet conſcientiam ſceleribus contaminatam. Quin ejus nos inſiſtimus veſtigiis, & pro animæ ſalute excubamus? etenim ſi tantum

A tum negotium pari cum solicitudine a nobis curatum non fuerit, a quonam judice erratorum nostrorum veniam sperare licebit? Quod si contingat peccatorem post pœnitentiam in culpam recidere, non idcircò velis & remis eluctari non debet in ejus portum, quæ sola peccati compedes dirumpit.

Porrò nec diem, nec finem pœnitentiæ fixit Deus, adeo ei omnia B apta sunt & tempora & loca. Quamobrem si per vices decies mille peccaveris, & ad pœnitentiam conversus fueris, inde tuis lotus sordibus, & sceleribus expiatus redibis. Cæterùm uti cadere tui arbitrii fuit, sic in tua potestate est te ipsum a casu relevare, si velis. Quisquis igitur peccaverit, si modò statuerit propriæ salutis negoti- C um acriter & accuratè transigere, ad cor redeat, & veniam poscat, Medici ecce patent fores, facilem sincerè resipiscentibus aditum nunquam non dabunt.

Præceptum Domini est, si septies supra septuagies peccaverit in te frater tuus, toties ipsi ignoscito; quin ergo magis, qui legem hanc dedit, veniam peccanti dabit? pius est, confidito, & D ad misericordiam mirùm quàm propensus, quàmque de nostra salute solicitus! Videdum, Peccator, ne tu in petenda gratia segnis & negligens sis; Dominum namque tuum tui misereri nunquam certè pigebit. Quid? ergo tibi ipse non parcis, quasi verò non sentias diffluentem ex tabido corpore saniem, & tessellatam pustulis cutem? Parvo, crede, negotio Medicus tuis feret medicinam malis, modò E ipse petas, tibi tua displiceant ulcera, tormenta ac vulnera; quum autem tuus in arte Chirurgus maximè excellat, præsumit ante curam de futura tua valetudine triumphum. Quòd si fortè placet ædificare, & mox ædificata destruere, sic ut per nullum vitæ diem culpâ vacasse deprehendaris, seram pœnitentiam non recusat Deus, modò ve- F niam sincerè petas. Quocirca si tibi prænosse licuerit, non defuturum tibi ante obitum pœnitentiæ diem, non est, cur ambigas, quin gratiam orans, certissimè sis exoraturus; atqui certus non es, quis futurus sit tibi ultimus dies, & in quo rerum articulo te mors deprehensura sit; gratia abesse non potest, modò adsit, qui petat. Quamobrem si eodem die septies supra septuagies, ut antè ajebam, peccaveris, atque toti-

totidem, quot peccasti, vicibus ad ostium misericordiæ accedas, accedentem illum nunquam rejiciet, modò deliquisse te pœniteat. Si de nocte cubitum iturus, peccatum ad concubitum invitaveris, admisisque, vide, ut, dilucescente die, acceptum hesterna nocte vulnus curaturus ad Chirurgi domum festines. Quod si de die ulcere te infestatum alio animadverteris, ante noctem medici limen terito, curationem poscito, certus te laturum, quod petis.

Hæc, Fratres, a me temerè & sine ratione dici, is fortasse existimabit, cui vita hucusque fluxit scelerum pura; ego verò nullus dubito, ut hæc ipsa hominem criminum suorum non ignarum, suæque proinde inopiæ conscium magnoperè recreatura sint, & ad certam plenamque salutis spem excitatura. Et Dominus quidem suaptè natura Bonus, & ingenuâ benignitate liberalis sua dona cuilibet petenti dispensat; si autem oculus tuus nequam est, amens sis, si putas illum similem esse tibi, aut aliqua vi impediri posse, quo minùs quod placeat, facere possit, quum suæ sint, quas impertit, opes, & suus sit thesaurus, ex quo egentibus subvenit, & pauperum sublevat inopiam. Atqui si ille suum ærarium nemini claudit, quid tu, Peccator, cessas? quin instas & oras? an dubitas, quin ille cujus natura est misereri, tibi quod petis, sit daturus? Quantum petitur dare paratus, petentem nunquam fastidit. Si intimis sensibus angeris & ploras, hoc rore, age, tua asperge scelera, & confide, ulcus ille insanabile curabit. Lacrymarum fluentium cursum flectito contra crimen, cujus maximè conscientia te exagitat, & quasi mortuum istud in loco flentium deponito, nullam, crede, tibi posthac creabit molestiam. Verumtamen si reus quum sis, orare & plorare cessas, nec te tuæ valetudinis tangit cura, omnem certè curam deponet medicus, nec luem, quam ipse non curas, curare velit.

Communis hominum mos te docuit tuis quærere medicinam malis, nil tamen quæras præter pœnitentiam & lacrymas; fœminam peccatricem intuere, suos ista casus flevit, sæva nimirùm ulcera, quæ sibi ipsa suis vitiis consciverat: repente convaluit; nempe quæcumque ad reparandam valetudinem quærebantur, omnia singultibus & lacrymis transacta sunt. Nec porrò aliam præter uberem fletum Medico mercedem illa

A illa rependit. Pius Medicus ejus obligavit vulnera & obduxit, peccata dimisit & expiavit, mulieris fletus præstitæ operæ tantæ merces sola fuit; nullum scilicet illa munus præter lacrymas attulit, languori suo petitura medicinam. Quid? quòd quum Medicus benè nosset, quàm multa, quàm gravia illa nefariè perpetrasset, lacrymantem tamen, & ad ejus pedes abjectam B singulari præconio ornavit & extulit; & quum peccata dimitteret, peccatricem laudavit; nempè hanc gloriam tribuendam esse piis ejusdem lacrymis judicavit; noverat aquas ex oculis manantes suam habere in mulieris pectore scatebram, arcanum amorem, quo intercedente peccatoris lacrymas misericors ille nunquam non miseratur.

C Jam si delectat videre corpus in ipso ætatis flore, & prospera valetudine eximiam præferens dignitatem, ac si contra quando in oculos incurrit ægrotus quispiam tabido confectus morbo, visu inhorrescit animus; constat profectò nil Domino mitius, nil suavius esse, qui neminem fastidit, modò ad ipsum caritate plenus accedat, hanc solam exigit, quæ si lacrymis armata se offerat, D ab eo excudit, quodcumque petit; amat quippè nos nullâ indigentiâ, nullâque utilitate quæsita, idcircò ægros curaturus, curam alio pretio pacisci non solet, præterquàm lacrymis, quas sincerus amor expressit, nempe huic composita omnia, quæ dicimus bona, obscurantur, & humi jacent; voluntatem ille petit poscentis gratiam, illa seipsa supplet libamina & victimas.

E Non misit Pater Filium suum in Mundum, ut hunc judicaret, sed quum maximè propria sit optimæ præstantissimæque naturæ bonitas, hanc rationem, quâ generi humano consuleret, excogitavit. Quocirca quum ille pius & plenè misericors ad curandos hominum languores advenisset, facinorosorum & meretricum congressus nunquam recusavit, F quia nimirùm morbosos sanare volebat, hujus notæ homines Medicum reposcunt, de quo utique sani soliciti esse non solent: ut peccata dimitteret, & inquinatos mundaret venit in Mundum Filius Dei, idcircò hominum ejus operâ indigentium usum & consuetudinem amavit, & ad se venientes complexus est. Et quoniam ad tollendum peccatum Mundi Cælo demissus in terras descenderat, suam præcipuè in sceleratis &

profligati pudoris mulieribus miſericordiam oſtendit.

Quamobrem quum Simon perſpectam haberet nimiam ejus caritatem, & magnam in primis miſericordiam, domum ſuam eundem ad prandium invitavit, illum videlicet cujus inexhauſta liberalitas victum cunctis viventibus ſubminiſtrat. Caritas certè illum eò pertraxit, & Simonis hoſpitem & ſodalem fecit, cujus numine Mundo providetur, ut inconcuſſus eat. Magna eſt vis amoris Filii Dei, ſincerus hic eſt, affabilis, officioſus & ad miſericordiam mirùm in modum propenſus, omnibus ſe facilem & benignum impertit, ut novis & ſingularibus modis, quos ejus ſapientia excogitare novit, univerſos lucretur. Profectò nulla alia extra caritatem cauſa ad publicanorum domos illum adduxit, quando ad epulas invitatus, non recuſavit, occaſionem nimirùm captabat, eoſdem ad bonam frugem revocandi, diſponendique ad obtinendam commiſſorum gratiam.

Sed nec perditæ luxuriæ homines faſtidivit, nec accedentes aliquandò rejecit, commeritam pœnam deprecantium preces ratas habuit, ſceleratos præteritæ vitæ acta damnantes ipſis, quibus ea plangebant, lacrymis expiavit. Quæ quidem benignitatis & amoris argumenta nec Phariſæis negavit vocatus, quò ipſis libuiſſet, non reſtitit; propriæ inopiæ remedium poſtulantibus ſuâ copiâ ſuccurrit. Turbis per deſerta loca palantibus providit annonam, & quæ inculta regio per ſe alimenta negabat, dare juſſit; confeſtim inops ſolitudo protulit victualia, pluribus hominum millibus ſuffectura, eo videlicet ſuppeditante, qui illa apparari juſſerat.

Nec porrò minorem in familiari hominum uſu & conſuetudine comitatem præſetulit, ſolitus inviſere extrariorum domus eâ planè vultûs hilaritate, & affabilitate ſermonis, quâ propinqui & conſanguinei per eam occaſionem ſibi invicem adhibere conſueverunt, ac ſi quidem ſuis expiari noxis ſupplicarent, benigniſſimus Judex ſupplices omni reatu abſolvit, vel ſi pauperes inopiâ ſublevari rogaſſent, quodvis ab eo optaſſent, id optatum tulerunt. Inexhauſtum ejus ærarium, ut ſæpè dixi, eximiæ liberalitatis & munificentiæ profudit opes ubique, adeò ut nullum tempus tranſcurrerit ejus beneficiis otioſum.

Voca-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A Vocaverat illum Simon ad prandium, vocanti cum magna amoris significatione annuit; sedenimverò multò luculentioribus caritatis & misericordiæ argumentis fœminam peccatricem accepit, cui nimirùm peccata dimisit, suâque eluit gratiâ sordes, & labes abstersit. Quid? quòd & Apostolis suis mandavit, ut quod ab illa factum cernebant, in memoriam ejus ubique gentium di- B vulgarent. Atqui sciebat mulieris conditionem & statum; nempè hæc ipsa viris laqueum se fecerat incessu, vultu, oculis solita adolescentes illaqueare, & ætati maximè lubricæ speculum offerre, in quo ipsa se repræsentans, illorum animos turpi amore inflammare & corrumpere solebat.

Improbam, procacem fœminam ge- C neris nostri accusator in arcum ad suos usus conformaverat certos, eò moliri suetus ictus, telaque vibrare, quibus ad flagitium luxuriosos accenderet, & continentiæ thesauro spoliaret. Venatricem fuisse dices, quæ suâ venustate plurimos cepit impegitque in salebras; dum fœminam sui erroris causam persequuntur, proprias deseruere domos, & per inhospita lustra vagari cœperunt, quotquot exi- D miâ ejus specie, & oculorum loquaci mobilitate capti, haud dubio naufragio se permiserunt.

Quis porrò omnia ejus crimina referat? hæc nimirùm honorabile connubium, & immaculatum aspernata thorum omnes pudicitiæ leges proculcavit, ut magnam vitæ partem in prostibulo transigeret; quumque impurissimorum hominum con- E suetudine & exemplo provocata cupiditates suas solvisset, continentiam & pias curas in desidiam & lasciviam vertit, eò tandem prolapsa, ut non modò solitudinem ac tenebras flagitiorum integumenta non quæreret, sed grassatorum audaciâ vias obsideret, & clarissima luce ad flagitium prætereuntes protraheret, ut pessundaret. Quid, quod & discordiis & domesticis dissidiis uxores F implicuit ob injectam ab ejus petulantia & insidiosa venustate de maritorum fide suspicionem? hinc porrò consecuta divortia conjugum & familiarum contubernia diremerunt.

Hebr. 13. 4.

Sed nec minùs exemplo, quàm peccato nocuit; assueta siquidem a teneris annis turpiter vivere, vitia sua in alios infudit, quumque se corrupisset, alios corrupit, hinc ad illam magnus undique libidinosorum & intemperantium juvenum concur-

concurſus & frequentia ; ſic facta familiæ dedecus, patrium etiam ſolum dedecoravit. Scilicet ſeptem dæmonia luxuriæ duces eam invaſerant, nec proindè mirùm, ſi incurrentes in triviis adoleſcentes ad flagitium frequenter illexit illa, quæ velut inquilinum habebat domi ſtuprum, ac turpitudinis ſtabulum ſe fecerat; adeò ut nec divina, nec humana jura obſtarent, quin cupiditatibus ſuis obſequeretur. Impudicitiæ facta mancipium continentis animæ pulchram libertatem contemſit, pudorem exuit, caſtimoniam abjecit; quum verò mens, quæ recta ſtare ſolebat, dementi ruinâ ad luxum & laſciviam deflexiſſet, in iis aſſiduè volutabatur. Qualem hactenùs ſpectaſti, Diabolus Veneri in Judæa phanum conſtruxerat, propoſueratque intemperantium Judæorum oculis tanquam impudicitiæ ſpeculum, fœminam perditam, nefariam, ſceleribus & flagitiis contaminatiſſimam, atque adeò turpitudini deditam, ut familiæ decus, parentum & fratrum honorem, pudicitiam, honeſtiſſimas nuptias flocci faceret, hominumque turpiſſimorum conſuetudini & contubernio poſthaberet.

Agedum intuere modò, quibus laqueis laqueum impudicitiæ concluſerit Dominus, qui ad reducendos homines per abrupta palantes advenerat; ut ergò illam columbam, quam nefarii accipitres ceperant, ipſorum unguibus eriperet pius venator, domum divertit Simonis, qui ei prandium aptaverat; avicula nimirùm in ſuum nidum aquilam invitabat, ut ſuaviſſimo ejuſdem contubernio frueretur. Inde divinus auceps avem domi ſuæ velut in proprio nido cubantem immiſſo cæleſti lumine cominùs adortus eſt, permovitque, ut diſcuſsâ caligine ipſa ſe agnoſceret, ac tandem ſtatueret ad ipſum accedere & commiſſorum veniam efflagitare. Effulſit a divino venatore gratia meditatam ad effectum perductura converſionem refractariæ mulieris, quæ ægrè ferens pacis domicilium velut in avios ſaltus ſe conjecerat; quam præmiſerat gratiam mox ſecutus miſericors auceps, calamos diſpoſuit, fugientis infelicis mulieris vias obtenſis retibus ſepſit, atque hoc artificio, quod ſola ejus caritas excogitaverat, a fuga retractam ad bonam frugem reduxit, cavitque, ne in poſterùm cum impuris & flagitioſis erraret. Explicuit rete ſuum divinus venator, objecitque bacchanti, continuò illa adrepſit, & in ſinum ejus intravit, nempe ex libera ſui arbitrii poteſtate ferox mulier capta eſt. Vivificum

A B C D E F [illegible]

A Vivificum odorem ſpirabat Dominus, hic porrò eſca fuit, quâ illecta mulier ex vitiorum colluvione in divinum rete ſe induit. Pervagatum per omnem Judæam Jeſu nomen, ut ejus pepulit aures, ſtatim hanc columbam quaſi objectâ frumenti areâ ad ſe pertraxit, dumque oblatam eſcam legeret, quem fama norat, offendit; præſentem complexa eſt; audierat Dominum poteſtate remittendi pecca- B ta præditum, nec ullum quantumvis facinoroſum ab ejus providentia deſtitui, continuò decrevit ad eum confugere ſui nimirùm haud ignara mali, & quantoperè ejus operâ indigeret. Vitia incautæ mulieri inſidias ſtruxerant, quumque data occaſione inde leonum adinſtar eam invaſiſſent, pluribus conciderant vulneribus, quibus ut mederetur, ad Chirurgum adproperato C curſu venit, venit, inquam, ad Jeſum dimittentem peccata, & undecumque allitas labes tergentem, perpetratorum ſcelerum veniam, acceptorum vulnerum medicinam poſtulatura; depravati namque mores, & hærentia animo vitia tanquam latrones immaniſſimi illam impoſitis plagis debilitaverant, ſuiſque nudatam veſtibus deſpicatiſſimis habuerant modis; ſed & congeminata vulnera, iterata videlicet peccata, D & inde contractæ labes, & conſcientiæ tormenta eam proſtraverant; quumque incerta animi hæreret, repentè cæleſti lumine illuſtrata divino amore ſuccenſa eſt, cœpitque in lacrymas diffluere, inde ſtatuit protinùs adire notum Medicorum principem, ſuorum ab illo ſcelerum veniam exoratura.

Unguentum in primis pretioſum ſe- E cum ferens Simonis domum intravit, Mundi Salvatorem rectà petens; nec verò eam a propoſito dimovere valuit aut præſentis multitudinis conſpectus, aut Simonis apprehenſa indignatio; objiciebatur quippe mulieris menti ſpectatiſſimum virum ægrè laturum notam meretricem ad ſanctiſſimum magnique nominis hoſpitem eo tempore accedere, proptereaque ſe ab illo repellendam. Atenimverò nec rubor, F nec timor, nec adſtantium oculi fortis fœminæ conſtantiam ullatenùs labefactare potuerunt, ſed quum ex vero perſuaſum haberet, vitioſum eſſe eum pudorem, qui ægrotum prohiberet, quo minùs ſuum Medico ſtatum detegeret, ſecretum ulcus aperuit, piæ & humilis confeſſionis thus cum lacrymis & ſingultibus incendit; nempe poſtquam ad cor rediit Sacerdotum miniſterium ſe ipsâ ſibi ſupplevit, in ſacra æde adolevit incenſum, &

& Pontificem verè summum, ut ipsi ignosceret, exoravit. Hoc scilicet debebatur præmium loquaci dolori, quo suam illa voluntatem declarabat gratiæ pacisque cupidam.

Accidit ad pedes, retrò tamen & a tergo, tacitaque lacrymis & singultibus caritate fartis rogabat accessum & veniam. Dominum sanctitatis & munditiæ, vitiorum errorumque depulsorem gemitibus & suspiriis appellabat, nutu ac signis in hunc ferè modum affata. Scio, Domine, planèque confiteor, tuam te ad nos adduxisse misericordiam, nec verò aliâ mente ad nos descendisse, quàm ut generi nostro vitam & gratiam impertires. Ergo age, tuamque clementiam experire in fœmina, quam cernis omni pravitate ac turpitudine fractam, omni ope destitutam, & undique afflictam, meoque exemplo homines desperatos ad spem bonam erigito. Enimverò quod mihi peccatum inflixit, vulnus lethale est, ut vix ulla salutis sit spes; quæcumque enim in homine perdito vitia deprehendi possunt, in me universa redundant; ideo opem imploro tuam Medicorum Princeps: miseram, supplicem exaudi, vulneraque medicare mea. Venator ille pessimus me illaqueavit, captamque servitio mancipavit suo, ejus, precor, contere laqueos, me in pristinam reponito libertatem; ardeo enimverò inexplicabili cupiditate tui famulatûs; Ovem, oro, tuam tuo adjungito gregi, neve patiaris a tua caula repulsam errare per avia: persecutoris mei audaciam infringito & rumpito, quos mihi tendit laqueos in meam perniciem nunquam otiosus: arborem vides, cui atra hyems flagitiorum plena meorum comam eripuit, tuâ, confido, aspirante gratiâ, velut novo ineunte vere novellis repullulascet frondibus.

Infelix anima, quam turpitudo & dedecus sævi tortores hucùsque vexarunt. Ergo age, fortissime gigas, in hanc descende arenam, & adversarios meos prosternito, impositumque mihi excutito jugum. Ager hucùsque fui flagitiis quasi vepribus horridus, spinosis ignem, quæso, supponito herbis. Diabolus suo me subdidit jugo, suæque addixit servituti; tu, qui meus es legitimus & verus herus, vindica me, tuisque restitue obsequiis. Notus ille plagiarius me procul a patrio solo abduxit, & inter salebras & abrupta diù cum illo versata sum. Nostræ salutis magne Reparator, annue mihi in tuam arcem ingressum, & in ea perfugium.

A B C D E F

[illegible]

A gium. Mundo me commisi, pelagus fuit, quod me repentè abreptam in scopulos impegit, salutis portum te esse novi, inter furentis maris procellas periclitantem in tutam stationem, obsecro, recipito.

Talia Mulier transacti temporis malefacta dolens, animo versabat, & hujusmodi fundebat preces: cui ille pius B & misericors Dominus refudit gratiam & peccatorum dimissionem. Illa suspiria mittebat & lacrymas, hic pacem & veniam remisit. Fœmina peccatrix Creditoris sui pedes depluentium oculorum rore lavit, capillis suis tersit, unguento linivit, ipsum, quo pectus flagrabat, amoris odore suavissimo inhalavit & venerata est; hujusmodi porrò thuris suffitus a peccatrice sua malefacta re- C tractante oblatus, Domino gratissimus fuit.

Quum animadvertisset plurimis se contaminatam flagitiis, omnique vitiorum labe coinquinatam, ad Dominum profugit, oravit, ut depravatos ejus mores corrigeret. Dominus ei speculum se præstitit, in quo, quum se illa inspexisset, deprehendit propriam deformitatem ac turpitudinem, & ulceribus D diffluentem undique saniem; intellexit enimverò se hactenùs cæcam fuisse, ut quæ plagas suas patentes & conspicuas minimè animadvertisset. Quum igitur infuso divinitùs lumine, vulnerum suorum medicinam didicisset, circumfusam caliginem fugiens, ad Solem venit, ad Jesum venit, ad clarissimam diem atra nox; ut vidit, ingemuit stu- E pens propriam, quam hactenùs ignoraverat, fœditatem.

Profectò nisi peccator, prætereunte peccato, ejus quoque memoriam præterire sineret, illud utique non iterùm admitteret, repugnante videlicet conscientiâ malefacti pœnitudine purgata. At ille perpetrati criminis oblitus, cæcus errat propriæ cæcitatis ignarus; quod enim commisit peccatum, ejus oculos F obcæcavit, eique lumen eripuit, nec admissi sceleris consequentia damna considerat. Da mihi animam memorem, sibi ubique præsentem, cogitabundam, huic sanè lethale crimen non dominabitur. Per illecebras blandientis voluptatis surrepit error, & animam occupat, perturbat, mentis aciem hebetat, ut præteritum lapsum non videat, & futurum non caveat, & sic tandem capitur & succumbit. Atqui & si illa crimen

men commissum è memoriâ excusserit, cujuslibet peccati sequacem pœnam effugere certè non potest, tristis & ægra in luctu jacet, angitur, laborat.

Quem nactus aditum Diabolus mortis auctor confestim irrumpit, & profundioribus adhuc tenebris illâ immergere satagit, quod si ei succedat fictis arte suâ integumentis involutam, porrigit statim peccati escam, invitat, hortatur, ut sumat proprii decoris & venustatis exitiale virus. Impuris exinde ac turbulentis cogitationibus puram & candidam ejus mentem quatere pergit, donec perturbata animi pace, velut quodam impetu impulsa, nec initâ, nec subductâ ratione scelus admittat, nec tamen sentiat; offusis namque tenebris oppressa, velut in vasta solitudine a rectâ in avia agitur, eo videlicet, quo conflatur nequitiæ nubes, vapore obtusa, cæca in plurima & flagitiosissima facinora labitur, quibus suomet arbitrio perditum se ipsam eat, exitii ignara sui, eâ, quâ tenetur, nocte prohibente rerum ante oculos positarum aspectum. At ubi illa nostræ salutis autrix gratia ei affulserit, tum verò recursantibus animo quæcumque nefaria ante commisit, hæret aliquantisper stupenti similis, animadvertens, se tot flagitiis coopertam; continuò præterita consilia damnat, nec modò peccata, sed etiam peccandi pericula vitare deliberat. Peccati naturam considerat, compertâque ejus turpitudine pavens ac tremens, quod unum reliquum esse videt, ad pœnitentiam piam reorum matrem profugere statuit. Ipsa seipsam miratur, stupet ad eam insaniam devenisse se, tum Diaboli astutiam intelligit & multos dolos, quibus capta ad omnem se projecerit nequitiam: angitur, laborat, luget, & lamentabili gemitu plorat, jam ad rectam redire cupit, & interruptum ad virtutem continuare cursum. Hæc porrò meditata profugit ad pœnitentiam, cujus unius ope sperat restituendum sibi extinctum suâ culpâ decorem. Insistit adhuc, & qualibus conflictetur malis rursùs expendit, iterùm recursant animo præterita facinora, inde renovat gemitus, & pectore ab imo amara suspiria, crebrosque gemitus ægra trahit. Amissæ gratiæ dolor compungit animum & lacrymari cogit. Quàm illa tunc tota displicuit sibi, quàm puduit! Idcircò anxia, solicita ad summam illam misericordiam procurrit, propriæ turpitudini tegumentum quæsitura.

Pulchrè Dominus, carissimi, beatos dixit, qui lugent, at si delinquens delicta sua non videt, ea utique lugere non potest;

[illegible]

[illegible]

poteſt ; lugeret autem, ſi illa expenderet, ſed & flebili ſublato clamore damnaret, ſi damna inde ſecutura perſpiceret. Propterea mulier illa peccatrix ploravit, quia ſe in multis peccaſſe cogitavit ; enimverò ubi immiſſa divinitùs lux oculis ejus affulſit, & commiſſa ſpectare dedit, in ſuſpiria & lacrymas ſtatim erupit. Divinus ille juſtitiæ Sol Jeſus omnium depulſor languorum ei illuxit, lucem, quam nuper offuſa caligo ademerat, protinùs reſtituit : dedit mentem, ut intelligeret, ſe teterrimâ nocte oppreſſam, quaſque terebat vias, ſalebras eſſe magnis expoſitas periculis.

Noctem exorta depulit lux, Chriſtum veram lucem, divinitùs infuſâ luce vidit, extemplò ejus amore exarſit, requiſivit acceſſum : emicuit ſplendor a ſummo Patre, quem nemo vidit unquam, mulieris oculis refudit lumen, mœrorem, triſtitiam, tenebras diſſipavit; hujus porrò lucis fulgore præmonſtrante viam, ad Chriſtum intendit iter. Mirificè enimverò delectabat ejus vultum intueri, indèque micantem haurire lucem. Acceſſit, vidit, inde ſimul intellexit vivam ſe eſſe Archetypi, quem ſpectabat, imaginem, ejuſque immenſæ gloriæ participem ob communicatam ſibi ab ipſo amplitudinem, ornatum ac dignitatem ; quamobrem ſibi pro viribus enitendum, ut quas adverſarius obtenderat tenebras, eæ omninò diſſiparentur.

Interim dum fœdum in modum ſe deformatam, & atro criminum ſuorum colore fuſcatam ſpeculatur, ante Medici oculos flere cœpit, ſcatentia tabo ulcera, & altè ſerpentia vulnera detexit, errata videlicet, & anteactæ vitæ peccata, argumentum rata ſatis clarum proprii languoris fore plorantes oculos, & frementia gemitibus viſcera, atque ad excitandam pii Medici commiſerationem aptiſſimum. Porrò ad declarandum qualem, quàmque acerbum dolorem ſibi afferret ætatis tranſactæ curſus, exoticum unguentum protulit, profuditque ſuper caput Medici coràm diſcumbentis, reddidit ille pro ſuaveolenti oleo inſanabilis morbi medicinam.

Accidit tùm illuſtre ſignum, ex quo omnes præſentes intelligerent, quanto mulieris pectus amore ferveret ; non enim eo, quod illud unguentum per ſe præ cæteris ſuaviſſimè oleret, ſed quia Dominici Corporis contactu affectum, eo, quem ab illo hauſerat, odore totum circumquaque triclinium afflavit. Nec porrò Myſterio vacat, quòd eodem unguento Chriſti quoque pedes mulier illivit, nempe docendi eramus

eramus nos in nostro Salvatore habere ubique, unde subsidium & salutem haurire queat quicumque ad eum accederet, & Filium Dei fateretur.

Benignissimus Dominus ipse se ad mulierem turpissimam inflexit, indulsitque, ut eadem non modò ad ejus pedes accideret, sed, uti petebat, piè complecteretur. Nec porrò reprehendit, quòd ejus caput contingere coram Discipulis suis ausa fuisset, quin etiam passus est, ut ipsius complexa pedes, quod facere statuerat, exequeretur, eos lacrymis lavaret, & deliniret unguento; adeo non fastidivit miseram & laborantem! suscepit plorantem, & oscula pedibus libantem, qui ante meretricantem & nefaria perpetrantem patientissimè toleraverat. Ubicumque illa ad eum accessit, etiam tangere non dubitavit; scilicet præsumta de ejus bonitate opinio & amor quælibet obstantia facilè eluctabantur, eamque trahebant, solicitabant, ut, remoto rubore, accederet; ideoque nec Pharisæum, nec Discipulos discumbentes reverita est; ideò autem accedentem Dominus non exclusit, quia alienum a se putavit, reum quemquam suorum criminum veniam demissè rogantem repellere. Quid quod consentaneum fuit divinum thesaurum aperiri fœminæ similis notæ, ut in ea extaret exemplum, quod animos aliorum ad imitandum decus sinceræ pœnitentiæ accenderet?

Balneum lacrymarum intravit palam; si enim publicum erubuisset, nec delictorum impetrasset gratiam. Unguentum & lacrymas ferens, ad sanctitatis auctorem venit, ut omnes nostri baptismatis ritus, eâ, quam parabat, lavatione complecteretur. Quas fudit, aquæ non multæ fuerunt, & modicum fuit, quod adjunxit aquis unguentum; in hac etiam parte sacri baptismatis Mysterium adumbravit; scilicet ille Pontificum Princeps de suo piacula expiavit, & debita dissolvit mulieris ex scelerum colluvione natæ: meretrix omnibus contaminata flagitiis, ad ejus accidit pedes, mysticam Spiritûs regenerationem petens; & quoniam ad hanc assequendam haud satis esse rebatur generationem per ordinarium baptismum conferendam, idcircò fundebat lacrymas, easque pretioso unguento inodorabat; caput pedibus Christi applicuit, lavit eos lacrymis, capillis tersit, peccatorum dimissionem poposcit, & a Domino velut inditam per baptismum sanctitatem consecuta est. Secundæ matris uterum intravit peccatrix, ut inde per extraordinariam regenera-

[Syriac text illegible]

A generationem formosior venustiorque renasceretur, ac talis utique ex illis aquis emersit sceleris pura & noxæ integra.

Quum itaque in triclinio discubuisset Dominus immensæ bonitatis pelagus, pedes ejus mulier apprehendit, baptismum ab eo suscepit, illitum animæ lutum detersit, e sacri fluminis alveo emicuit, hausto inde nitore, splendida; hunc scilicet ad tergendas ejus labes ille refuderat, B qui maris ad instar omnia bona ex sese sine decessione profundit. Quum enim ad cor rediisset, Domino se stitit, inde effluxere aquæ salutares, quarum aspersione mulier ægra convaluit. Ad illum ignem vivum, cujus calore omnia vivunt, corpore vestita corpus applicuit, idque applicitum flamma corripuit, inolescentes in eo vepres absumsit. In fornacem cari- C tatis impuram fœminam conjecit summus aurifex, conflavit & purgavit, purum aurum inde recepit, etiam auro illa splendidior evasit destinatum videlicet regis cubiculo ornamentum.

Cum Discipulis & Pharisæo discubuerat Dominus, cibum appetenti naturæ satisfacere velle videbatur, reipsa caritatis negotium agebat; peccatricem idcirco movit, ut ad ipsum veniret, pro pane mulie- D ris expiationem esuriebat, hanc ille sitiebat: ea est illius erga nos pietas, ea est de nostra salute cura: porrò in eo, quod Simon instruxerat, epulo, quod optaverat, retulit. Enimverò etsi hospites, qui Dominum ad convivium vocaverant, ex opinione persuasi crederent eum esse Prophetam, eundem esse Filium Dei penitus ignorabant; ipse tamen, eâ, quâ dimit- E tendi peccata potestate utebatur, cujus Parentis esset Filius satis apertè declaravit.

Interim observa Domino benignissimo & ad condonanda peccata mirùm quàm propenso longè jucundiora accidisse meretricis suspiria, quam epulas a Simone magnificè paratas, & multo gratiores fuisse lacrymas peccata sua dolentis præ quavis exotica potione, & quolibet sum- F tuoso opsonio, quæ Pharisæus in splendido convivio curare potuisset. Sedenimverò quibusnam ille dapibus ornare poterat epulum, quod ei instruebatur, qui suo numine Mundum alit utrumque, & quod quid est hoc, creat, animat & gubernat? dapes sibi appositas convivæ spectabant, earum explorabant saporem, copiam, conditionem laudabant; at ista Dominus dissimulans, quasi non videret, ad gemitus meretricis sua malefacta de-

flentis attendebat animum, dimissionemque suorum peccatorum deprecantem auscultabat: spumantes illi pateras cogitabant, respectabant pocillatorem, meracum bibere cupiebant, ex quo & ipsi hilaritatem conciperent, & sodalibus regererent.

Alius Domino sensus erat, quem longè magis delectabat haurire voces sinceræ pœnitentiæ indices, quas conversa mulier modulabatur. Illos tenebat convivium a Simone sumtuosa profusione ornatum, Domino magis placebat resipiscentes peccatores excipere, tales videre gestiebat ipsius gratiam ambientes; idcircò nec mirùm si hujus mulieris suspiria ei fuerint gratissima. Cum illis Dominus prandebat, nec ideo oculos ab ejus fletu, aut aures ab ejus precibus avocabat; propterea namque ei aditum non negavit, quia miserorum obsecrationibus mirificè oblectatur. Illam porrò, quâ erga meretricem Dominus utebatur, comitatem aspiciens, qui ei assidebat Simon, factum, quod non probabat, ignorantiæ attribuit; ignorantem scilicet credidit, qui res omnes inspicit, suo lumine mare, terram ac Cælum contuetur, & intimè novit qualis quisque sit, quid agat, quid cogitet; Pharisæus rudem æquè ac reliquos simplices homines deputavit, quòd se facilem ac benignum impudicæ mulieri impertiret: hanc videlicet notam impegit Simon domi suæ etiam peregrinus Domino omnibus præsenti rebus, secumque murmurabat plurima eidem ignota latere; sic Mysterii ignarus secum statuebat de illius scientia, cujus natura est omnia scire.

Luc. 7. 39. *Si hic esset Propheta*, ajebat, *sciret utique, qualis est mulier, quæ tangit eum*; nempè id noverat ipse Simon: quòd ergo talem admisisset, hoc ab eo ex inscitia factum existimavit; nec verò prudentem istud fuisse permissurum, imò contra acriter increpitam illam abacturum fuisse, ne scilicet impuræ manus corpus Prophetæ purum contaminarent, eò porrò minus illum passurum fuisse, ut eadem osculis pedes ejus fatigaret, si modò intellexisset, quàm multa, quàm turpia, quàm nefaria infamis fœmina perpetrasset: næ ego amens sim (sic ipse secum mussitabat,) qui oculis exposita meis non videam, aut ex his, quæ video, non intelligam, hunc non esse Prophetam, quem mihi ipse fingebam: atqui, o Pharisæe, mulierem utique ille repellere non debuit, quam ante causæ cognitionem damnare non licuit. Sic ille dubitabat, hæsitabat, revocabatque se interdum,

[Syriac text not transcribed]

A terdum, iisque, quæ imbecilliora erant, assentiebatur, ut tandem Prophetarum lumen prophetico lumine carere colligeret.

Sedenimverò nec tum Pharisæus fidem integram habuit, quando clariore fidei luce illustratus videri potuit, ex parte fidelis in partes dissecuit Christi nuncupationem; quem enim dixit Prophetam, Filium Dei etiam dicere debuit; sed & B hanc ipsam appellationem visus est mox retractasse, quando dubitavit, utrùm idem arcana cognosceret. Initio itaque de hac Domini prærogativa anceps secum ipse disceptabat; in fine, quam ex parte credebat, ex toto negavit. Scilicet quando Christum diligebat ac observabat, Prophetam etiam nuncupabat, etsi minùs rectè; nam Dominum Prophetarum appel- C lare debebat, at ubi refrixit amor, & observantia imminuta est, labasse fidem mirùm non fuit. Sed nec illum quidem antè Prophetam vocasset, si ab initio Filium Dei credidisset, & Dominum Prophetarum. Deerat nimirum fundamentum, quod tantam sustineret molem, infimum erat, quod Simon jecerat, ut eò assurgeret, ubi Dominum veri Dei verum Filium intelligeret & crederet; idcircò levi D impulsu prostratus, illa secum incertus volutabat: Prophetam hunc esse rebar, falsus sum; nam utique Propheta dicendus non fuit, quem, ut video, arcana latent.

Talia Pharisæus secum versabat, quæ ut dilueret, Dominus subjectam parabolam sapienter præmisit: *Simon*, ait, *habeo tibi aliquid dicere*: tu quid fieri expediat, (v. 40.) E auditâ causâ, pro tua æquitate constitue. Hoc scilicet Pastor bonus facili & suavi verborum circuitu sibi cum Simone agendum putavit, ne videlicet errantem Pharisæum requirens, præsentem peccatricem amitteret; statuit ita primùm injectam Simoni dimovere suspicionem, rationes refellendo, quibus adductus in eum errorem impegerat. Consentaneum videlicet erat, ut resipiscente peccatrice, desineret F Pharisæus desipere. *At ille ait*, *Magister dic*. Ea erat Domini mansuetudo & suavitas, ut non invitus, sed libens & suamet sponte Simon sensim duceretur ad damnandam proprio judicio præposteram, quam de ipso susceperat, opinionem. Sic ille sapiens scrutator cordium Pharisæum judicem statuebat, ut ipse suam rescinderet sententiam, ausus ambigere de illius sapientia, cui ex ingenua sua virtute competit nihil ignorare. Parabolam itaque illi

illi proposuit, ex qua verum, quod ignorabat, edisceret, & suspicionem, quam præsumserat, deponeret.

Duo, inquit, *debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta, non habentibus illis, unde redderent, donavit utrisque*, syngrapham scidit, ut gratiam remissionis ratam firmamque faceret. Tum, uter illorum, subdidit, creditorem magis diligere debet? Æstimo, respondit Simon, ille primus, is enim debet amare magis, & honorare creditorem, cujus debitum alterius debito comparatum, majus fuit; etenim a beneficii magnitudine mensura amoris erga auctorem petenda est, cui ergo majus debitum donatum est, creditori etiam majorem honorem deferre debet, & ampliorem habere gratiam. De causa, vides, non cognita sententiam dicere rogatur Simon: verborum Christi scopum ille profectò non animadvertit, sed nec quid ipse judicasset, intellexit. Actorem ante Simon se ipse fecerat contra Filium Dei, nunc ab eodem Judex factus triumphabat, nec putabat se contra se Judicem interpellari. Causâ cecidit in eodem foro, in quo Judex ipse sedebat, didicitque a seipso, quid pro æquitate statuendum esset. Condemnatus est propriâ judex sententiâ, quam quidem sustulerat æquissimam, ratus in alium quempiam esse ferendam: quem itaque Dominus judicem fecerat, reus ipse erat, a se ipso proinde damnatus est judex idem & reus. Pulchrè sua confessione indutus, coactus est Simon suam fateri ignorantiam, qui ante Domini sapientiæ detraxerat, arbitratus, se scire, quod scientem omnia lateret. Forum quasi actor intravit, reus deprehensus est, nec talem se esse sensit; contra se sententiam dixit, contra alium dixisse se credidit.

Rectè quidem Simon judicavit, ignoravit tamen, contra quem judicaret, ut propriâ sententiâ jugulatus, disceret debitam summo secretorum Inspectori reverentiam. Duo aderant Rei, Pharisæus & fœmina peccatrix, magno fœneratori debitores erant ambo, debitum alterius quingentorum denariorum summam compleverat, alterius quinquaginta non excesserat. Judex constitutus Simon Rei personam repentè induit; nempe divinus ille arcanorum interpres, & explorator cordium, propositâ parabolâ Pharisæum inno-

Luc. 7. 41.

[illegible]

[illegible]

A innocentem non esse demonstravit. Sic olim Nathan Propheta Davidem sensim induxit, ut se suomet judicio imprudens condemnaret; uti ex ore suo judicatus est Simon, sic suamet sententia Davidem coarguit; ambo rei in propria causa fuere interpellati judices; ambo contra se pronunciarunt. Judicavit Propheta contra Regem; contra Pharisæum Dominus; B ex iis, quæ a Judice rogatus, uterque respondit, deprehensus est reus uterque. Peccatrix Domini pedes complexa est, quod quum Pharisæus improbaret, Dominus id rectè factum affirmavit, ostenditque mulierem Simoni caritatis laude non una in parte esse præferendam, simul inductæ parabolæ sensum ei exposuit, ex C quo intelligeret, latam sententiam non alium, sed ipsum condemnasse latorem. Mulieris causam defendit, caritatem magnopere laudavit; docere nimirùm volebat, quantò mulier Pharisæo, a quo fuerat invitatus, sapientiâ præstaret.

Simon, ait, *intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem pedes meos lacrymis lavit*, capillos pro D linteo, quo eos tergeret, adhibuit. *Oleo caput meum non unxisti*; at hoc neglexisse te, certè ex officio non fuit; hæc autem unguento in primis suavi & regio peramanter oblivit. *Osculum mihi non dedisti*, quo de more tuam in me declarares benevolentiam, simul aliis exemplo prodesses, & ad credendum eos incitares; istuc utique non sine causa a me per- E mitti potuisse; quum autem hæc a te prætermissa fuerint, eademque contra cumulatissimè præstiterit mulier tanto te inferior & imbecillior, adeò ut hucusque *non cessaverit osculari pedes meos*, pace quod dicam tuâ, quadantenùs sapientia tua ab hac muliere victa est; hæc videlicet, *quoniam dilexit multum*, multa præstitit, tu quid istis opponis tandem, si opsonium excipias? Obsecrationes & humiles preces F obtulit, profudit unguentum & lacrymas. Scilicet vinum tu dedisti, vappa fuit, amorem illa dedit, amoris testes produxit singultus, & oscula pedibus meis impressa. Opsonia diversa & variis condita saporibus mihi exhibuisti, ut nimirùm ostenderes, quanti me faceres, & quàm impensè amares: ista sinceræ pœnitentiæ indices, piique doloris argumenta lacrymas, suspiria protulit, nec dubium, quin ista simplici prandio antehabenda sint, & luculentiores perfectæ

Luc. 7.44. v. 46. v. 45. v. 47.

fectæ caritatis sint testes. *Et quoniam dilexit multùm, ejus peccata quantumvis multa dimissa sunt.*

Quam te dicam, venerabilis mulier, dum video te mutatam ab illa, quæ ante fuisti; quàm nunc pulchra es, quàm decora! Ornatissima Mater, quæ etsi ante concepisti peccatum & iniquitatem peperisti, mox a superveniente gratiâ, hanc, quâ mirificè nites, puritatem adepta es. Hæccine est illa, Auditores, meretrix, quæ magnam vitæ partem in prostibulo trivit? quî factum dicamus, ut vitæ sanctitate & virtutis studio Apostolorum & Evangelistarum gloriam in fine adæquaverit? Peccatrix illa fuit multis contaminata flagitiis, suis propter suam caritatem a Jesu eluta sordibus, ejusdem gratiæ hyssopo omni detersâ labe, candorem induit admirabilem. Fons illa fuit sulphuream redolens mephitim, fundensque rivos scelere spumantes, immensa Christi pietas vitium omne sustulit, & sanavit aquas. Fœmina procax ad omne projecta scelus, cuilibet, ut casus ferebat, se prostituere solebat, Christus Aquila omnipotens in candidam columbam transmutavit: quæ nuper erat scopulus & lapis offensionis multorum naufragio, & ruina infamis, modò Apostolorum ædificio inserta aureâ luce rutilat: fera fuit, Pastorum Principem petebat, ut vidit, in ovem conversa est, meruitque sacro adoptari gregi: quæ ante puram castamque vitam fugerat, jacueratque cooperta vitiis, a Christo nuper exculta, formosarum antistes evasit: mulieris semper eò contendere suetæ, quò furor rapuit, en hodie laudes recinit Evangelium, suavissimum utique piorum auribus melos. Ille scilicet, cujus nutu è nihilo crevit quod quid est, meretricis mentem voluntatemque mutavit, & ad pœnitentiam convertit; ad hanc quippe venire necesse est omnes, quos deliquisse pudet, quique criminum suorum expiationem desiderant.

At vos, carissimi, in hac, quam cernitis, fœmina peccatis & vitiis deformata, humanam agnoscite naturam, nil habet ista illâ minus; quippe quæ eodem modo Jesu Christi Filii Dei gratiâ, illitum sibi lutum deterserit, eamque pulchritudinem fuerit adepta, quâ vix altera major; simul intelligite felicis mulieris lacrymas, hisque admistum unguentum nostri nobis baptismi vim & ordinem adumbrasse. Christi

[illegible]

A Christi discumbentis capiti unguentum infudit, odor inde spirans triclinium complevit, convivas rapuit, mox de pretio disceptari cœptum est, quod quidem nonnulli supra trecentos denarios extollebant, alii infra ducentos ponebant, utrique usum improbabant, *ut quid*, ajebant, *perditio hæc*. Judas in primis homo, cujus fidem, probitatem mentemque avaritia subverterat, & B unguenti pretium in proprios usus avertere cogitabat, istud consultò amplificabat, suæ avaritiæ consulebat, ideo pretiosum esse volebat, ut meritò ipsi attribuenda sit illa de perdito unguento querimonia.

Atenim unde manabat talis unguento fragrantia, quam tantoperè laudarunt Apostoli, atque discumbentes convivæ, C ut perditum quererentur? Quid enim? num aliæ odoratæ species ei admistæ ejusdem odorem acuebant, eâque admirabili fragrantiâ imbuerant? haudquaquam; sed a contactu arboris vitæ eam unguentum suavitatem & vim contraxerat? ex quo enim Jesum tetigit, & in Jesum mulier credidit, liquor ille eum concepit odorem acerrimum & jucundissimum, qui præsentes convivas tan- D toperè commovit. Unxit meretrix Dominum suavissimi liquoris pelagus, inde in oleum transiit odor ille peregrinus a Corpore Christi transfusus. Unxit illa caput omnis sanctitatis, inde profluxit mirabilis illa fragrantia. Beata mulier divino amore succensa, eâdem flammâ repertorem odoramentorum accenderat, optaveratque, ut eo odore unguentum E imbueret, qui Apostolos sic oblectaret, ut etiam in admirationem raperet. Esajas divinorum arcanorum verus interpres appellavit Christum ortam *de terra sitiente radicem*, utpotè sine semine de casta Virgine Maria natum; hanc porrò radicem quum peccatricis unguentum contigisset, statim ab ea odorem illum exoticum hausit: Filius enim Virginis de terra sitiente natus, ipse li- F quorem pedibus suis superfusum eo odore perfudit; nam etsi ille suaviter ex se oleret, ex recenti tamen usu longè jucundiorem imbibit odorem, meritò a recumbentibus laudatum, & omnibus odoramentis prælatum; quod quidem ex pretio patuit, quo illud unguentum taxarunt ducentorum, imò trecentorum denariorum.

Es. 53.

[illegible]

At Judas Magistri proditor sui, homo improbus, exaggerandæque pecuniæ cupidus, lucri occasionem eo facto sibi præreptam maximè doluit. Et *ad quid*, dixit, *perditio hæc? cur istud venumdatum non est multò, & datum pauperibus?* quo animo Judas talia diceret, Christus ignorare non potuit, quamobrem ejus nequitiam perstringens: quod videtis, Discipuli, ait, a pia muliere mihi præstitum officium, nec exiguum id est, nec inutile; diem videlicet, quo Cruci affigendus sum, prævenire studuit. Ego quidem suspensus, a vobis haudquaquam talem honorem spero; ad diem ergo sepulturæ meæ hoc peregrinum unguentum paratum est ab hac religiosa fœmina, quæ si unctionem anticipavit, id porrò fecit, quia simile officium mihi nemo vestrûm eo tempore præstabit; omnes enim fugietis. *Bonum opus operata est in me*, nec benè factum sua laude fraudabitur. *Amen amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto Mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus.*

Jo. 12. 5. — *Matth. 26. 11.*

Sustulit Dominus sua caritate nostros languores, & morbos sanavit corporum atque animorum. Simonem leprosum mundavit, expiavit fœminam peccatricem, Simonem scabie liberavit, meretricem a suis noxis absolvit: occultum mulieris malum curavit, manifestam Simonis lepram solvit. Fons ille inexhaustus gratiarum eluit labes, & peccata dimisit omnium, quibus illa displicuerunt. Magnus & bonus Medicus, eâ, quâ pollebat, potestate condonandi peccata, æquissimo jure sua dona divisit, & meretrici quidem pro merito quingentorum denariorum summam condonavit, Simoni quinquaginta. Et verò quum divinæ naturæ maximè propria sit bonitas & benefica voluntas, Christus verus Deus peccatores impensè dilexit, & ipsis ubique consuluit, mulieris proinde delictorum gratiam fecit, curavit Pharisæi morbum despicatissimum, & a lege despectum.

Atqui

Atqui debitores profectò ingrati non fuerunt, sed pro accepta debitorum remissione, maximam, quam potuere, gratiam retulerunt, amorem reposuerunt pro recepta debitorum syngrapha. Pharisæus siquidem, qui manifesto miraculo leprâ mundatus fuit, Dominum palam ad epulas invitatum honore omnium oculis patente & conspicuo affecit, post etiam Filium Dei confessus est & prædicavit. Peccatrix, quæ delictorum gratiam accepit, caritatem reddidit, quam quia alio signo explicare non potuit, pedes Domini complexa, lacrymis & gemitibus declaravit. Sic ille, in quo confidet velut in sua sede beneficentia, multa & magna tribuit utrique, adeo quod ambo optarunt, id omne tulerunt.

Vos itaque, quos deliquisse pœnitet, oblatam delictorum remissionem negligere utique non debetis. Nunquam clausa Dei benignitas in homines fuit, suam misericordiam suppliciter implorantibus nunquam negavit. Quicumque reum se esse novit, & animo, seu corpore ægrum, illius se pedibus advolvat, ostium aditum petenti aperiet, eumque sua ægritudine relevabit. Meretricis exemplum vos imitari non pigeat, votisque & lacrymis pacem ejus poscite, dabit utique, confidite: illius pulsate fores, cujus natura est misereri, & ad postes ostii ejus assiduè vigilate, suppliciter ad pedes abjecti ejus misericordiam captate, quam ille sincerè flagitantibus recusare non solet: limina propitiatorii vestris perfundite fletibus; in propitiatorio namque moratur Jesus, qui se a meretrice tangi passus est, & universam Adæ stirpem laborantem reficere se velle declaravit. Quisquis ergo de peccatorum suorum dimissione solicitus est, januam ejus largo fletu rigare festinet, non est, cur de gratia desperet. Quisquis ictum sensit Draconis, qui parentem nostri generis appetiit, & perdidit, hunc Medicum supplex adire statuat, pius & misericors est, ægrum non fastidiet, nec sine curatione remittet. Quisquis sua voluntate incidit in flagitiorum atque scelerum foveam, tremens, sed & amans huc gradum adproperet, & bonum Dominum precetur, illius enim est collapsos erigere, & perditorum hominum saluti prospicere.

Sita est in tua potestate salus, tibique libera est optio eligendi vitam, vel interitum; vide, ut rebus tuis tempestivè provideas, antequam elabatur tempus pœnitentiæ, & misericordiæ fores claudantur.

Concipe tibi preces, quales adhibuit foemina peccatrix, & supplex illum obtestare & obsecra; confide, miserum, laborantem sublevabit, ac de tua salute gaudebit; id enim illius ingenium est, vitæ nostræ imbecillitatem erigere, instruere inopiam, & lenire acerbitates. Nullum misericordiæ genus ab illo abest, nec momentum ejus beneficiis transcurrit otiosum. Plange peccata tua, sicut illa sua, & simili medicinâ curatus, sanus redibis. Deum diligito, quantùm illa dilexit, & quam illa accepit gratiam feres ab illo summo Bono, cui proinde malum nostrum placere non potest. Jesus, qui fuit, & est, & erit in ævum, cujusque potestas & imperium nullum sunt habitura finem, misericordiæ januam omnibus cum fide accedentibus semper patere jubet. Hinc disce & lauda illius bonitatem, cujus liberalitas nullis est conclusa terminis; pelagus nimirum est immensum, & cumulatissimus thesaurus sine decessione semper exundans. Sit ipsi Unigenito, ejusque Genitori, & sancto Spiritui gloria sempiterna. Te precor, quæsoque divina Trinitas supplices servos tuos culpâ vacare jube.

PARAENESIS V.

Si pœnitentiam egerit Peccator unus, omnes lætantur Angeli, credite; inspiratæ divinitùs literæ istuc testantur; quicumque mei similes hæc auditis, etiam atque etiam animis illa vestris infigite: agitedum, facessite moras, trepidique pœnitentiam, Angelorum gaudium, effuso sinu excipite. Tu, Domine, precor, nos tales efficias, ex quorum conversione Angelis lætitia, laus & gloria Majestati tuæ accedat. O me porrò miserum, cui in adventu æquissimi Judicis vix ulla salutis restat spes; nec enim ille ad excolendum agrum suum me adegit, meo ipse arbitrio & voluntate pactâ mercede diurni laboris operam obligavi meam, sed quæ mea fuit vecordia & segnities, heu præstare neglexi, ex ore meo ille me redarguet reum, meâ quippe sponte dedi nomen, & inter ejus ipse me scripsi mercenarios. Quisquis hominum usquam peccavit, subductisque conscientiæ suæ rationibus deprehendit se esse ex delicto debitorem, qualem me esse fateor, huc ad me festinet, ut luctum jungamus ambo & lacrymas. Heu quàm durum, dicamus, Diabole, nobis imposuisti jugum! O nos saxa & stipites, quibus quum integra nobis esset eligendi

A gendi poteftas, iftud fubire præoptavimus. Domine Jefu, qui jugum fuave, tibi nimirum fimile, mihi præfentas, iftud libenti animo portare tribue, tu enim ad ipfum vocafti me.

Hei mihi, ad quem pertinere fcio illud Prophetæ oraculum. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juftitias meas?* & meas evolvis fcripturas, *tu verò odiſti diſciplinam*. Obfecro, Domine, tuæ legis B amore & peccati odio cor meum imbue, præfta mihi fecurum fub tua tutela perfugium. O fummum verè bonum, ex quo omnia fluxere bona, quique noftræ beatitudinis caput es & fpes, eripe me ab hofte omnium architecto malorum, ejufque nequitiam compefcito, ne quod contra me moliatur malum: Tu, qui ad vineam tuam licet immerentem vocafti, tu præ- C fta me dignum, qui in ejus culturâ meos omnes exigam dies, nec committas, ut ille fibi meam avertat operam: prohibe me a via illa fpatiofa, quam cavere nos juffifti, compelle ingredi, quam a te didicimus, anguftam portam; meque demum ad falutis portum appellito, futurum illic mifericordiæ & clementiæ tuæ perpetuum teftimonium, dirige me in femitam mandatorum tuorum, & a via interitûs abdu- D cito me.

Ps. 49.16. 17.

Quicumque doloris fenfum adhuc retines, ehodum cafum fleto meum, qui quum a Deo in filium adoptatus fuiffem, eâ, quâ præditus eram, arbitrii poteftate ad fervorum conditionem ipfe me demifi, & utinam fervus gnavus & utilis fuiffem! Ne me, precor, Here clementiffime, in inutilium fervorum redigas ordi- E nem, neque me deferas: averte malum, neve permittas, ut os meum, quod fcriptis, Spiritu tuo dictante, hymnis te in præfenti laudat, in futuro fæculo pœnarum acerbitate furens rabidos contra te fuftollat clamores: nam etfi malis factis meis a te longè abii, bonis verbis tuam potentiam laudavit; ne tua, precor, juftitia ad acta mea refpiciat, ad mea verba potiùs fuos intendat oculos mifericordia tua. F Abundantia pietatis tuæ, quæ te è finu fummi Patris ad contubernium hominum mortalium inclinavit, meam peroret caufam in magno die, in quo peremtoria de rebus noftris feretur fententia, mihique fic faveat, ut horrendum illud judicium mihi aliàs fæpe intentatum effugiam, & pro factâ mihi omnium præteritæ vitæ delictorum gratiâ, tuas celebrare laudes merear, qui reos abfolvis, & impios juftificas.

Interim

Interim subit admirari invictam Dei patientiam, qui me in multis peccantem tandiù sustinuit, nec adeo minùs audaciam accusare meam, qui, nullo morante loro, in omne excurri nefas. Me infelicem, quò me meus rapuit furor! Tuam, Domine, contine justitiam, ne in me severè pro meo merito animadvertat. O miram tuam erga me clementiam! o inauditam meam adversùs te proterviam! o quantùm illa mihi indulsit! o quantum ista tibi iniqua fuit! Ne me, precor, pro merito meo tua condemnet æquitas; nullam quippe noxam dissimulat, quin in codicem continuò referat. Tua, Fili clementissimi Patris, bonitas meis clarior fiet malis, si quemadmodum me miserum egomet feci perditum, mortuum, & datam vermibus prædam, sic tu incolumem & integrum restituas me, daturum utique Angelis magnum lætitiæ argumentum; immundis contra spiritibus acerbi doloris & luctûs materiam, unde mihi liceat in adventu tuo exultare & dicere: laus & gloria ei, qui nos post lapsum erexit, & suos sustulit in humeros.

Vitulus saginatus, pia victima pro peccatoribus cæsa, ne me miserum de illorum censu deleas, quos tuo sanguine redemisti. Corpus tuum manducavi, potavi Sanguinem tuum, tuâque me morte revicturum credidi. Domine, qui nece tua nostrum interfectorem necasti, peccatum excidito; hujus nempe excidium mihi causa salutis fiet. Tuum in terras descensum nulli solicitarunt integri & benè valentes, ad sanandos ægros abundantia pietatis tuæ te inclinavit; & quoniam me talibus junxere mea vulnera atro scatentia tabo, medicinam a te deposco, languores, oro, curato meos; jube me in illorum, quos sanasti, choro laudis tibi hymnos cantare. Et pacem quidem, quam peto, tibi dare operosum non est, porrò nisi id fiat, inevitabilis instat ecce mihi occulta mors, si tua quidem misericordia laboranti succurrere abstiterit. Domine, cui nostra semper optatissima fuit salus, exitiumque nunquam non doluit, meum averte casum, & vivam tibi. Tua me sibi vindicet clementia, & latentem luem ex præteritæ vitæ peccatis contractam medeatur; omnium scilicet expulsor morborum es, nec alius præter te peccata dimittit. Tua pietas meas detergat labes, depellat vitia, hyssopus tua meas misericorditer eluat sordes, & nive candidior fiam; salutis beneficium beneficentiæ tuæ acceptum referam, & prædicabo. Jugum

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible] *

[illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible] *

[illegible]

Jugum tuum mea ego voluntate ſuſcepi, non tu me reluctantem illud ſubire coëgiſti, egomet ſponte mea ad excolendum agrum tuum me obligavi. Sed heu ſemen a te acceptum in ſpem uberrimæ meſſis datum ſeminare neglexi, flocci pendens fructum inde proventurum; meam nunc expergefactus damno ſocordiam, abjectum tu me ac perditum ne, precor, deſtituas. Crux ſancta, quæ ſtas velut alta turris, & animas ad Cælum vocas & provehis, excelſum demitte caput, ut per te mea mens aſcendat, & Unigenitum ſedentem ad dexteram Regis Cælorum aſpiciat. Tum verò ſublimi locatus in arce, illius laudes celebrabo, qui ſynagogam repudiavit, & Eccleſiam electam ſibi ſponſam copulavit.

[illegible]

PARAENESIS VI.

[illegible]

QUî fiat, ut de meâ, Domine, vecordiâ non mirer, quum videam mala mea eò latiùs manare, quò longiùs mea in hac vita protrahitur mora? ſcilicet inepto negotiatori ſimilem me feci, qui datâ ſorte contentus, fœnebrem ex ea quæſtum facere neglexit, donec ad extremam redactus inopiam, falſâ ſe ſpe deceptum animadvertit. Tu, Domine, filiorum dexteræ vota multiplica, tuæque obſequens bonitati nos ab hœdorum ad tuam ſiniſtram locandorum turmâ ſecerne. Quidni verò obſtupeſcam vitæ meæ rationes ſubducens? quandoquidem nec ſecundæ res, nec adverſæ me a peccandi conſuetudine abducunt, quin ſcelera ſceleribus cumulem? quodque magis doleo, pœnitentiæ remedia hactenùs contemſi, etſi nulla effluat dies, in qua mihi ea adhibere non cupiam; de vanâ interim ſpe pendeo, hanc reſpicio, dum ſenſim deficio. O quales miſeri induimus mores, ut rerum externâ ſpecie capti, in eam venerimus ſtultitiam, ut nec manifeſto experimento perſpectâ earum vanitate ſapere diſcamus! Mirùm ſanè hominem tot tantiſque difficultatibus afflictum tam altè de ſe ſentire, adeo ſeſe effert & ſuperbit vivus, qui mortuus pulvis & nihil eſt. Anceps votis diſtrahor contrariis; vivere namque mihi dulce eſt, nec minùs optabile mori, ſique mortem timeo, peccare certè non deſino. Tua, Domine, mihi, dum hìc maneo, ſuccurrat gratia; nam hinc ante impetratam delictorum veniam emigrare vehementer exhorreo, tua mihi beni-

benignitas præſtet hìc, juſtitiâ duce, verum a falſo diſcernere, & illic, miſericordiâ comite, vitâ beatâ frui.

De luto compegiſti me, tua tibi id voluntas perſuaſit; ſed parce, quæſo, ne iterùm te mea ſcelera compellant, tartaro me meâ voluntate addictum, deſerere. Reum me eſſe ſcio, meque ipſe condemno, miſer ſum, nec ideò ſalutem meam deſpero, miſericors es, & ideò nec tuam deſpero gratiam. Quod ſi tuam intrare domum prohibear, ad januam excubabo intrepidus, caritate tuâ omnem pellente metum. Pie Domine, qui ut tuum erga nos amorem teſtareris, pro nobis mortem dignatus es oppetere, miſericordiæ tuæ fores introitum petenti mihi reſerari jube. Placabilem ille ſe præbet confitenti reo, quia ſemper miſericordiâ plenus eſt, & peccata dimittere nunquam non optatiſſimum illi fuit. Suſtulit olim te propter me lignum in Calvario monte, ſuſtollat, oro, me tua mors ad Patrem tuum, quibus illuc evehar, alas illa miniſtrabit, ſpero.

Hìc colligendæ ſunt opes, quas illuc aſportare quis cogitat? ego verò a pueritia mea in turpi otio & languore dies trivi meos. Reſurrectionis ſpes me recreat, terret inevitabilis judicii ſeveritas; audivi quippe, Deum in igne judicaturum. Adeſto, ſerve Dei, peccatorum meorum tibi ecce revolvo telam; patronum te apud Dominum tuum in mea cauſa cupio: ſupplex te, Beate, precor, ut malis meis provideas medicinam precibus tuis: idque mihi petere honeſtum eſt, ſed & neceſſarium, poſtquam illa Medicorum artem vicerunt. Memento mei, quem in hunc carcerem mea maleficia compegere, teque meam patrocinante cauſam, confido me omni abſolvendum noxâ: neve, obſecro, talem te erga me præbeas, qualem expertus fuit Joſeph illum, qui accepti beneficii immemor auctorem in vinculis dereliquit. Tua in me caritas eum, qui me vehementer angit, diſſipet metum. Tuque, Domine Deus meus, qui Sanctorum ſuffragationes magni facis, hujus ſervi tui precibus exoratus, meorum mihi delictorum veniam hìc indulge, ut illic ſummum aſſequar bonum. En ſuffragationem Sanctorum tua tenet pietas; patrono meo pro me orante, peccata jam dimitte mea.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

PA- [illegible]

[illegible]

PARAENESIS VII.

Heus tu, infelix Anima, multis contaminata flagitiis, vide, ut te a lapsu releves, impendentium malorum præscia time, & commissorum memor ad pœnitentiam profugito, ut sempiternum exitium effugias: lucernam accende tuam; mores videlicet indue probos, oleum para, benè vivendi disciplinam persequere, ut facta Sponsi comes, in cæleste triclinium succedas. Cave, ne ad illud convivium accessura, tuam extinguas lucernam; tenebras siquidem illi, quorum consortium petis, imprimis oderunt: nitidam induito vestem ad Sponsum itura, tuum præstolantem adventum. Clausis ille foribus suis ministrat Sanctis, nec si quis post accedat & pulset, admittitur.

Perpetuum tibi imminet incendium, Judicis pulsa fores, hunc obsecra, ut parcat, & meritis te subducat flammis; ecce patent fores, ingressum ille offert & solicitat: vocanti obsequere, pertimesce iratum, & ad paternam redito domum. Filia lucis es, tenebras fuge, impudens ille, qui ausus fuit in triclinium Sanctorum irrumpere, sordidâ amictus veste, inde repulsus in tenebricosum carcerem detrusus fuit, ne videlicet indigni hospitis societas dignitatem detereret discumbentium. Nec porrò difficilis operæ est luto oblitas eluere vestes, quum id præstare valeant, quæ ex oculis manant, lacrymæ, & quæ ex corde prodeunt puræ preces. Disce orationem peccatoribus datam fuisse matrem, suis illi lacrymis ab illa curantur, & inde suis malis medicinam parant. Artem medendi callet oratio, huic insistite, Peccatores; næ ille plagam amat, qui ei medicinam adhibere non curat: suis ille peccatis ignem alit, qui, dum licet succensum rogum suis sopire lacrymis, istuc detrectat: precare veniam, miser, & pœnitentiâ damnationem prævertito; igneum illud fretum manantium lacrymarum guttis extinguere tibi concessum est, quin ergo remedium tibi obvium præoccupas, ut flammas effugias?

Facerem enimverò, nisi exaggerata meum obstrueret os iniquitas mea, nec ignorarem execrabilem esse orationem peccatoris; vereor, ne Judicem mea hactenùs dissimulantem scelera, ac velut causæ indormientem meæ, meis excitem vocibus, & malum, quod a me deprecari contendo, ipse mihi accersam, Judice reum ad pœnam reposcente etiam suppli-

cantem; quamobrem etſi ſæpè me mea conſcientia ad orandum ſolicitet, nil obtinet; nec enim metum pudoremque, quo me mea peccata ſuffundunt, hactenùs excutere licuit. Tua, Domine, obſecro, gratia mihi laboranti ſuccurrat. Serpunt latiùs in dies ulcera mea, pie Medice, ne, quæſo, tuæ te tædeat artis, dehiſcentes in fruſta marcidas medicare carnes, tu, qui in morboſorum curam continenter inſiſtis. Me mea fefellit opinio, dum obtensâ recti ſpecie, interim peccare ſuaſit, & cupiditatibus obſequi meis, rejectâ in ſeros annos pœnitentiâ: quæſo, precorque, Domine, da, quod rogo; præterfluit ecce ætas, perque ſingula momenta ſpatia vitæ contrahuntur meæ, en facta tranſacta omnia præter pœnitentiam, ignoſce, quæſo, proh quàm malè, quàm perversè meo ſum functus officio: noctes decurrunt ac dies, curſuque ſuo me ad interitum rapiunt, vitæ breviantur tempora, peccatorum cumulus haudquaquam minuitur. Da interim, Domine mihi fatigari utili labore, & deſtinata exercendæ virtuti tempora cum quæſtu tranſigere; propoſueram mihi heſterno die pœnitentiæ me dedere, occidit dies, pœnitentia nulla fuit; unicum jam mihi ſupereſt perfugium, id eſt humilis precatio, hanc tu, Domine redde mihi. Dies me hinc deceſſum maturare cogunt, obſtant peccata viæ impedimenta meæ, tu, Domine, offendicula tolle, ut per ſemitam tuam expeditus incedam: quotquot mihi hactenùs defluxere dies, damna deputo mea, reparanda hæc forent præſentis temporis lucris; ſed quo pacto id exequar non expedio, niſi tu, Domine, qui vitæ mihi ſpatium concedis, fructuoſam & utilem ejuſdem uſuram adjicias: inconſtantiæ piget me meæ, multa quotidie mihi agenda propono, propoſita nunquam perficio: magna promitto, magnis promiſſis nec parva facta reſpondent, pie Domine, miſerare quem pudet impudentiæ ſuæ.

Ehodum tempus vitæ meæ quorsùm properas? quin ante doces, quamnam malis meis adhibeam medicinam? Tu, Domine, cujus providentia clavum Univerſi regit, rebus proſpicito meis, lacrymas oculis infunde meis uberiores, quibus ſenſuum meorum abſtergam labes: mei miſerere, precor, quia ad te confugi, vota mea ſuſcipe placidus & clemens, meiſque lacrymis tua remolleſcat ira, tua me ſoſpitet pietas & præſtet incolumem.

Me mea opportunè monet inclinata ætas,

[Syriac text illegible]

A ætas, ut supplicibus & multis precibus te mihi propitiare studeam, atque tuam ante obitum pacem exorem. Ohe, anima, jam delirare desine, satis insaniisti, quæ magnam imaginem tibi primitùs impressam excidere passa fuisti, resipisce aliquando tandem & considera, in quantam inde veneris contemtionem, ut subesse sentibus delicias putes: tuam, Domine, obtestor sempiternam clementiam, adesto, B afflictum releva, measque medicare plagas; etsi plurimæ sunt, plurimæ item suppetunt tibi ad reparandam mihi sanitatem opes, nec ego quam solvam præstitæ operæ mercedem habeo, nec tu nostris indiges subsidiis; quum ditissimus sis, tibi grave esse non potest meæ consulere paupertati. Lutum mea mihi allevere facinora, inde graviter olere cœpi, C tu, a quo rebus suavis aspirat sanctitatis odor, tuo me inodora balsamo; sacro lavacro meas, Domine, eluisti labes, ego verò in ejusdem luti volutabrum revolutus sum plurimis obstrictus noxis: acceptam in baptismate venustatem mihi restitue, precor. Peccatores perire non sustines, perditos reducere studes, tua hæc benignitas me revocet errantem, de salute quippè dimico.

D Quis te, Domine, ad nos demisit? quis tibi persuasit Crucis subire tormentum: Crux, cruciatus, labores pro mea salute exhausti satis declarant quantoperè me amaveris; ut amissam mihi vitam reparares, clavis confixus es, spineam coronam gestasti, ut me sospitem haberes, & perditum me recuperares, sustine me, ne iterùm in illud, unde evasi, relabar E malum. Non novam tibi commiserationem creant, ut repellantur, quas fundimus, preces, & pacem, quam petebant, non impetrent; supplicibus quippè reis parcere tuum semper fuit: impiatos expiare tibi ingenuum est; sic soles, consuetudo tua tibi lex est, imperat illa, miserare reos, huic precor, obsequere, meque noxium absolve.

F Talia multa fecisti, plura tibi etiam adhuc occurrent facienda; vulneribus interim medere meis, quoniam te semper in mente habui: suscipe placatus, quæ tibi fero dona; excitant nempe judicum commiserationem munera, & ad indulgentiam facilè flectunt: lacrymas misericordiæ tuæ exhibeo, exorabunt justitiam tuam humiles preces, parcere noxiis, & reos malefacta dolentes fovere, tuum semper fuit; afflictum supplicem me ne, quæso, repellas, sed meis depromito ma-

lis de tua myrotheca medicinam. Oro, Domine, ne, quod postulo, mihi neges, ne fortè meus inimicus meam in te fiduciam irridens, illa mihi regerat: heus tu, quid tibi profuit tuis Judicem fatigasse precibus? Erubescat invidus, te meam miserante conditionem, meaque dimittente peccata: ne, quæso, instante tentatione, me deseras, stansque a longe, cum adversario luctantem spectes otiosus: tu pro me dimica, victoremque, debellato hoste, reducito: preces meas exaudi, quia Pater misericors es, & quia pius Judex es, supplicem absolve reum: salvum & sospitem præsta me, quia in tua bonitate & clementia omnem rationem salutis repono meæ.

Succurre mihi, clamat anima suorum conscia malorum, Deus & Judex meus; Heu iniquo judicio opprimor, tu, qui injustè oppressos vindicas & relevas, oppressionem clientis tui ne, quæso, dissimules. Januam tuam indica mihi, ut pulsem, misericordiam tuam ostende mihi, ut ad eam confugiam; quippè quæ reorum sua maleficia damnantium causam defendere consuevit: tuis, pie Pastor, gestio ferri humeris, quibus errantes oves sustollere soles; quin in me perdito ejusmodi probas curam, ut ad lætissima prata tu me reducas per anfractus & salebras hucùsque palantem? quin reducem ad gregis tui pascua ducis? acerbo dolore me mea lancinat iniquitas, vulnus tua obliget misericordia, donec cicatricem obducat. Quisquis porrò resipuit, & peccasse se dolet, te, Domine, laudet, gratiam tuam adeptus, & tuam reconciliatus domum; hæc scilicet laus tua semper erit, suorum maleficiorum pœnitentes diligere.

PARAENESIS VIII.

Callidus hostis me vehementer pessundat, fer opem, qui fortiter dimicantibus propitius ades Deus. Cecidi infelix, meum, oro, miserare casum, & afflictum subleva; insomnis ille semper excubat paratus ad pugnam, nunquam arma deponit. Tuo nihilominùs præsidio fultus, confido ejus audaciam ociùs infractum iri. Statis de more precibus nuper vacabam, quum ille turbulentis suggestionibus precantem adortus, velut concitatis fluctibus mentem meam in aversos & contrarios cursus rapuit. Tu, Domine, qui es semper idem, semper ipse sempiternum agens otium, præsta mihi tranquillè

quillè & placidè vitam traducere, ut uno isto, quem habeo, animo nihil velim, nisi de te cogitare, te, inquam, summe Pater, unà cum Filio ex te genito, & Spiritu sancto laudare.

Infelix anima, quam Diabolus captivam abduxit, siccinè per salebras & anfractus palabunda vagaris? nec te tuæ dementiæ pudet? Cur veteratoris oppressa dolis gemitus sub corde premis? quin altis clamoribus reposcis opem? me miserum, quem vicina mors urget, & velut altâ in hyeme frugum inopia premit; tu, Domine, tuis mihi succurre auxiliis, & fugientem retineto animam, ut reparatis viribus, mortem me tuâ gratiâ evasisse prædicem; procubuere vires, & quidquid vitæ naturæque mihi fuit, defluxit; interim me mea peccata ad Judicis tribunal tendentem præverterunt. Imbecillitatem meam, misericors Deus, considera, & miserare. Quid enim? num non pro me sempiternam pœnam commerito Virginis in utero clausus jacere voluisti? Quis te in Crucem sustulit, an non peccata mea? Hæc tui in me amoris documenta tuam erga me tot periculis cinctum excitare debent commiserationem: mei causâ flagellis cæsus fuisti; & quia me amasti, sepulcri squalorem minimè horruisti, quæ quum pro me facta transacta sint omnia, actis insiste tuis, precor, neve me damnare velis, ut reus mihi debitas subeam pœnas: quam dederas mihi, substantiæ conservandæ nulla cura fuit, damna ipse mea voluntate quæsivi: resipiscentium spes unica, ne me nequissimum abjicias: clavis dextera confixa est tua pro mea, quam ad carpendum vetitum pomum porrexi: tui Corporis gratiâ ignosce mihi multis contaminato flagitiis, ut aliquando tandem revicturus, te lætus revisam: nulla mihi salutis cura; nullus amor vitæ, membra detrivi mea, & caput atra obnupsi veste, nulla mihi pœnitentia suppetit meis opponenda noxis; tuæ misericordiæ confido & supplico, ne me a tuo conspectu prohibeas, qui perditorum hominum ad cor redeuntium spes & salus es.

PA-

A

PARAENESIS IX.

QUò nos ab interitu liberares, tua te pietas noſtris appulit oris; noſtris ſuetus mederi malis, meas, oro, medicare plagas; in ſingulos quippe dies longiùs proſerpunt & creſcunt; ne notis meis fabula fiam, in te namque mea ſpes omnis reſidet. Magne Deus, cujus nutu atque conſilio geruntur & providentur omnia, gratiæ tuæ rore perfunde me, labes terge meas: incubuere mihi decumani fluctus meis concitati noxis, vitiis obruor ipſe meis, perituro porrige manum; ſuis me Mundus a recta abſtraxit blanditiis, & quominùs cœptam virtutis perſequerer viam, durâ ſtrinxit cōpede, rerum caducarum amore ante cæcatum; omnis exindè reſedit cura ſalutis, inceſſitque languor & otium, quod omnes vitæ meæ dies perdidit. Heu qualis mihi paratur rogus!

B

Quod ego huic nunc ſubito exitio remediū inveniam, miſer? veſtris, oro, Fratres, ſuccurrite precibus & lacrymis. Mercenarius conductus mercedem præſtitæ operæ decoxi, abſtulit etiam veſtes latro. Totus tremo horreoque, quorſum id evadat? Regni tui inſtitutus hæres delata hæreditate Diaboli arte excidi, alto tractus in præceps gradu. Cæleſti imbre, quo animos ægritudine defectos recreare ſoles, me, precor, inſpergito peſſimè affectum, poſtquam perduellis ille veterator me meo ſtatu dejectum graviorum calamitatum metu me cruciat. Ex quo certior factus ſum appropinquare diem, in qua Sanctis tuis mercedem laborum es repenſurus, continua mentem anxiam ſolicitat cura, ut votis & precibus tuum antevertam judicium, ac ſupplex & humilis tuam exorem clementiam, ut Juſtos remuneraturus mei licet immerentis memineris.

C

D

E

Qui porrò ſceleratos tum obruet dolor, adeò gravis erit, animoque ita penitùs infixus, ut nullâ vi rationum, nullâ temporum intercapedine unquam evellendus ſit; inciſâ quippe omni ſalutis ſpe, Tartari claudentur nullo unquam tempore reſerandæ fores. Quid ego tunc tandem conſilii capiam, aut quò me vertam, quando omnia publicabuntur mala facinora, quibus concuſſa mens, quæ ſtare debebat recta, dementi ſeſe ruinâ deflexit, datamque vitæ uſuram dedecoravit. Siccine inter tot pericula ſtertis, Anima, maleficiorum oblita tuorum, conceſſumque tibi ad utilem laborem tempus futili otio perdis? Quid

F

[illegible]

Quid ceſſas, miſera, tuæ immemor ſalutis, cur oblatam curandæ rei tuæ occaſionem & ſpem aſpernaris & negligis? O me infelicem, qui theſauros iræ peccando mihi condidi, pro quibus heu quàm acerbæ ſolvendæ mihi reſervantur poenæ! Hei mihi qui te tantoperè exacerbavi! Here pie ſuccurre ſervo ſuis perdito peccatis. Aperi miſericordiæ tuæ theſaurum, quia pius es, opprimentem me morbum depellito, & quandoquidem jamdiù me caſtigare non deſiſtis, gratiæ jam dato locum. Crux tua, Domine, vulnera membris meis illata ſanare poteſt, quâ medente nullus ægrotus ſanitatem deſperare debet. Premit jam me ſenior ætas, finem rebus propè factura meis, & ipſum me in atram detruſura ſcrobem. Tu autem, Domine, quæſo, meam miſerare cladem, ut tuâ gratiâ inde relevatus ad celebrandas laudes tuas reſurgam; nullus dubito, quin, quod opto, feram, ſi quâ erga peccatores uteris clementiâ, hanc jam mihi adhibeas, & porrigas auxiliatricem dexteram. Vereor tamen, ne illa me fortè deſtituat, commeritis mactandum ſuppliciis, ut meo exemplo ſua jura firmet, ne quiſquam in poſterum peccare audeat. At hoc de te ſuſpicari tua acta vetant; quid enim? num tu me extinctum magno utique miraculo non reſuſcitaſti, & everſam ſpem mihi cum fœnore reſtituiſti? Ego verò quas tibi rependam gratias, quem novi ſempiternum, verum & ſummum bonum, poſtquam ſic nos amaſti, ut te non indignum putaveris pro nobis mortem oppetere, quò nos reparares perditos, & ad ſummi veri cognitionem ab inolito errore revocares? At ſine me id unum adhuc exorare te, ut, quoniam me tantis cumulaſti tuâ caritate bonis, tuo item pio adventu præſtes quantumlibet immerenti, ut abſciſſa mihi denuò revireſcat beatæ vitæ ſpes. Diabolum a me tuâ Cruce repuliſti, peccata mea tuâ etiam clementiâ dimitte, tuum eſt præſtare utrumque.

Suam ſummus Pater miſeratus imaginem, humano generi te dedit Salvatorem, tanta, quæſumus, caritas ſalutis nobis cauſa fiat. Enimverò ſi à te abeſſe clementia dicatur, cui illam adeſſe credamus? eâ autem remotâ, quibus victimis noſtrum piabitur crimen? tuum nempè eſt noſtras expiare noxas, tuumque eſt nobis dare & propagare vitam, noſque noſtris ſceleribus labefactatos reparare, cujus ope afflicti, proſtrati quique in ſpem priſtini ſtatûs reviviſcunt; criminum meorum multitudine opprimor, adeò ut erubeſcam Judicis

dicis implorare clementiam;at tu noſtris apta A malis pharmaca componere potens, meas curato plagas : obſecro te, qui animas diligis, ne nos Invido tradas, unde partam ille tuâ gratiâ nobis ſalutem audacter traducat, & jactet fabulam eſſe & merum commentum. Quin ergo proterviam eius tuâ in me pietate compeſcis, ſuſceptâ meæ ſalutis curâ? Nec enim ignoras, qui abdita retruſa ſcrutaris, ingenitam mihi ad vitium propenſionem, B tui, precor, Spiritûs illapſu vitam per peccatum perditam reſtitue. Pacem tuam expectant peccatores, quos nefariæ cupiditates hucùſque jactarunt; ut ignoſcas ſupplicibus, oramus, & præſtes, ut quem ſuâ culpâ amiſere decorem, tuâ clementiâ ſibi in ſupremo Mundi die redditum gratulentur. Quis enim ſalvus meritas evadat pœnas, ſi a tua juſtitia diſtrictè judicetur eo die, quo acta & cogitata noſtra C appendes in ſtatera; ad noſtros, oro, labores tua pietas reſpiciat, omni ſeveritate remotâ, ut in ſpe miſericordiæ tuæ ab amittendæ ſalutis metu reſpiremus.

Callidus venator plurimos nobis obtendit laqueos, ecquis ſe evaſurum confidat? Tu, Domine, victoriam dabis, quam imbellis natura negat; animus quippe libidinibus inflammatus ac furens ad vitium ſemper rapitur; obſecro, Domine, ne tua D in nos ad meritum animadvertat juſtitia. Conceſſa nobis arbitrii poteſtas ecce languet, idcircò vitia in noſtra ſeſe certatim infadere membra; o qui potis es de noſtra triumphare nequitia, hanc nobis dominari ne, quæſo, permittas. Bellum milites exercet, & aptat ad pugnam, victores coronat, nos autem militiæ labores fugimus, nec ulla victoriæ nos angit cura, idcircò E victi ſumus, victis ignoſce propitius; magnum profectò decus eſt militum, qui, debellato hoſte, coronam adepti ſunt; at ſi illos ex merito coronare debes, me certè ex gratiâ ſervare potes. Laudem & gloriam tibi debemus, cujus in genus noſtrum caritatem ſatis mirari non poſſumus, eo quòd repoſitos habes in theſauris tuis omnes juvandi modos, remiſſionemque peccatorum, & admirabilem erga peccatores F miſericordiam. Patrem idcircò laudamus, a quo ad noſtram ſalutem miſſus fuiſti, Domine clementiſſime; tuum jamdiu adventum opperior, dignare me tibi venienti occurrere, tuâque miſericordiâ indignum non inveniri.

PA-

Hucusque Syriaca S. EPHRAEMI *Opera latinitate donavit Clarissimus* P. PETRUS BENEDICTUS *Maronita Societatis* JESU, *Vir multiplici linguarum peritia, literarumque genere excultissimus, morum suavitate, prudentia ac pietate nem ni posthabendus, qui cum doctorum hominum, tum Nationis praesertim suae dolore maximo supremum diem explevit* VIII. *Kal. Septembris* MDCCXLII. *Ejus encomium habes in Prolegomenis ad hunc ipsum Tomum, cujus, demandante Eminentissimo ac Reverendissimo Domino* D. ANGELO MARIA QUIRINO S. R. E. *Bibliothecario, Literarum ac Literatorum omnium Patrono amplissimo, Latinam e Syriaco interpretationem, Deo auspice, prosequimur.*

PARAENESIS X.

A DEus, qui Caelo delapsus, homo factus es, ut divinam cum hominibus participares vitam: ne avertas faciem tuam a nobis, ut nullo unquam tempore disperеamus. Tuis peccatores adhaerent foribus, ut inde delictorum veniam consequantur, ne, precor, tristis cogar abs B te discedere. Ærarium tuum opis maxime indigentibus copias diffundit suas: ecce fores ejus obsident indigentes: subveniant nobis gratia & miserationes tuae; sciens volensque reus factus sum, fateor, nec invitus peccavi, nisi meis ut cupiditatibus indulgerem; Meam respice imbecillitatem, & parce mihi, Salvator meus optime: peccata mea tibi aperta & con- C spicua sunt omnia: misericordia, Domine, & clementia mihi subveniat tua. Eligendi quidquid vellem potestate abs te accepta, adversus vitium mihi fortiter in acie standum, ac strenue dimicandum erat, atque vincendum. Decertavi quidem, sed exitum certamen habuit infelicem. Restat, ut poenam deprecer, quum praemium petere victo non liceat; mea videlicet delicta mihi praeripuere coronam. Clemen- D tia tua, Domine, ex igne me vindicet sempiterno, quoniam mea memet ignavia praemio indignum fecit. Tibi in primis decorum est parcere peccatoribus, nec minus pulchre facis, dum beneficia in eosdem auges, atque miserationes. Sic plane fit, ut ab utraque parte magnitudo tua ample & magnifice praedicetur.

Insanabili aegritudine impii contabescent, & scelerum suorum recordatione E misere cruciabuntur; quum contra justi incredibili voluptatis gaudio triumphabunt, suis jam coronis in perpetuum decorati. O me miserum, quem post actam in supervacuis laboribus vitam inevitabilis hinc ejiciet mors! Eheu qualis, quam acerbus me excipiet dolor, tot malorum concursu labefactatum atque convulsum! Atqui nec imme-

immeritus id patiar. Sum reus, scilicet nusquam volui a vitiis abstinere; ideo a proposita felicitate excidi, meisque cupiditatibus raptus, in tenebricosissimum carcerem praeceps abii. Prodibunt atque erumpent ex me in die judicii peccata tanquam ulcera membris inusta meis; quae nimirum seminavi, haec & metam. Tu vero, Domine, quum natura bonus sis, ingenua hac bonitate tua malefactis ignosce meis; quum autem ex te justus sis, laborum cursum emensis pactam mercedem solvito. Utrumque tuum est, & praeteritae operae praemium reposcentibus reddere, & mihi suppliciter deprecanti poenae remissionem indulgere; sic enim verò fiet, ut dum exhaustos pro te labores remuneras, pleno ore lauderis ut Justus; dumque nobis peccata dimittis, te misericordem atque placabilem praedicemus; & Mundus uterque, Domine, magnitudinem tuam atque magnificentiam admiretur.

Adestedum sodales quicumque me secuti estis errantem, remque mecum vestram sedulo procurate, & cogitationes omnes ad agendam poenitentiam intendite, ut per eam animae vestrae criminibus oppressae, planeque mortuae reviviscant. Satis, proh pudor! Satis Diabolo inservivimus. Dominus, quod posthac nobis decurret tempus, sibi reposcit. Ergo dum ille miserationum suarum nobis aditum patefacit, utique cunctandum non est; praesertim quum rei exitus ab occasione pendeat perbrevi sane tempore definita. Imminet ecce dies, quum ad caeleste regnum vocati congregabuntur. His porro introductis, quisquis foris remanserit, sublata spe adsequendi, quem olim sibi oblatum contemsit, aditum, propriae negligentiae illum nunquam non poenitebit. Illius porta modo neminem excludit. Heus, Peccatores, huc certatim accurrite, apertas occupate fores, saluti vestrae consulite; bonus quippe Deus peculiari benevolentia & gaudio complectitur peccatores sua malefacta dolentes.

Ceterum dum seram sepulcri obductam videmus, & nos apertum misericordiae ostium ad ingressum solicitat, omnem, Fratres, industriam, studiumque ad nostra curanda ulcera conferamus. Etenim Deus peccata ante poenitentiam commissa nemini objectat; quandoquidem nec illi juveni patrimonii decoctori praeteritae vitae acta exprobravit, nec arguit, quod impure intemperanterque vixisset, sed revertentem ipse praevenit, effusoque sinu excepit, & amantissime complexus est. Satagebat nimirum, ut in illo uno omnes peccatores sui

A sui in ipsos amoris expressam imaginem recognoscerent. Gloria illi, qui nostras praevidens iniquitates, simul nobis providit aptissimum ad valetudinem reparandam pharmacum, poenitentiam videlicet, aegritudinum, quibus laborare solemus, generale remedium. Maxima gratiarum actio agenda est illi, qui, ut scriptum est, de nostro reditu mirifice laetatur, adeo ut Angelos suos eandem laetitiam communem secum habere velit. B Mirum enim quam aegre ferat imaginem sibi perire suam; suarum siquidem manuum opus majorem in modum diligit, ut nec sceleratis & perditis, modo sua mala facta damnent, dexteram porrigere, & opem ferre recuset. Agite jam, Fratres, forti estote animo, nihilque vobis ad celeritatem reliquum facite, ut paratum perfugium quam studiosissime occupetis.

C Quem credam nobis Dominum obtingere posse tui similem, qui, quod ipse facis, difficiles & fastidiosos mores nostros patienter ferat, qui nostros excuset errores? Omnem profecto admirationem vincit, quod quum tibi ante oculos omnium hominum obversetur iniquitas, non ideo tamen Mundum tua cura destituis, nec acceptas ab eodem injurias persequeris: ea est tua in nos benignitas, amor, & longanimitas. D Ecquis autem meritas tuae bonitati gratias habere, quisve agere valeat, quod pro nobis mortem subieris? Scilicet, ut mihi nocenti servo vitam adsereres. Vitae tuae meam antetulisti, mortuus es, ne ego morerer. Te nobis Genitor dedit, eo quod aliquid te majus non haberet, quod nobis daret; talem Patrem, qui te generi nostro impertivit, quis satis pro officio laudare potest? Quid est, quod E adhuc torpescitis peccatores? Quin conferto agmine procurritis ad januam pii Salvatoris, qui ut nobis vitam impertiret, mortem pro nobis subire non dubitavit? Animadvertitis, opinor, quantopere nostrum reditum cupiat, quanto studio requirat perditos, quanta denique benignitate excipiat venientes. Te igitur obsecro obtestorque, Salvator optime, ut quantocius nos ad gregem tuum revocare ne dedigneris.

F Nae ille beatus est, qui ab externis rebus animum & cogitationem evocavit, sibique uni vacare doctus, dies in dolore & luctu traducit suos. Sapientem assidua fatigant suspiria, cui Crucis semita dumtaxat sapit, praeterea nihil. Optimus quippe vir perpetuis in hoc Mundo exerceri calamitatibus cupit, ut post hujus vitae aerumnas, ei perenni beatitudine respirare contingat, *Cor sapientium ubi tristitia est, & cor stultorum, ubi laetitia.* Qui diligit Mundum, is Mundum fasti-

Eccl. 7. 5.

faſtidire non poteſt : Sapientes, qui ſeipſos noverunt, Mundum odêre, quia deprehendere mendacem, & ideo corda ipſorum in triſtitia ſunt ; quia porro riſum reputarunt errorem, & Mundi oblectamenta fugerunt ; ideo Paradiſi felicitas & gaudium, tanquam laborum merces, ipſis rependitur. Quam opido infelicem illum dicam, qui ad lugendum appulerit ? Heu quantus miſerum dentium quaſſabit ſtridor ! Quantus praecordia, tormentorum vi cogente, fatigabit clamor ! Plane errat, Fratres, qui beatam ſibi vitam in utroque ſeculo promittit ; laetos quippe hujus vitae dies luctus poſt obitum excipit. Et ſane nec juſtum, nec aequum eſt, ut hominem laboribus aerumniſque exercitum, mox fletus ac tormenta ſequantur ; nobis propterea ſignificavit Salvator futurum, ut qui heic rident, illic fleant, & qui heic ſaturantur, illic eſuriant. Beatus, qui heic tantiſper luget ; evaneſcet quippe luctus ejus, perinde ac ſi non eſſet, laetabiturque in felicitate ac bonis, quae nunquam deficient.

PARAENESIS XI.

Quid longius, infelix anima, protrahis poenitentiam ? Appropinquat judicium, meoſque ignis opperitur artus. Per omnes vitae meae annos proceloſum ſcelerum ſulcavi mare, nec unquam meos flevi errores. Quid ? ſi cunctantem ſubita mors opprimat ? Diabolus ſuis me dolis ad conſectandas inhoneſtas voluptates pertraxit, mox etiam praecipitavit. Me miſerum ! Quid mihi modo agendum ? Aequiſſime Judex, confunde, precor, improbum inimicum, qui mihi poenitentiam cogitanti laqueos obtendit. Tu fer opem miſero, qui ſpem dediſti : tu mecum utere virtute tua, votiſque id meis tribue, quod enixe flagito, vel potius precibus omnibus & obteſtor, & obſecro, ſi propitius annueris, ſurgam illico, & convaleſcam ; fraudes hoſtis eludam, fruſtrabo minas, laqueoſque & vincula, quibus teneor, a vita, a capite propulſabo. Eheu quam acerbam dolorum molem mihi intentatam ſentio, & paratam in diem illum, quum ſeveriſſimi Judicis perſonam ſuſtinens, omnium preces ab acceſſu, & tribunali excludes tuo, ac de improborum criminibus ſententiam feres, nulla unquam vel temporum diuturnitate, vel clementiae magnitudine deliniendam ! Nunc quum adhuc ſupereſt miſericordiae locus, mihi nunc adſis, oro, ne coram Angelorum choris ignominia olim, & ſuppliciis afficiar ſempiternis. Expa-

A Expavesce anima & contremisce, supplexque ad pedes Domini procumbens, dicito: Ignosce, quaeso, ignosce mihi, Salvator meus, & lapsam erige, & erectam confirma. Erravi, temere feci, veniam a te deposcere vix plane audeo, ac ne vix quidem. Singularis illa, cui nulla potest inveniri oratio par, illa, illa, Domine, clementia tua a Gehenna me salvam faciat. En jam exoritur B & illucescit justis etiam metuendus dies Domini, cujus in occursum a mortuis excitati jam Sancti prodeunt, ardentes singuli praeferentes lampades; ego vero tetra undequaque caligine & nocte obrutus, nec, quo me vertam, scio, nec oleum habeo, quo lampas ardeat. Quid miser consilii capiam? Aut quomodo venienti Sponso occurram? Judex supra fidem justitia præstat, nec reos ex vultu aestimat, sed suum reddet cuique C jus secundum opera, quae patravit. Ego autem conscientia territus, quo confugiam? Quid agam non unius maleficii reus? Quis me tali judicio sistendum absolvet? Quis impunitum reddet, ac liberum? Enimvero ut venit ad aures appropinquare judicium, vix apud me præ verecundia fui, exhorrui animo, ac mente prope attonitus haesi haud ignarus, quale incendium impios sit excepturum. Illam utique, Deus bone, qua D cum peccatoribus misericordia uteris, mecum pariter adhibeto, & laudum tuarum habebis praeconem, quando advenerit, qui nos in luce reponat, dies, & regni tui amplitudo, quam late pateat, apparebit. Crux tua comes mihi aderit auspicatissima, fretum illud horrendum trajicere molienti, dissipataque tenebrarum acie, ad caelestes Beatorum sedes aditum mihi aperiet, quo E si semel introductus fuero, tum gaudiis exultabo, & benevolentiam in me tuam summis perpetuo laudibus praedicabo. Deus in primis misericors, ne me, quaeso, existimes infra mortuos amandandum, quippe quem tuo Corpore pavisti, & Sanguine potasti tuo; tuum, obsecro, Corpus me mundet, & Sanguis tuus aspersas mihi labes detergat, & ipse e tenebris ad vitam revocatus, tuorum in me beneficiorum nun-F quam non memor ero, atque ita quidem, ut in gratiis habendis, ac laudibus persolvendis vix eorum concedam nemini, quorum in aeternitate memoria est.

Sed eheu me miserum! Qui adolescentiam in luxuria & ignavia trivi voluptatibus delinitus, & fallacis hujusce saeculi illecebris captus, nec aliquando mihi venit in mentem cunctis pertimescenda dies, quae me e sepulcro evocabit. Quis meae tunc inopiae ac solitudini praesto erit in regione illa horrida,

da, & periculorum plena, ubi nihil proderunt generis nobilitas, aut familiae decus, aut divitiarum copia, ubi fratrem frater non redimet, nec quisquam, ut scriptum est, judicium effugiet? Nullas mihi a juventute mea ex piis operibus paravi alas, nec lectis undecumque pennis eas composui, quarum praesidio fretus generosae instar volucris ad te properem, & in tuo ore, in tuis oculis feliciter conquiescam. Quid agam, qui cogar flammarum freta transmittere? Quomodo incolumis ab iis potero tam infestis fluctibus & procellis evadere? Interloquente tunc Judice trepidabunt Angeli: agmina ignis & spiritus contremiscent. Quis mihi tunc animus? Quae mea mens? Qui oculi? Quid sentiam? quid dicam, quum de occultis delictis palam interpellabor?

Ad Rom. 2.3.

PARAENESIS XII.

QUI peccatores eximia caritate complecteris, suscipe me, quaeso, reum, inque tuas exceptum sedes, micis e tua mensa cadentibus reficito. Nec committas, ut cum sceleratis in tenebras ad laevam abactus male dispeream, nec turpitudinem & nequitiam imbecillitatis meae respiciat justitia tua in illo die, qui vel exitum, vel salutem offeret immortalem. Gaudium Mundi labor est & dolor: infelicissimus quicumque illius specie capitur, aut fraudibus irretitur; ut navim fluctus exagitant, sic meam miseriae & aerumnæ obruunt vitam, quum depravato cupiditatum impetu in Mundi servitutem addicor. Navigium, quaeso, nostrum tu, Domine, guberna, & ad portum appellito magno illo die, qui ab improbis poenam exiget nullis temporum finibus circumscribendam. Compertum habeo, planeque teneo, tibi esse in deliciis atque in amoribus peccatorem, quum ad poenitentiam accedit, lacrymasque & suspiria ex intimo animi dolore trahens, his tecum vocibus supplex agit. Eripe me Domine ab igne, obsecro te, suscipe lacrymas imbecillitatis meae; nam si mea voluntate peccavi, mea item voluntate peccasse doleo, & erubesco.

Agedum, Peccator, accede ad fores, quae, ut excipiaris panduntur, lacrymas Domino pro hostia afferto, & supplex ad ipsum veni; dona ille non exigit, nec ab externa specie quemquam dijudicat, & misericors enim est, & peccatoribus non modo liberationem culpae, sed errati veniam impertitur.

PA-

PARAENESIS XIII.

FRatres cariſſimi, mihi illacrymate Apoſtolo, qui Chriſtum meorum gravitate ſcelerum ad iracundiam provocavi. Ille ut ſapientiſſimus rerum opifex & ex nihilo me in lucem edidit, & liberi arbitrii poteſtate ornavit. Ego certe ingratus fui, quando malis meis facinoribus injuriam ei pro gratia repoſui. In terra ſanctorum me Parens optimus collocavit, ut apud illum, inſtar Angeli, miniſterium obirem; ego vero non modo nequam & improbus, ſed fatuus & amens, quum nobili Angelorum miniſterio fungi deberem, perduellibus ſpiritibus operam meam locavi, moerorem inde, & luctum meae juventuti perpetuum relaturus. Summus rerum Dominus ac moderator Deus, vas perfectum & ornatiſſimum, me ad ſuum uſum, & nominis ſui laudem efformaverat, ego vero per impudentiam ſingularem, in vaſa peccati facultates ſenſuſque meos converti, iiſque admiſi ſcelera incredibilia & maxima. Vae mihi, quum furiis domeſticis exagitatus ad tribunal Domini apparebo ſeveriſſime judicandus!

Anteacta jam vita in ipſo judicii veſtibulo me praevertet, multorum me criminum poſtulatura reum. Tu ſalutis auctor meae ſub umbra alarum tuarum me protegere ne graveris, nec flagitia, quaeſo, labeſque meas palam declarari ſinas; ſic me gratiſſimum laudum tuarum praeconem in perpetuum habebis. Quia coram Domino, cujus aſpectum fugere nemo poteſt, quamplurima perpetravi nefarie, nec piorum mores ſtudui pro virili aemulari & colere, ideo divina in me iracundia concitata ab optabili illo Beatorum conſortio ſum infeliciſſime ſegregatus. Me miſerum! Diſperii. Merito me nunc miſeriae premunt. Si illis pugnantibus non me pugnae ſubduxiſſem, & ipſe quidem victor ex acie rediiſſem. Sed quum maluerim diffluere mollitie, & delicate ac molliter vivere, quam parce, continenter, ſevere, ſobrie, nunc tanquam inutilis ad pugnam miles ab eorum coetu divellor, quorum non egregia ſum opera imitatus. Innocens Salvator meus, qui Cruci affixus peccatores ultro invitaſti ad gratiam, mea, obſecro, delere peccata velis, & vulneribus meis ſalutarem parare tuo Sanguine medicinam, ut nunquam de pietatis tuae laudibus conticeſcam. Si, Domine, aſpectum tuum in criminum meorum nubem convertas, haec ſtatim utique evane-

evanescet, & per viam mandatorum tuorum, dissipata errorum caligine, laetus incedam ad eam, quam me sperare jubes, felicitatem.

Deus optime, cujus clementia omnium mortalium nequitiam antecellit, tuo me patrocinio ac misericordia jacentem subleva & confirma; nam aegritudo, & morbus ex peccatis contractus incredibiliter vires attrivit meas. Tua, Domine, benignitate ac potentia omnis spes mea nititur, tu me recrea. Horreo, prospectans igneum illud fretum, quod sui conscium, & iniquitatum memorem vehementissime exagitat. Fili Dei vivi, Crux tua me vadum molientem dirigat, ac sustineat, hebescant flammæ ad contactum Corporis & Sanguinis tui, & auxilium imploranti feliciter per te liceat, a Gehenna evadere: dolores & morbos velut arrabonem poenarum deputo, quas mihi comminatus es nunquam finiendas, adeo persuasus sum, fore ut quemadmodum heic me pravæ corporis animaeque affectiones cruciant, sic mea me flagitia post obitum in immania tormentorum genera conjiciant.

Christe Parens omnium amantissime, esto mihi tot in angustiis salutis portus & perfugium, ac tutela certissima. Ex hac die te supplex obsecro, ut ostendas misericordiam in me tuam, meque ab eorum colluvie segreges, quibus vindices parantur poenae. Cui pro nobis hostiam temetipsum offerre non dubitasti, tu amor cordium nostrorum Jesu, meam apud illum nunc causam suscipe, & dissimulata paulisper maxima, quam merito in me conceperas, indignatione, id oculis effice & conspectu tuo, ut Diaboli audacia visque frangatur, & effusæ ab illo tenebrae tuo adveniente lumine dissipentur. Quod si infernus ignis mea corripere membra & inflammare tentaverit, utpote multis inquinata flagitiis, tuo, Domine, nutu increpitus, tum infuso mihi rore aspersus hebescat, precor, ut sicut olim Babylonica fornax tres pueros nomen tuum invocantes laedere non ausa fuit, sic auspicio tuo horribiles illi flammarum vortices me impunitum sinant, ac liberum.

Diabolus pestis omnium teterrima suo me veneno infecit, praecipitemque ad flagitium traxit, depravavitque. Attamen quum ego tuis vestigiis insistere sim paratus, tibique summa liberationis meæ potestas sit, confido, a tua potentia infirmitati meae subventum iri, teque illum acer-

[illegible]

accerrime increpante, me veniam & gratiam assecuturum; ipsum autem, qui animum meosque corrupit mores, ignominia & dedecore obruendum. Iniquitatis principes suis me cupiditatibus pessum dedere, & juventutis meæ pulchritudinem dolo malo quam turpissime depravarunt. Pudicitiam perdidi. Me miserum! Quid agam? Pristinam ut restituas, Salvator optime, innocentiam, obsecro, atque ut proditorum in arrogantiam severissime animadvertas. O quam mira, Fratres, formæ dignitate praestat pura & integra juventus! Quantum illa sibi conciliat amorem, si pulcherrima virginitatis species frontem ejus exornat! Atenimvero si cui praeclarissimus hic thesaurus ereptus fuerit, uno eodemque casu, quæ ipsum laudibus efferebat, eximia oris venustas, vultusque dignitas quoque concidat necesse est.

Age vero Salvatoris vocem audire videor, & me quidem suos in amplexus amantissime compellantis: Macte, ait, virtute esto, & animum ne despondeas. Adsum ego reparator salutis tuæ, rerumque tuarum incrementum maximum: meus es, non ego despiciam nec repudiabo, quem servitute mea ab immanissima Daemonum tyrannide vindicavi, tibi pacem afferam, tranquillitatem, otium, securitatem; quantum poteris, vocem contende, ut divinam Patris tui misericordiam implores, quæ miseris & egentibus occurrere ipsa solet nullius oratione evocata; Placabilis enim Deus est ac mitis: resipiscentes diligit peccatores: teque, si redieris, ipse praevertet, habitabit in te, victimam mactabit, stola te induet candida, tibique de tuo reditu mirifice gratulabitur.

Virginitatis conscius meæ quondam frontem explicui, extulique caput, depressit utrumque Diabolus, quum ante otio & languore animum depravasset meum, & morum innocentiam corrupisset. Itaque suis execrandus ille veterator me circumventum dolis gemma solis luce praestantiori despoliavit. Heu qualem infelix jacturam feci!

Multa, magna atque praeclara sunt ornamenta virtutum, sed inter cetera Virginitas quidem prope suo jure sibi vindicat principatum, cujus ab augustissimo solio si cecideris, alter tibi se offert gradus, quem plerique Sanctorum tenuerunt: illuc tibi enitendum est, quo si evaseris, minime a virginum numero segregaberis, sed fies ejusdem felicitatis & glo-

gloriæ compos . Interim vero laudet te, Domine, anima mea, quam, quum Diabolus perdidiſſet, tu ad ſalutem mirabiliter reduxiſti . Laudent te iterum ſenſus & cogitationes meæ, quibus munificentiæ tuæ donis amiſſam reparaſti integritatem & elegantiam, quæ ut habeat in me ſedem ſtabilem, ac domicilium certum, deprecatores ſuccurrant mihi caeleſtes incolæ ; confido ſiquidem, ut quem ego ad iram concitavi, ipſi mihi placatum reddant, ab eo recepturi praeſtiti mihi officii mercedem, unde fiat, ut illorum ordinibus conſociatus divinæ beneficentiæ potentiaeque laudes perſolvam . At tu, magne Deus, perditum me, quaeſo, requirito ; inventum, ad caulam reducito, tu qui ovem per ſaltus errantem tuis ſublatam humeris revexiſti . Voca me & redibo, ſic enim fiet, Domine, ut gregi tuo adjunctus, tuis aggregatus ovibus, cum iis, quos peccaſſe ſincere poenituit, totus ſim in tuis laudibus celebrandis.

PARAENESIS XIV.

QUum Poenitentia diſcipulum, qui Magiſtrum negaverat, devium & errantem temere offendiſſet; ſic allocuta eſt: Quonam fugis, deſerto Praeceptore, Simon? Quis te receptabit locus? Ecquæ regio latebras petenti dabit? Quumque ille opponeret culpæ ſuæ gravitatem, eo quod Dominum ſuum abnegando alienum ab illo ſe effeciſſet, ejuſdemque renuntiaſſe amicitiæ videretur, Poenitentia propius accedens, ſecreto iterum haec in Simonis aurem locuta eſt : Caveſis, ne in flagitio ita obſtinatus obdures, ut Chriſti gratia & amore omnino indignus efficiare . Certa tibi fide promitto fore, ut te reſipiſcentem effuſo ille ſinu accipiat, tuoque reditu admodum gaudeat . Quid ergo moraris? Quin modo ipſum adis, memoriaque perpetrati criminis afflictus, ejuſdem dimiſſionem efflagitas? Bone Paſtor, dices, de pereuntium ſulute ſemper ſolicitus, perditam ovem repoſcito, inventamque ad gregem tuum reducito . Deplorandum ſane tibi vulnus inflixit iniquitas, cujus ſi curationem negligas, nulla jam aderit medicinæ faciundæ ſpes. Praeſtantiſſimum habes Medicum . Quid tuam cunctaris aperire plagam? Quin ad ejus januam feſtinus accedis? Illic caſum deplo-

deplora tuum, & ductis imo ex pectore gemitibus, ipsius captare misericordiam satagito: confide, insanabile vulnus ille sanabit.

Talibus Poenitentia dictis Simonis animum perculit & inflammavit; unde præ maxima doloris vi totus repente in suspiria dissolvi, totus abire in lacrymas coepit, ac tandem in ejusmodi erupit voces: Eheu quid volui misero mihi, ut Christi dicerer inimicus? meorum ille me sodalium Principem designaverat, traditisque Caeli clavibus, mihi illud aperiendi fecerat potestatem, adjeceratque ligandi & solvendi Pontificium. Tantis ego cumulatus donis, quod profiteri maxime debebam, negavi, me ejus esse Discipulum. Quid est, quod ad tam nefarium facinus terra non trepidas? Miserum me! Quid feci, quasi vero, Christo relicto, alium ei parem nacturus essem? Nunc vero ab eo vicissim relictus, quo me vertam? Aut quis me suo recipiet tecto? Tuas, oro, fores aperi mihi, bone & suavis Domine, ut in aedes tuas introductus, te videam, tibi adhaeream, tuique accessu luminis reviviscam. Quis mihi tam longa dabit vitæ spatia, ut dignas meo casu lacrymas profundam? Ecquid mihi obtigit? Dudum Apostolus eram, modo perfidus ac rebellis dicor, qui ante Praefectus domus audiebam, evasi nunc extraneus & hospes.

Atenimvero quis mihi laboranti succurret Medicus? Si Christum deseruero, cuinam gravissimis, quibus conficior, malis opportuna remedia praesto sint, qualia ille semper in promtu habet? Te igitur invoco, ad te confugio, qui quondam aegram mulierem mirum in modum sanasti, nunc animæ, quaeso, medere meæ, quæ confecta senio misere contabescit. Alterum me veluti Lazarum excipe, atque ut illi vitam restituisti, ita me morti eripito; illum non pauci praesentes aspexere mortuum, me non item. O qui pridem illum e tumulo tuæ vocis imperio excitavisti, meliorem mihi, precor, hodie largire vitam. Corpus dumtaxat Lazari contabuerat, mihi corpus cum anima labefactum & pessumdatum est: utrumque, Domine, optatissima delictorum remissione reficito; opus est tibi obvium minimeque arduum, ac difficile: si tantum innuas, res illico perficietur; quamque unice cupio salutem, consequar numeris omnibus absolutam.

Procellosis maris vorticibus prope haustus te olim invocavi, porrectaque manu periculum discussisti; aliud in continenti onge gravius mihi incumbit malum, perfi-

perfidia iſtic enimvero me merſit, & ſuffocavit; idcirco te etiam atque etiam exoro, ut capitalem hanc a me peſtem, & diſcrimen avertere non dedigneris. Quem ſupplex adeam, aut quale reſtat poſthac perfugium, ſi mihi facilem ad te aditum intercludas? Tui ſimilem non habeo defenſorem; ne me, quaeſo, abjicias, rerum ſpes unica & tutela certiſſima. Succurre, precor, opem imploranti, nec velis in clade omnium acerbiſſima connivere. Quas fudit lacrymas Simon, veridicos intimi doloris teſtes Poenitentia excepit, & Judici obtulit; has, inquiens, lacrymas tibi mittit peccator Simon; his, precor, vultum hominis delicti veniam petentis graphice expreſſum cognoſcito, unde peccatores diſcant commiſſa plangere, & mores ſuos ad bonam frugem quam ſtudioſiſſime revocare. Simonis luctus poenitentibus proponitur velut ſpeculum, in quo inſpiciant, quid ſibi facto ſit opus. Quiſquis ergo Simonem imitatus eſt delinquentem, eundem ſua delicta plorantem ſequatur. Hoc qui faciet, id enimvero conſequetur, ut quemadmodum ille, ſic ipſe eorum, quos flagitii poenitet, aemulatione, iterum in gradu priſtino divinitus collocetur.

Heu quale mihi incidit malum! clamabat Simon triſtia per noctem aſſidue ſuſpiria renovans. Hoccine eſt ſani hominis factum, ut quum a primo aetatis exordio ad meam uſque ſenectutem vitae laudabilem tenuerim curſum, collectas inde opes uno die, atque una facinoris admiſſione decoxerim? Succurre mihi nunc, Domine Deus meus, obſecro te, miſerere mei. Haec ubi deſiit Simon, quum prae lacrymis jam loqui non poſſet, aliquandiu, ut fit, defixus in cogitatione, conticuit; tum iterum Deum hiſce compellat vocibus: Utinam te, Chriſte occultorum cognitor nunquam denegaſſem. Eheu me miſerum, qui execrabili perfidia a meo praeceptore defeci, inque hoſtium numerum me contuli, Judam proditorem imitatus! Ad ovile tuum me reducito in devios Mundi tramites inconſulto abductum, ducentem celeri pede ſequar, vocantem pronis excipiam auribus; ovem illam me deputa, quaeſo, centeſimam, quam pridem deperditam, relicto grege requiſiviſti, & in tectum denuo reportaſti. Sic plane fiet, ut Gabriel, & omnium Angelorum agmina tibi Paſtori optimo inventam ovem, ac tuis revectam ad caulas humeris, reſtitutumque centenarium gregis tui numerum gratulentur.

Cant. I. I. Melior eſt amor tuus vino, & dilectio

[illegible]

ctio tua millibus rectorum : Vino tuo benedictionem consequuti sumus, calice tui Sanguinis reviximus; ideo caritatem tuam optimae quaeque animae laudaverunt. En peccatis meis extinctus oris mei decor, ope poenitentiae refloruit, cujus gratia eadem formae dignitas est restituta, quam mihi Baptismus contulerat. Sacris quidem ac lustralibus aquis nativam turpitudinem exueram, eximiamque adeptus fueram venustatem, quam modo auxit poenitentia, addiditque vestem arte sua elaboratam, & vulneribus in gloriam commutatis, ignominiam atque contemtum novo dignitatis & splendoris accessu magnificentissime compensavit.

PARAENESIS XV.

OH qualem sapis amaritudinem! Quantas, triste seculum, curas paris atque solicitudines! Quicquid mihi ope tua quaesitum fuit, ecce dilabitur & perit. Hei misero mihi, qui judicii diem jam imminere video, planeque sentio! Demens lucra putabam, sed detrimenta erant, quae ex tuis negotiationibus captabam compendia, sero tandem animadverti, ex navata tibi opera, mihi partum dolorem esse intolerabilem, praeterea nihil. Me miserum! jam advenit judicii dies. Ecce ad supplicium rapior & ad tormenta, quorum vim augebit in immensum aeternitas: hunc videlicet exitum paravere voluptatum irritamenta, quibus me ad ignaviam & luxuriam provocabas. Hei misero mihi, en advenit judicii dies! Tuis per imprudentiam delinitus illecebris, salutis meae curam abjeci: ecce ad poenam reposcor statutam improbis & sceleratis. Hei misero mihi, jam imminet judicii dies! Omnem vitam transegi nihil agendo, & o quale malum manet inertes, quos illa dies deprehendet circa pietatis opera desidentes! Hei misero mihi, en advenit judicii dies! O qualis incumbet metus facinorosis, qui suos in scelere & flagitio trivere dies! Me miserum, jam advenit judicii dies! Reus sum, crimina agnosco mea, & quid agam infelix, non explico, mox Judicis acerbissimo opprimendus adventu? Quin ergo vos beatos praedicem, qui justitiam colitis? At at quantas vobis, iniqui, maleficia vestra procudunt calamitates! Hei misero mihi, en advenit judicii dies!

Quid improvidi adhuc otio & ignavia languemus? Jam ecce defluxit aetas, judicium appropinquat, paratur Judicis sedes,

des, designantur justis ejus confessoribus subsellia; ego vero non expedio, quomodo meæ impunitati possim in eo judicio consulere. Me miserum! Jam imminet illa dies. Ecce contrahuntur vitæ meæ spatia; ignosce reo, mitissime Judex. Succensus jam apud inferos ignis sceleratos opperitur. Hei misero mihi, cui judicii dies approperato cursu prope jam imminet, suam cuique mercedem pro merito reddituræ! Et quidni ego tum tota mente totisque artubus contremiscam, quando Angeli imminentis judicii praecones a Judice missi, vadimonium singulis constituent, & sistendi comparendique in judicio designabunt diem, nec poterunt aut ullis leniri precibus, aut lamentationibus expugnari! Hei misero mihi, en advenit judicii dies!

Leges tuas, heu infelix, contemsi; quid in exitu meo me manet, nisi furiarum faces, desolatio & vastitas, quæ impiis parantur? Me miserum, en advenit judicii dies! Pie Domine, in angustiis meis invocavi te, exaudi me quantumvis immerentem, & reum; da mihi, precor, pacem & salutem. Hei misero mihi, jam imminet judicii dies! Eluceat inter nos, quaeso, beneficiorum tuorum magnitudo, ac tua mihi pietas oboriatur. Hei misero mihi, jam imminet judicii dies! Quamquam impurus sum, & indignus, qui me tibi orantem ac supplicem sistam, tamen enixe precor, quaesoque, lucem ut praestes mihi per regionem perpetua nocte obrutam iter facturo, indeque ereptum tua me clementia excipiat magno illo die, quo tua se totam prodet claritas & amplitudo. Hei misero mihi, qui judicii praesentio jam imminere diem!

PARAENESIS XVI.

Culpa precibus donatur, cave tamen, ut ante fratrum odia ponas, qui tibi delictorum veniam imploras. Repelluntur sine sale sacrificantes, & sine caritate orantes, cujus est clausa ostia recludere. Tuis ergo victimis salem inspergito, precibusque jungito caritatem; nec enimvero hostia sine sale litat, nec prodest sine caritate oratio. Quisquis a proximo tuo aversus es, Dominum tibi benevolum ac placatum habere non potes. Simultatem cum fratre tuo depone prius, si tibi tui Parentis gratiam conciliare perfecte cupis; Nam si fratrem tuum benigno heic non excipis vultu, nec te Deus optimus sibi loco amici aestimat. Jam si recte sapis, etiam

etiam atque etiam cura, ut illum in diſſidiis reconcilies, laetifices in moerore, in aegritudine viſites, & in jejunio paſcas. Quid plura? In itineribus ei viam ſterne & explana, pedes ejus lava, in triclinio primum accubitum ei concede, frange panem & porrige, imple poculum & propina, nullumque amoris in eum ac benevolentiæ argumentum praetereas, veſtigiis Chriſti inhaerens, qui hauſit aquam & ſacravit, peccatum tuum lavit, Corpus ſuum tibi obtulit, Sanguinem miſcuit & tradidit.

Nos felices peccatores, pro quibus ipſa excubat, vigilatque pietas! Quid igitur? Nonne ſi ei, cui ipſam animam debemus, unam lacrymulam afferamus, omnia nobis debita condonabit? Ita profecto; nam ipſum audio ſolicita voce clamantem, & blande compellantem debitores: ſyngraphas, ait, ſimul & lacrymas afferte; praeter poenitentiam non eſt, quod ultra petam. Videte, ne vos ad judicium properantes debita veſtra praevertant. Gratias tibi ago, Deus meus, qui duas tibi compoſuiſti manus, miſericordiam & juſtitiam, ambas protendis ſuper univerſos; altera caſtigat, ne perdat; altera fovet, ut ſervet. Ad decies mille annos deſiperes, ſi tantundem vita tibi maneret; nec ſuppetit tibi, quo tot nominibus obſtrictus, unum expedire ſufficias, quantumcumque laboris & operæ ad id contuleris, uſque adeo tua invaluere mala, uſque adeo ingrati animi vitio laboraſti, & adhuc laboras. Quin ergo Deum optimum admiraris & laudas, qui, ut bonitate ſua tuam nequitiam ſuperaret, veniam tibi promiſit, uſque fidem pollicitus, ſe tibi in triclinio primum accubitum ſupra tuos ſodales daturum, adjecitque, tuum item ad miniſterium ſeſe aſſurrecturum, modo te in adventu ſuo vigilem inveniſſet?

Cognita fatuus Judicis clementia, ſua exaggeravit delicta; vidit enim in promtu eſſe ſuis vulneribus medicinam, eamque levi labore, nec magno pretio parabilem, ut gratis donari videretur, ideoque ſuomet corpori haudquaquam pepercit, quin plagis concidendum committeret. Næ ſapiens ille praedicandus, qui etſi certus ſit, Dei miſericordiam ſibi peccanti poſt lapſum nunquam defuturam, nil tamen magis, quam peccatum timet; & quamvis optimam de rebus ſuis conceptam ſpem habeat, ſic tamen dies noctesque advigilat, perinde ac ſi vehementer de ſua ſalute ambigeret. Quis heic non

non laudet supremæ mentis consilium, quæ hominum improborum licentiæ duo repagula opposuit, suaves misericordiæ blanditias, & horrendas vindicis justitiæ minas, ut nimirum illorum ferociam compesceret severitas & metus, quos lenitas & clementia frustra in officio continere tentasset?

Heic porro mirari subit miserandam hominum stupiditatem, quippe qui minime recogitant advigilare sibi non aspectabilem scribam, qui singulorum dicta factaque observat, & in codicem refert constituto judicii die publice recitanda, quasi vero sustinere possent magnæ illius justitiæ in reposcendis rationibus severitatem, aut Judicem fallere, cujus scientiam nec minimus oculorum nutus, nec levis pupillarum motus fugit. Jam & hoc vobis maneat alta mente repositum, ne forte de vestra salute despondeatis, quod etsi magna sit Justitiæ severitas, attamen si peccator sua malefacta damnaverit, & unam modo si fuderit lacrymam, cuncta sibi delicta donanda fore. Rursus quo salutarem metum penitus animo haerentem retineatis, etiam hoc mente & cogitatione defigite, quod etsi Dei misericordiæ pelagus sit nostris peccatis inexhaustum, tamen si delinquentem se dedita opera peccavisse haudquaquam poeniteat, huic neminem in die judicii suffragaturum.

Tuam, Domine, sapientiam, cujus nutu atque consilio ista geruntur & providentur omnia, adoro, nec tamen pro officio, aut pro voluntate satis laudare possum, qui geminos hosce fontes maximo nostro bono miscuisti, justitiamque misericordia temperas, unde suavis & benigna est tua justitia, recta & aequissima tua misericordia. Quî ergo videre sustines lepram, quam ipsi certe videre non possumus usquequaque grassantem? Compleatur in me, quaeso, illud oraculum: *Omnis leprosus per legem mundabitur*. Item illud: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*. Et quoniam saevam vitiorum tyrannidem usque modo patior, contingat mihi, oro, mitissimum gratiæ tuæ imperium ferre ac dominatum.

Levit. 12. 14.
Ad Rom. 1. 20.

PARAENESIS XVII.

Libentissime Psalmos concinerem, si homini profano fas esset, augustissima Divinitatis adyta penetrando, ejusdem oracula impuris labiis temerare, & supremæ Majestatis laudes deterere hoc ipso, quod illam suis ad Caelum laudibus efferre audet.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

[illegible]

audet. Eho dicito, sodes, num decere credas arcana divina ab illo tractari, quem nec dignum putas in concione hiscere, aut loqui? Atqui nec silere licet laudes ejus, qui diserta facit ora peccatorum. Os homini datum fuisse, puta, quasi vadum & ostium; inde licet erumpant frequenter inhonesta ac turpia verba; non hic tamen Opificis scopus fuit, qui interioribus adytis templi hanc velut exteriorem portam adjecit. Summi illius Architecti benignitatem mirare, qui celsitudinem suam ad nos demisit, ut in nostris aedibus habitaret. Magnum est, si quis se noscat, & cetera quaeque pro modulo suo comprehendat. Non mirum itaque si sanctissimum illud Divinitatis adytum intrare nostrarum mentium parvitati severe interdictum est. Quocirca praedicanda est, & plenissime laudanda illa majestas etiam ex hoc capite, quod peccatoribus accessum non prohibet, nec ipsorum laudibus authoritatem suam imminui ac dedecorari credit.

Si accidat aliquando virum honestum labi, errare, decipi, atque in dedecus offendere, tum præ verecundia amicorum conspectum fugit, in publicum prodire non audet; quin nec patitur audire, se aliquando probum fuisse; sed omnem sui memoriam omnino perire cupit, unaque simul propriæ ignominiæ obliterari famam. Vos autem, Fratres, quos non latet, quantum sit in hisce rebus inane, satagite supremum judicem vobis propitium reddere: discite nullam in terris diu manere sui similem rem, omnia torrentis instar effluere, ac demigrare; Majorum opes, oris decor, splendor generis, nomen, imperia, magistratus e nihilo crevere, & mox in nihilum, perinde ac si non essent, infelicissime relabuntur. Talia contuentes, illud sempiternum numen reveremini, cujus imperium nunquam concidet; reliqua omnia, quæ vulgo amplissima dicuntur, caduca sunt, nec eorum jactura nos terrere debet, quum somnia sint, mentisque nostræ ludibria quascumque Mundus offert, opes.

Viden' quid hominum mentes exagitat, quid eos fabulam facit? Fragilis imago, somnium & umbra. Suis nos blandimentis illexit & decepit externa corporis pulchritudo, quam utique conservare non possumus. Scimus profecto, divitiarum copiam domino nihil prodesse, etsi in iis quaerendis perpetuis fatigetur curis. Ad exitum hodie properamus, ut heri, sic nobis omnes occidunt sine fructu dies. Mirum

Mirum qui fiat, ut nullum nobis fastidium sui moveat Mundus jam senex, jamque ad occasum vergens, & ad interitum festinans, nec sentiamus fluctuum, per quos navigamus, aestum! Obsecro, ferto opem miseris, Deus optime maxime, qui genus nostrum non deseris, praesta mentibus nostris intelligentiam, ut sciamus, infra te jam nihil esse, nisi mortale & caducum; & vulneribus nostris salutarem praepara medicinam, ut ad meliorem frugem, poenitentia comite, redeamus. Visita nos, ne in nostris obstinati obduremur peccatis. Fons misericordiæ tu noster es; tu igitur animis nostris honestatis & justitiæ memoriam infigito; turpitudinem namque & nequitiam plusquam satis hucusque consectati sumus. Pastor omnium vigilantissime, nostra, precor, a nobis damna avertito. Exiguum istud bonæ voluntatis munusculum a nobis accipe, tuaque nos virtute corrobora. Non habet anima nostra, unde magnitudini tuæ donum aequale ferat; Crux tua, Domine, te nobis placatum reddat, quæ nos ipsos tuæ pietatis admiratores fecit. Infra peccata nostra nostræ sunt preces, nec bona, quæ dicimus, aequant mala, quæ fecimus, neque verbis nostra solvuntur debita. Quanam ergo hostia nostra poterit expiari noxa? Quid dabimus, quum extrema laboremus inopia? Tu qui misereris omnium, quæ fecisti, tu nos redde tuo Sanguine expiatos.

Cui posthac placebis, vanitas Mundi domina, quando tuis conflictari aerumnis nemini non displiceat, nec ullus damnis subesse velit, commoda & emolumenta tua secuturis? Unum est, quod nos tibi adstringit vinculum, sane grave & molestissimum, vita praesens. Laus & gloria tribuatur supremæ potestati, quæ nos a te avellit etiam invitos. Si intemperanti incubuerit mors, os ventris mancipium, ingruente morbo, obstruet, e digitis excutiet vino spumantes pateras. Euge quicumque sobrius tibi a vino abstinendum statuisti. Quaestus nostros & collectas opes haeredibus transcribere mors adiget, culpam autem nobis hærentem, & veluti onus cervicibus imminens deponere non dabit. Cutis nostra, tamquam liber erit descripta intus & foris exhibens omnia malefacta. O vos beatos, qui a curis omnibus separati, uni salutis negotio sedulo ac diligenter vacatis!

Multa bona, quibus adhaesimus, effluxerunt; iis, uti voluimus, peccavimus, nec sic evasimus, uti sperabamus. Divitiarum

[illegible]

tiarum amor, quæ nos multis curis implicitos tenuerunt, dominos minime ſequentur vita functos, quos tamen peccata ad ſepulcrum euntes praevertent. Felices magnanimi, quorum fortitudo in labore ac dolore ſpectata eſt! Exultat adverſarius aſpiciens, quas collegimus opes, nobis alio deportatis, ad haeredes transfugere, noſtra autem peccata nos ad judicium accerſitos, illuc citato curſu antevertere, ut coram Domino ſuos nos eſſe auctores accuſent. Te autem in primis beatum dico, cui ſalutis noſtræ reparator promiſit fore judicii diem & jucunditati & gloriæ.

Quis ſimilis tui naturæ Conditor? Quis tuam erga nos clementiam & benignitatem imitetur? Etenim ſi nobis poena pro merito ſuſtinenda eſt, aequiſſimo Judici obſtrepimus; & ſi bene nobis fuit, & proſpere coeptis ſucceſſit opus, ad ſuperbiam ferociamque inſoleſcimus. Benedictus, qui ſingulari tua lenitate mores noſtros aſperos & difficiles patientiſſime ſuſtines, illataſque tibi injurias mira caritate diſſimulas. Ad ovile tuum animam, quaeſo, meam reducito; Erravit enim ſicut ovis, quam inveniſti; illam in tutum refer, vetuſto exue vellere, & novo exorna, ut ambae omnipotenti Domino ſine metu appareant. Gloria Aeterno Patri, qui poenitentes miſeratus, te miſit in terras humani generis Salvatorem; tua quippe gratia noſtræ ſecuritati conſultum eſt. Tu crucem ferendo & peccata noſtra & mortis Chirographum ſuſtuliſti, tu quaecumque debemus declarabis remiſſa, quando gratiam tuam in ſeculorum exitu manifeſtabis. Adventum tuum laudamus, pie Domine, qui ſummam peccatoribus impertis miſericordiam.

PARAENESIS XVIII.

[illegible]

ILlos igitur ter & amplius beatos appellemus neceſſe eſt, quos Divinus Sponſus jam ad nuptias vocavit ſuas, ſibique comites adjunxit in triclinio diſcumbentes, hoc eſt in illo virtutis regno, cujus nunquam eſt intermoritura ſuavitas. Heu quam miſeranda clades imminet impudenti, qui lugubri indutus amictu in illius auctoritatem loci temere ſeſe intrudere auſus eſt; gravi namque ſtrictus compede tenebricoſum in carcerem praeceps dabitur nocti ſempiternæ addictus. At contra qualis, quam beata Civitas excipiet vos, integerrimi caſtitatis & abſtinentiæ cultores, voſque viri foeminaeque ſanctiſ-

 ſimæ,

ſimæ, pura & integra virginitatis gloria venerabiles, & victo debellatoque Diabolo triumphantes! Vos ſcilicet ad immortalitatem, ad gloriam natos Filius Regis in aulam ſuam magnifice deducet, & omnium bonorum acceſſu feliciſſime cumulabit. O qualis, quam jucunda voluptas! Quam magnum ad laudandam Divini Numinis beneficentiam incitamentum! Sed o miſeram conditionem! O calamitatem maxime deplorandam illorum, qui quam longiſſime a tantæ beatitudinis jucunditate rejecti, turpiſſimum exilium pati omnem ultra aeternitatem cogentur, ubi magnis etiam precibus impetrare non poterunt ad reſtinguendam ſitim tantum humoris, quantum haerere poſſit extremo digito in fontem immiſſæ manus!

Miſerum me! Quantam malorum audio mihi imminere acerbitatem, ſi mihi ad regni Caeleſtis oras aditus intercludatur! O me ad extremum uſque felicem ac fortunatum, Domine, ſi ad tuum conſpectum admiſſus videro, cauſam meam miſericordiæ viribus eo exitu perorari, ut apud tuam juſtitiam ſeveriſſimam delictorum vindicem, impetrata ſcelerum praeteritorum venia, mihi liceat vitam in Caelis agere ab omnibus periculis tutam, & nulla temporum viciſſitudine diſſolvendam!

Viden' apertas ad beatitudinem vias, jamque patefactos ad Caelum aditus? Quave parte ad Caeleſtem gloriam ſe pandat iter? Scilicet undequaque difficultates maximæ & frequentiſſimæ tentationes viatores infeſtant, inſequuntur & premunt uſque ad confinia regni, quo fortes animæ pervenire moliuntur. Videſis, indocte, ne tua te angat inſcitia, nam ſi fueris bene probus, & bene doctus eris, ac utique homines vel natura callidiſſimi habebunt, quæ a te diſcant, plurima, ſecus & ſi fingas, te tua ſapientia eo evaſurum, unde ſcias Solis curſum ſiſtere, & Oceano ſpatium circumſcribere, ſi modo abſint bona facta, nullus eris, nec ullum inter ſapientes locum habebis. Advena quum ſis, tuo diverſorio contentus eſto, neve datum ad brevem horam domicilium mutes, nec amplam tibi moliare domum, neque ſitum, qui tibi in ſortitione non obtigit, occupare velis; Ædiculam ad tuas anguſtias metire, tantum ſpatii cape, quantum tecto ſufficiat; cave in alieno ſolo operam inſumas tuam, ne laborem extraneo profuturum ſuſcipias.

Fortunatas merito dicimus prudentes Vir-

A B C D E F [illegible]

A Virgines, quæ cum divino Sponſo intrarunt ad nuptias, propterea quod quum ejus amore vehementer flagrarent, ejuſque adventum avidiſſime expectarent, inſomnes totam fere noctem egere, in primis ſolicitæ, ne proviſa maximeque neceſſaria olei copia lucernis deeſſet: infelices contra damnandæ ſunt earum ſodales fatuæ, quibus ingreſſum in triclinium interdictus fuit. B Quum enim eas in ſtruendis oleo lucernis vacare oporteret, obrepens ſomnus oppreſſit, utpote de adventu Sponſi parum ſolicitas; & quamvis poſtea nuptialis aulæ pulſarent fores, inde tamen rejectæ ſunt. Duo Virginum ordines duas deſignat regiones, alteram, in qua ſummi Regis aſſurgit auguſta Domus, quæ latiſſime patet, & ad Caeleſte convivium vocatos excipit & conſervat; C anguſtiſſima vero alteri circumſcripta ſunt ſpatia, quam Gehennam dicimus, quæ coacervatis iniquorum corporibus rato tempore opplenda eſt. Ceterum nec illos beatiſſimæ vitæ jucunditas deſeret, nec iſtis dolor mitigabitur, & perpetuus luctus, utramque ſortem pro aequitate & merito, ſingulis diſpenſante ſupremo Judice, gratiam fruſtra deprecantibus iis, qui recte facta ſecum afferre per oſcitantiam & ſo- D cordiam neglexerunt.

Age, quid ceſſas, Paule, potiſſimum Eccleſiæ noſtræ columen & propugnaculum? Quid ceſſas, inquam, quaſi non videas tuas ab hominibus paſſim proculcari leges? En avaritia & inſanus amor habendi, quem quondam a mortalium animis evellere tuis praeceptionibus ſtudebas, hodie ubique regnat, adeo ut, ſan- E ctioribus Templi adytis occupatis, Sacerdotum gulam eliſerit, & iniquis contractibus plurimos de populo promiſcue captos extinſerit. Sacerdotium, cujus ſanctitati tuis ſatis cautum decretis fuerat, hodie venale habetur. Calcatam a juſtis ad Caelum viam ſcientes volenteſque deſeruimus, hiſque potiores duximus devios tramites, & ſalebroſas atque horrendas crepidines, unde vix evitabilis imminet F in tartarum ruina. Quod ergo maxime noſtra intereſt, Cariſſimi, agamus, ut noſtrorum ſcelerum recordatio nunquam non moerentes & afflictos habeat. Vis quippe doloris unica vitæ turpiter anteactæ tempora obliterabit; Quicumque proinde peccavimus, ſuſcipiamus debitas peccatis poenas, lacrymiſque delictorum ſyngrapham eradere ſatagamus.

Neminem inconſulta ſcientiarum cupido fallat; Si ergo tibi literis operam navare

navare sedit; cave, ne illarum studium tantopere te solicitum habeat, ut tuum in virtutibus profectum negligas. Neque enim tanta literarum cura habenda est, si recte sapis, ut non longe major bonorum factorum solicitudo te angat. Qui sapientiam appetis, dignos sapiente mores induito: Vide, ne sine lege scientiam quaeras; Non enim implent magna dicta, sed bona facta legem. Doctrinæ studium multorum ingenia exercuit, quos tamen fama, repugnantibus eorum moribus, a stultorum censu non exemit; alii contra quanquam nihil quaesivere aliud praeter justitiam, longe tamen post se viros etiam sapientissimos reliquerunt, tibi potius esse debet agere, quæ non legis, quam legere, quæ non agis. Felices habeto non qui legis periti sunt, sed qui legem observant. Nunquam legas, ut videare sapiens; non ille perfecte sapit, qui arcanorum involucra evolvere plane didicit; satage, ut clara & explicata, quæ legis, opere compleas, neve in nuda scripturarum intelligentia subsidas. Qui enim potest suis moribus erudire rudes, is in primis doctus habendus est.

Quum virtus in actione consistat, ideo qui in scripturis evolvendis operam ac laborem consumit, ea quæ legit, opere exequatur necesse est; Quum Praeceptor sapientissimus, qui nos nullis omnino suffragantibus meritis elegit, id a nobis in primis exigat, ut in usu habentes, quod nobis ipse tradidit, immortalis gaudii praemia adsequamur. Bona quidem est mandatorum intelligentia, sed multo melior executio, adeo ut merito illum animadversione dignum dicas, qui ea, quæ didicit, actu perficere negligit. Satagite ergo, carissima mihi capita, ut id quod legitis, discernendo, illa dumtaxat admittere studeatis, quæ vobis benevolum faciunt severissimum Judicem, cui de minimis etiam cogitationibus mox sumus rationem reddituri.

Humanæ vitæ initium, & primus gradus est, ut naturæ morem geramus, ejusque legibus pareamus & quæ hominem decent, actu exequamur; succedit secundus, isque videtur instar absolutæ virtutis esse, si integre sancteque vivendi praecepta discamus, & quæ didicimus, eadem opere compleamus. Succedit tertius his omnino contrarius gradus, qui plagis plane dignos nos efficit, si quæ operoso studio apprehendimus, actu perficere negligamus. Nec non postremus, qui stultitiæ nos arguit, si ignorare velimus, quæ perfice-

[illegible]

A perficere detrectamus, otiumque diſcendi ſtudio ſuppeditandum non adamemus, quia negotium virtutis exercendæ plane faſtidimus.

Heic porro animadvertitis, credo, Fratres, quantum ab officio diſcedant illi, quos quum ſcripturas legere minime delectet, ac magis etiam pigeat, ea, quæ didicerunt, amplecti, eos nihilominus carpunt, qui ſacros Codices frequenter evol- B vunt, & quæ inde hauſere praecepta, opere complere ſtudioſe ſatagunt. Enimvero ſi is, qui omnes perfectæ cumulataeque virtutis numeros abſolverit, attamen ſi inde ſibi placere, & hominum laudem aucupari occipiat, ipſa animi levitate, mentiſque elatione omnem praeteritorum, bene honeſteque factorum gloriam amittit, & prorſus obſcurat, an non ille po- C tiori jure reprehendendus videatur, qui fratres, ea, quam dixi, cauſa aſpernatur & reprehendit?

Ego vero neminem eo feliciorem dicam, quam qui ſcripturis divino ſpiritu nobis traditis, aures eodem Spiritu plenas praebeat, & Codicem percurrendo prudenter cogitet, quomodo praeceptum ſibi ob oculos propoſitum obſervare cum laude poſſit, is profecto intelliget, quam D juſto ac aequo jure ipſe ſibi iraſci, ſeque arguere debeat, qui non illata vi, ſed ſua libera voluntate peccaverit; Unde porro moerens & afflictus in luctu aetatem traducere decernat, praeteritaeque vitæ dies inutiliter & otioſe tranſactos utili poenitentia compenſare.

PARAENESIS XIX.

[illegible]

E PIE Pater, cujus in manu felicitas noſtra eſt & calamitas, tua gratia ſanctifica me, maculas terge meas, & lava hyſſopo, qua candorem rebus impertis omnibus. Vulnera mea ſana, ut in priſtinum reſtitutus, laudibus ubique proſequar beneficentiam in me tuam; id, quaeſo, effice ope tua, ut ex tenebris ad lucem redeam, & e fovea, in quam lapſus F ſum, felix evadam; quoniam prodeſſe omnibus ſoles, obeſſe nemini, porrige mihi dexteram, & miſericordiæ tuæ beneficio incipiam ducere de Caelo vitam. Rapuit me adverſarius, ornatum meum abſtulit diſſipavitque, & inutilem veluti truncum me reliquit, omne ſplendore turpiter denudatum. Sed illud me recreat, ac reficit, quod in die judicii pietas tua inopiæ meæ ac ſolitudini praeſto erit. O quam terribilis eſt futura judicii dies, quum

quum a singulis exigentur rationes operum & cogitationum, & ipse oculorum nutus ad stateram Sanctuarii examinabitur! Judex clementissime, in illa hora absolve me, quia reus sum. O qualis dolor! O quanti gemitus futuri sunt, quando omnia, quæ in deliciis habuimus, nos plane deserent, & unusquisque nudus stabit ad judicium mox ducendus! Væ illi misero, qui similis mei sua exaggeravit crimina, qui peccata commisit & celavit, ne heic dedecus sustineret, ac propterea illic in die judicii digito monstrabitur, ac per hora hominum traducetur!

Tunc temporis omne genus hominum contremiscet, quum singuli secundum opera sua judicabuntur, & unusquisque a seipso vel absolvetur, vel condemnabitur. Delicta mea multiplicata sunt nimis, & dies mei dissipati sunt, & defecerunt; advenit meæ vitæ finis, & nullus poenitentiæ fructus apparet. Itaque si aberit misericordia, hei mihi in die judicii! Felix, qui parum in hoc seculo laboravit, & in seculo nunquam praeterituro regnum haereditabit, quia etsi modicum laborem sustinuerit, multam referet mercedem. Dies obitus, dies amara est, in qua anima & corpus ab invicem separabuntur cum dolore, tristitia, lacrymis & singultibus. Omnes moerebunt, hoc luce clarius intelligentes, nihil esse ista, quæ diligimus, & omnia, quæ nos delectarunt, tanquam somnium avolasse. Nulla est in tuo judicio, Domine, acceptio personarum, quia unusquisque juxta opera sua in illo recipiet, si bene egerit, regnum; si autem male, tormentum. Quis non stupebit, & ingemiscet, quum viderit promiscuum vulgus in partes dividi, & suam singulis assignari sedem, & alios quidem ad lucem transferri, alios ad tenebras? Misericordiam tuam laudamus, quæ peccatoribus veniam elargitur, adoramus justitiam, quæ de iniquis & rebellibus poenam sumit, admiramur utramque, ut bene beateque per utramque vivere valeamus.

Spes poenitentium Jesu, aperi mihi ostium miserationum tuarum, & porrige mihi manum tuam, quæ obliget vulnera mea, & ulceribus medeatur. Merito mihi irata est justitia tua, quia non respexit ad misericordiam, alteram regni tui sociam & administram. Ambarum opetu, mihi, Domine, praesto esto, & ego per ambas salvus ero. Patet thesaurus tuus quærentibus te; qui tamen eo locupletari cupiat, virtutum ornamentis praestare debet.

A debet. Ego vero, cui ex ignavia & socordia mea superexaggeratæ sunt sordes, ad tuam confugio supplex misericordiam, ne peream. Mea me prava voluntas, quæ tuæ obsequi voluntati noluit, ad tuam imperii sedem adduxit, ut tuis voluntatibus obsecundem, & gratiam majestatemque confitear, quæ de poenitentium constantia mirum in modum gaudet. Suscipe pro B tua benignitate deprecationem meam, teque mihi placatum exhibe, & in die adventus tui, ea, qua vales plurimum, misericordia vitam tribue, ut confundatur diabolus, cernens, me apud Regem omnium maximum invenisse gratiam. Magnum est hoc, quod improbis datum est, ut si is, qui peccavit, peccasse se doleat, ejus syngrapha deleatur. Ego vero etsi poenitentiæ remedio destitutus sim, tua C tamen pietate fretus, salutem non despero.

Illum laudemus vere bonitate Optimum & magnitudine maximum, qui descendit, & factus est unus ex nobis, nostraque sanavit vulnera & scelera expiavit. Omnia te laudibus efferant, Rex Regum, Deus; laus & gloria sit mitissimo Filio tuo, qui quotidie onus nostrum portat, etsi noscat nos esse malos. Nos ipse creavit & modo nutrit, & suo Sole D illustrat, cujus lumine Mundum efficit speciosissimum. Misericors esto, benignissime Domine, & protende mihi dexteram tuam, qui sine fine bonus & pius es, & errantem ad tuum ovile reducito, ut fiam beneficentiæ tuæ particeps & praedicator. Januis tuis haerebimus, & nomen tuum supplices invocabimus, quoniam inde refert, quod quisque petit; ea E est tua pietas, ut omnes rationes ferendæ nobis opis disquirat.

Peccata mea, quæ tamquam maceria me a tua bonitate secernunt, tuo numine labefacta concidant, mihique aditus ad tuam gratiam patefiat, & ubi abundavit malitia, ea superabundet caritas, quæ me ad tuam provehat altitudinem. Dum conscientia perterritus, in lamentis luctuque jaceo, id, precor, effice, ut F ex scelerum recordatione, quorum memoria haerebit animo sempiterna, eos fructus consequar, qui meam aegritudinem in die judicii consolentur. Felix, quem tua, Domine, misericordia excipis! Quia non aspernaris, quem ex corde diligis, ne me despicias Domine, neque finas, ut me Diabolus perdat. Propitius esto mihi, qui nihil sum; placatus, inquam, & propitius esto propter misericordiam tuam, & immerenti igno-

sce; multa sunt delicta mea, ut eorum veniam consecutus, laudem clementiam tuam cum iis omnibus, qui nihil antiquius habuerunt, quam ut, ne lato quidem ungue, a justitiæ tramite aberrarent. Omnes nanque tuo judicio rei & damnabiles sumus, quoniam legem tuam, per quam victuri fuissemus, impudenter violavimus. Me quoque cum omnibus despiciendum, & præ omnibus repudiandum, ne, quaeso, indignum deputes, cui ignoscas, cuique gratiæ tuæ dono liber ad te detur accessus.

Enimvero mihi omnibus vitæ meæ diebus jucundum fuit, legem meditari tuam; ideo fac, oro, ut merear cum justis te laudare, & clamare: sit illi gloria, qui mei misertus est, & laus ei, qui mihi mea peccata dimisit. Altitudo laudat te, glorificat te profundum, omnia adorant te, quia tu omnia creasti, Domine noster misericors, rerum denique universitas de tuis laudibus ubique personat. Quisquis est alieno aere obstrictus, si recte sapit, creditori placere assidue studet; quum enim non habeat, unde in integrum satisfaciat, ipsum orat, ut debitum dimittat. Ego vero, qui nequeo contractum reatum pio labore expungere, Judicem precibus flectere conabor, ut quantumvis immerenti pro sua misericordia pacem propitius concedat, meisque ut ignoscat peccatis.

[illegible]

PARAENESIS XX.

Omnium ille auctor perfectorque bonorum sic sua dona dispensat, ut utilitatis inde accipientibus proventuræ rationem habeat; Quamobrem si quæ petuntur, aut noxia aut inutilia fore praevidet, ea petentibus negat. Omnium, quæ postulantur, bonorum inceptor & perfector est Deus, eaque ejus est conditio, ut qui vacuus ab eo redit, non secus ac ille, qui accepto munere suas preces ratas fuisse sensit, propriæ inopiæ subsidia ferat; nam si ad illum unice ac vere Bonum duo accedant, mendicus alter, & alter reus, & illi quidem propitius Deus victum largiatur, & isti culpam condonet, neuter ab ejus foribus repulsus sine munere recedit, mendicus, subministrata annona, egestate liberatus est; reus impetrata delicti venia, effugit poenam. Omnibus ubique modis nos suis divitiis cumulat, & miseros relevat, etiam quando precantes abjicit, & negat, quæ nobis perniciem exitiumque allatura videt, quantumlibet nos

[illegible]

[illegible]

A nos futurorum ignari insistamus, ut tribuat; magni enimvero beneficii loco habendum est, magnum avertisse malum, nec nobis grave videri debet, si vota repellit, ut damna prohibeat; ostium quippe felicitati aperit, qui calamitatibus aditum intercludit.

Nullum in summo largitore locum habet commune orantium vitium; ideo puerum, qui parum prudentia valeat, ab-

B surda petentem repellit, eaque dumtaxat tribuit, quæ rationi consentanea sunt; Quæ enim ab honestate abhorrent & a lege dissentiunt, negat; talia quippe postulare ejus sapientia aut stultitiam existimat, aut impudentiam singularem. Conditionem itaque petitionum ipsarum indicat exitus; Nulla siquidem contemnitur, modo noxia, aut otiosa non sit; omnis

C admittitur, si tamen innocens & utilis habeatur. Justus & bonus est largitor, quæ petis negare non potest; nec enim malitia in summam bonitatem cadit, neque in summam justitiam invidentia. Si autem cunctatur dare, quod postulas, non inde arguas, illum detrectasse promissa; sic porro tecum agit, ut post experimentum laudet patientiam tuam; non enim, nisi post transactum meridianum portantes

D pondus diei & aestus dijudicare potest, quod quidem onus ubi constanter tuleris, tum vero navatæ operæ mercedem alta voce reposces, & ille duplo majorem merito reddet; diurno siquidem praemio adjiciet clarum suæ Divinitatis aspectum.

Et sane si largitoris ostium pulsare insisteris, quamvis nihil accepisse videaris, patientiam certe referes, donum utique omnium, quæ moliebaris, praestan-

E tissimum. O praeclarum largitorem, qui dum precantem abjicere videtur, ampliora, quam ille petat, impertit! Ea est ejus sapientia, ut postulata prius consideret, & concedendæ gratiæ momentum exploret; ac si quid minus opportunum comperiat, largitionem in tempus commodum rejiciat, quantumlibet mora petenti gravis accidat & molesta, utpote rei suæ con-

F ficiendæ tempus aptissimum ignoranti, quo nimirum idonei temporis opportunitate munus reddat ex hoc etiam capite gratissimum.

[illegible]

PARAENESIS XXI.

OMnipotens ultionum Deus, cujus judicium rectum est, & cui omnia vel occultissima ante oculos obversantur, aequissimo judicio tuo ne me tum arguas & con-

[illegible]

& condemnes, oro, quando omnes erunt animorum latebræ manifestandæ. Iis, quas quondam Peccatrix obtulit, lacrymis, sua delicta absterſit: ecce iterum tibi lacrymæ deferuntur, ut illis vim eſſe maximam voluiſti, ſic effice, ut harum pondus fauſtum, felix, fortunatumque ſit. Suis artibus me Diabolus irretitum decepit, mentemque meam ſuis illecebris in ſervitutem abduxit, illum, Domine, longe a me repellito, meque ejus poteſtati eripito, ne me diſcerpat. Judica, Domine, judicium meum, & ab immani adverſario meo vindica me, qui venenatas in me ſagittas tamquam ad ſignum convertit ſuas; Miſericors & potens es, id igitur efficias, oro, ut ſua ipſum tela confodiant. Adjutor eſto miſero mihi, qui defenſorem habeo praeter te neminem, abſque cujus auſpicio mox ille nequam mihi victo profligatoque, ut primæ generis noſtri parenti, temere inſultabit.

Hei mihi, ſi ad cenſuram omnia revocentur, & ad vindictam, ubi delictorum defenſio non admittitur! Contremui vehementer audiens, ſceleratos & improbos fore ignibus explorandos. Quidni vehementiſſime contremiſcam! Brevi marceſcens ſum ego floſculus, & larva inanis: ſi te videro perſonam Judicis ſuſtinere, primo ſtatim aſpectu miſere evaneſcam. Clementia tua, Domine, quæ tibi potuit pro generis noſtri reparatione de arbore infelici ſuſpendium perſuadere, illa illa te clementia praeoccupet, atque moveat, ut noſtræ valeant apud te preces, ſicut tui pro nobis ſuſcepti labores, tua mors, tua vulnera tantopere valuerunt. Jeſu, qui omnes tuo Sanguine redemiſti, & morte tua monſtrum teterrimum alligaſti, nunc opus exple, quod inchoaſti; Diaboli nempe vincula, manicaſque atque compedes frange: ejus audaciam increpa, ut a me infelici recedat, & mecum aſſidue decertando fieri voti compos nequeat. Quoniam flagitia mea quantumvis maxima tua caritate operuiſti, huic beneficio tuo aliud etiam adjungas velim, ut voluntati tuæ ſemper in poſterum adhæreat voluntas mea.

Ne in manibus inimici relinquas me, nec ratos eſſe conatus ejus improbos, & ſceleratos ſinas, qui Corpus & Sanguinem tuum immiſcuiſti mihi, & frontem meam regalibus Crucis tuæ inſignibus nobilitaſti. Adjuva me, Domine, quia infirmus ſum, & propitius eſto mihi miſero, quia peccavi nimis, ſanctifica ſenſus meos, ut incedere tandem geſtiant

A B C D E F

[illegible]

A ſtiant per viam regiam; oriatur lux tua cogitationibus meis, quæ radiis tuis exhilarentur, & fulgore gloriæ tuæ laetentur, quia tu es Sol complens omnia luce tua. Turpitudinem noſtram hyſſopo tua dealbes, obſecro, ut maculæ meæ Sanguine tuo deleantur, & Corpore tuo abſtergantur occultæ ſordes cogitationum mearum.

Labitur mundus, & eſt quaſi non ſit, judicium autem ſtat, nec diſſolvetur. Sed B o rem difficilem & inexplicabilem, ſi tu in judicium tuum inducas me, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens! Os tuum nobis promiſit fore ut quicumque invocaverit te, ipſum exaudias: ecce invocavi te, Domine, ſicut praecepiſti, exaudi me, ſicut promiſiſti. Inclina aurem tuam, & audi vocem meam, Fili Dei, qui eximia caritate tua corpus no- C ſtrum induiſti, & gemitus noſtros ſuſcipe, qui pro iis, quæ nefarie admiſimus, offeruntur. Revoca cogitationes meas ab errore, & transfer mentem noſtram ad alteram vitam, quæ nullo vel motu concuti, vel injuria diſſolvi poteſt. Corripe me in miſericordia tua, ut erudiar, & in multitudine pietatis tuæ poſſide me, ab errore peccatorum revoca, & agnis tuis ad dexteram tuam locandis adjunge me. D Simonem, qui te invocavit in fluctibus adjuviſti, ne mergeretur, me quoque, ut Simonem, erue a turbulentis hujus ſeculi tempeſtatibus. Sit laus tibi, qui genus humanum perditum ſervaſti, & humeris tuis ſublatum in domum Patris tui introduxiſti.

PARAENESIS XXII.

E Fili Dei, cujus in nomine oportet nos ſalvos fieri, ne irrita eſſe jubeas deſideria cordis mei, quin etiam vota mea idem velle, eodem ferri tuis cum deſideriis impera; concede mihi voluntatem agendi, quæ bona ſunt, ut a voluntate tua nunquam declinem. Contine me, ne ſim diſcipulus doloſus, & pecuniam poſſideam, & ſolvam legem; Tribue mihi, F ut fiam diſcipulus tuus verus, & viſibilia, quæ corruunt, odio habeam, inviſibilia diligam, quæ nullo vel motu concuti, vel injuria diſſolvi poſſunt. Libera me, ne intemperanter erogem ſtipem mihi largiter impertitam, & medicando congeram mihi pecuniam, quæ me tibi faciat debitorem. Largire mihi alimenta in menſura tibi non ingrata, & in tuis laudibus cogitationes invigilabunt quotidie meæ. Eripe me, ne ſit filius hominis ſpes mea,

mea, neve pendeam a ſpe ſeculi, quæ ſpes non eſt: da mihi, ut dilatetur cor meum in te, qui afflictorum anguſtias tollis, & dexteram extendis Unigeniti Filii tui, quæ divitiis cumulat indigentes. Eripe me ab illis, qui nomine tuo appellantur, ſed ipſos nimis anxia nummorum cura dies noctesque ſtimulat, & plane internecat. Iis me adjunge comitem, qui, quum in terris fuerint pauperes ſpiritu, neque peram, nec ſacculum poſſederunt. Dux eſto mihi, ne in via tua ad ſpeciem ambulem, non ad virtutem, & videntes capiam, ut beatum me dicant: hoc tribue mihi, ut ex meo placere majeſtati tuæ in occulto poſſim, & ſancta opera mea palam tuo nomini confiteantur.

Libera me ab eorum conſortio, qui tuis beneficiis abutuntur, & de tuo comedunt, nec tibi gratias agunt quantas maximas debent. Concede mihi, ut in abundantia, & caritate tibi laudes referam, nec quidquam audeam ſubmurmurare. Cave mihi, Domine, ne hujuſmodi perſonam agam, quæ videri, quam eſſe pudica malit. Habeat ſervus tuus magiſtram veritatem, & ab ea diſcat ubique modeſte caſteque agere. Libera me ab eorum ſupplicio, qui legem noverunt tuam, ſed placere tibi noluerunt; fac ut merear ſociari indoctis, qui ſin minus intelligentia, opere certe fuere eruditi, & ſapientes. Eripe me ab atrocibus poenis literatorum, qui omnes codices terunt, ac prope devorant, & omnia nefarie agunt. Interpretationes arcanorum ſenſuum loquuntur, & expoſitionem jactant grandium ſententiarum, mirabilia ſunt eorum dicta, praeclara, & culta; oculi autem eorum deficiunt, cum ad veritatis lucem ſeſe convertunt.

Legere quidem ſoleo, lecta vero non exequor; ſapere ad oſtentationem & ſuperbiam cupio, non ad virtutem; mentem ſiquidem ab errore arcere malo, quam voluntatem a ſcelere. Multum lego, quum nihil agam, in ſtudio diligens, in opere remiſſus & ſegnis. Scripturas aliis, quo magis reus fiam, perſaepe narro, quum juſtitiam in ipſis deſcriptam & lectam ipſe faſtidiam. Parcant, oro, humilitati meæ, qui ad triclinium admittuntur, & pro me convivii Dominum deprecentur. Ego interea his eum vocibus obteſtabor: omnia tu vincis, Domine, ego vero tuis licet inſtructus armis, mea voluntate victas dedi manus. Imbellis ſum, nec ad arma idoneus; imbecillitatem & ſocordiam meam tua virtute robora.

Caro

[illegible]

A Caro mea infirma eſt, tua virtute firmetur: contere auxiliis tuis tela doloſi, & ordini electorum adſcribe me, Rex potentiſſime. Concede hoc mihi, ut, quoad anima ſpirabo mea, ſim totus tuus, & quidquid tibi placet, fortiter ſine metu agam; quumque ſemel coepero virtutis opera exercere, in dies magis per te, Domine, roborer, ut, te bene juvante, laudabiliter ad extremum vitæ ſpiritum B perſeverem. Quoniam tua eſt virtus, per te ſtrenui & diligentes in acie vincant, & a te ad egregia quaeque opera eleventur; timidos autem & negligentes tua caritas virtute muniat, ne ulli mortalium praetereat momentum temporis fructibus & laude vacuum.

Quia imperium auſpiciumque tuum abnuiſſe me fateor, a tuo judicio libera C me, & quia non te negavi, ultio tua non me fulminibus plectat ſuis, quia nequam ego peſſime animæ meæ conſului, tua mei miſereatur gratia, quia bonus es. Peccavi, fateor, non ignoratione quadam, nec falſo metu, aut errore aliquo miſero funeſtoque compulſus, ſed cupiditate atque libidine: culpa teneor non erroris humani, ſed ſceleris. Scio me a mea libertate delapſum in ſupplicium ruere volunta- D rium non dubitaſſe: nunc autem dolore exanimatus clementiam invoco, quæ me juſtum efficiat. O qui oriri facis ſolem tuum ſuper bonos & malos, fac ut lux tua mentis meæ tenebras abigat diſſipetque; lumine tuo deleantur lethifera peccata mea, quorum deformitas noctem mihi attulit omni comploratione majorem.

Malum non videt Diabolus in me ul- E lum, cujus ipſe non auctor fuerit; per ipſũ enim omni ſum ſcelere coopertus; ideoque ex libero arbitrio illud ſum conſequutus, quod intermortuus ac plane perditus in anguſtiis jaceo maximis & miſerrimis: alligat me quippe Diabolus, quia ultro me illi obtuli alligandum. Inertes & viles tuum, Domine, jugum fugiunt, & quos ſui pigere debet, tuus non ſapit amor. Gloria gratiæ tuæ, quæ mater eſt F doctorum, quia ut ſint admodum dura flagella, quibus contumaces caſtigas, ſeveritatem tamen remittis, & manum porrigis ad alliganda vulnera poenitentium. Adoramus igitur Patrem tuum, tuumque Spiritum veneramur, qui vix dici poteſt, quantopere noſtro ad fidem, probitatemque reditu laetatur.

[illegible] PA-

PARAENESIS XXIII.

DEus, qui vocasti nos per gratiam tuam, ut ad te propius accedentes non pereamus; Pater misericordiarum, qui non semel dixisti. *Invocate me, & Ego exaudiam vos*: Ecce ostium tuæ gratiæ pulso; meas audiat preces misericordia tua, neque delicta mea respiciat. Propitius sis mihi, Domine, ob clementiam tuam, quia tuæ justitiæ debere plurimum me profiteor.

Tuis ego, summe Opifex, manibus compactus sum, tu me tuam imaginem appellasti, atque ad tuæ pulchritudinis similitudinem efformavisti. Tu me laudabilem, sed angustam vitæ docuisti viam, & ad ruinam latum spatiosumque callem mihi pariter ostendisti. Invidus ac perditissimus veterator mihi insidias ubique struxit, suisque dolis circumventum, ex recto justitiæ tramite me abduxit, & in sordes impulit flagitiorum ac scelerum. Heu quam longe, infelix, quam turpiter ab innocentia declinavi! At tu mihi, Domine, præsto sis, tuaeque gratiæ subsidio protinus reviviscam.

Animarum auceps vaferrimus meam libertatem surripuit; me dolo malo pravoque in errorem induxit; oculorum aciem potissimum hebetavit, meoque in animo cogitationes omnium turpissimas ingeneravit, ac uno verbo, quicquid boni habebam, imminuit, rapuit, dissipavit. Cogitavi lasciviam; sed cogitationem excepit dolor. Manus meæ iniquitatem patrarunt, unde omnibus tandem partibus infelix disperii. Proh miserum, quem ignis undequaque adoritur! Me, mitissime Deus, eripe, ne sempiterna morte occumbam.

Mortalium omnium miserrimus sum, quandoquidem data opera infelicitatem mihi ipse conflavi. Peccabam quotidie, effusaque gestiebam laetitia, nec cogitabam, mortem mihi ante oculos obversari. Væ mihi, quia advenit Angelus mortis illud in mandatis habens, ut me ad judicii tribunal quamprimum rapiat! Proh dolor! Mox dies aderit, quum peccator oppilabit os suum, quum secreta declarabuntur omnia, & ego totus pudore ac confusione suffundar.

Mea opera descripta & signata sunt singula, & ex iis ne particula quidem ac syllaba in ingenti illo Judicis volumine desideratur. En innumera mea debita ibi exacte relata sunt. Eheu infelix, quum justitia ea omnia singillatim, quæ vel a primo

primo adolescentiæ limine ad extremam usque senectutem admisi, scelera, ex eo libro publice recitaverit! Quid mihi agendum in calamitosissima illa hora supererit? Quasve petam latebras, Domine, ut tuo me conspectui subducam?

Me miserum, quantis premor criminibus! Væ mihi, quia nihil est sceleris, quod non patraverim, nec poenitentia noxam expiavi. Benignissime Deus, qui Peccatricem commiseratus es, meæ, obsecro, imbecillitati propitius sis, ne pessimo letho afficiar. Pro unguento, quod tibi Peccatrix obtulit, ecce Corpus ac Sanguinem tuum meis immixtum membris offero. Ne, piissime Domine, ne velis mea opera intueri, sed tua meis delictis clementia ignoscat.

Tremenda est magnopere, Domine, justitia tua, terribilesque sunt Angelorum ordines, qui ad ultionem parati stabunt ante illam, quando tuæ magnitudinis & majestatis sedes ad judicium firmabitur. Obstupescent, ac præ nimia formidine prope corruent Ordines Dominationesque, quando Angeli gladium vagina vacuum intentabunt, & ignis absumturus improbos exardescet. Quis me tunc temporis occupabit pavor? Quæ desperatio? Quis luctus? Eripe me, Salvator, ne exanimis concidam.

Cogitationes meæ me obstrinxerunt, & in impii proditoris laqueos conjecerunt. Existimavi demens abditas eas esse, & minime perscriptas in magno illo Judicis libro; verumtamen omnes appositæ sunt ante me, & me manent, ut parem merito poenam luam. Hei mihi, Domine, qui, ne meæ insaniæ praemium Gehenna sit, vereor vehementer!

Jam ad occasum properat dierum cursus, vita jam consumta & erepta est a me, nec quicquam mihi praeter luctum reliquum fecit. Quid agam infelix in horribili illo flammarum carcere constitutus? Quid consilii capiam? Aut quo me vertam? Te, Domine, obsequio, quo decet, maximo implorabo, ut a teterrimo illo miseriarum fundo eripiar, cui me proximum jam esse video; sed si præsidium tuum non recusaveris, regionem terroris plenam facile superabo, & ad eam, quæ vero gaudio ac immortali felicitate redundat, sartus tectusque perveniam.

Dexteram tuam, Domine, quam tuis Discipulis, ne maris fluctibus obruerentur, porrexisti, & mihi porrige, ut a meorum criminum immenso pelago sospes

ſpes evadam. Baptiſmus tuus, quo factus ab incunabulis fueram tuæ particeps Divinitatis, ille nunc mihi ad vitam protectio ſit atque columen. Hoc ſcilicet firmamento, Redemtor mi, terribilis incendii aeſtus incolumis praetergrediar, quin exinde aliquid patiar detrimenti.

Quum adoleſcens eſſem, peccabam, futurum ſperans, ut in ſenectute reſipiſcerem. Venit mors, & adoleſcentiæ meæ curriculum interrupit, nec ſenectutem attingere, nec agere poenitentiam potui, quam mihi mors abſtulit. Delicta me modo coram Judice exſpectant, quæ poſtquam reum me poſtulaverint, reddent pro mercede ſupplicium ſempiternum.

Ne quaeſo, Domine, ne introducas me in judicium tuum, *quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. Tu quippe ſolus natura potens, & juſtus es; ignoſce mihi ob gratiam tuam, & me dignum effice, qui beneficiis fruar clementiæ tuæ, ut illis ditatus indulgentiam conſequar optatiſſimam. Hoc ſi feceris, gaudium in Caelo erit Angelis tuis, ſicut Evangelii auctoritas fidem facit egregiam.

Quis ineuntis aetatis meæ numerare flagitia valeat, aut ejus ſemitas invenire? meorum criminum in immenſum prope auctus eſt numerus, quia nullas Babylon habuit vias tam in praecipiti poſitas, quæ a meo ſcelere abhorrerent. Deus optime, qui indulſiſti David filio Jeſſe, indulgere quoque imbecillitati meæ ne renuas, quæ his quotidie deprecationibus apud te clamat: Tu perfugium, Domine, meum es; ſi tua me ſuſcipere miſericordia nolit, interii miſer, ac plane occidi.

Ignis, Domine, conglutinatus eſt membris meis, penituſque jam abditus intimis eſt viſceribus. Accipe deprecationem meam, Salvator meus, qui pro me Sanguinem effudiſti. Infernus en intuetur, ut cruciet me, quamquam toties Calicem ſalutaris acceperim. Per tuum, Domine, qui ſuis me theſauris, ac radiis exornavit, ſpiritum, ne quaeſo concremer, quando ignei flammarum vortices ad vindictam infrement. Extinguatur ignis a conſpectu meo, quando percuſſerit illum odor unguentorum tuorum.

Lux tu maxima poenitentium diceris, & ſpes unica peccatorum; jure igitur imploro, Domine, ſanctum nomen tuum. Quum judicium mortalibus indictum fuerit, ne te mihi iratum exhibeas, ob amorem Genitoris tui, ob ventrem illius, quæ te geſtavit, ob eam denique, quæ tuum Latus in Calvaria transfodit, lan-

A B C D E F

[Syriac text illegible]

lanceam. Sparge super me rorem clementiæ tuæ, ne sitiam aquas absorptus ignibus sempiternis.

Exaudi me, Domine, quemadmodum Eliam exaudisti, quum supplex ad te preces convertit suas. Audi petitionem meam, poenitentium amator, ut audisti vocem filii Amathi, & salva me, sicut Simonem Cepham, quia nomen tuum negare non ausus sum, etiamsi diu multumque devius aberraverim. Recognosce me, Domine, servum tuum, quia confiteri te nusquam desii misericordiæ fontem & mansuetudinis.

Aditum ad clementiam, Domine, mihi aperi, qui tum optimo cuique, tum peccatrici etiam maxime patuit. Aspice, quas fundo, lacrymas; dabis profecto lacrymis, quod eloquentiæ negares. Sine ut aquas hauriam de fontibus Salvatoris, unde ab impetu ignis evadam tutus; exemplum etenim me terret Divitis, qui flammis obrutus summo digito aquam frustra quotidie poscit.

Crux tua, Domine, quam nobis ad bene sperandum, velut signum aliquod sustulisti, Crux, inquam, tua mihi praesidio sit, ut a supplicio liberatus ad vitam transferar, cujus comes est & suavitas, & immortalitas. Tria sunt, Domine, quæ pertimesco, ardor ignis videlicet, carceris terror, & diuturnitas vermis, qui nunquam moritur aut conquiescit. Ne me absorbeat incendium illud, sed ejus flammas Corpus & Sanguis tuus a me avertat.

Invocavit te Jonas in profundo fluctuum, te Daniel in ferarum lacu imploravit, tres demum Pueri in fornace ignis ardentis, tuo invocato nomine, non saluti desperaverunt. Tu Jonæ praesto adfuisti, per te Daniel a belluis ereptus est; clementiæ tuæ rore conspersi Pueri, sunt ab incendio liberati; eadem mecum virtute utere, Deus optime, & vivifica me, & delictis ignosce, quia licet mortalium impurissimus, tamen nomen tuum constantissime sum professus.

Miserere mei, clementissime Domine, & misericordiæ tuæ immensitate dele peccata mea. Lava me a manuum mearum sordibus, & emundabor. Quod peccaverim, inficiari non audeo; quin etiam scelerum recordatione, quibusdam veluti facibus quotidie vexor & torqueor vehementer. Tibi soli deliqui, Domine, & peccavi; sed exorari te sinas, obsecro, atque ubi malitia abundavit, effice, ut ibi posthac superabundet gratia.

Simon iterum, & tertio te negavit, sed

ſed poſtquam obtulit tibi lacrymas, eum multo, quam antea, beneficentius excepiſti. En lacrymas ipſe quoque copioſiſſimas fundo, & gratiarum actionem, quam poſſum, maximam pro hoſtia refero. Innumerabilia eſſe fateor ſcelera mea, quæ nullo ſpatii confinio circumſcribuntur. Tu vero, Domine, cujus manſuetudinem nullæ unquam injuriæ quatere potuerunt, me clementer, ut ſoles, excipe, & oſtende, monere te ingratos malle, quam perdere. Dele chirographum mortis, quam mihi impendere jampridem ſentio, & ſtultitiæ meæ, cui parem inveniri non poſſe arbitror, ne recorderis.

Gloria Deo reddatur maxima, qui non vult mortem peccatoris, ſed eum quotidie ad ſe allicit, & redeuntem clementer excipit, exceptumque benigniſſime apud ſe habet. Gloria tibi ſit ſempiterna, Redemptor omnium, qui fores pulſantibus aperis, & veniam precantibus impertiris, atque benevolentiſſime omnes complecteris. Salve ſpes noſtra, Jeſu bone, amor cordium noſtrorum ſalve, & mortalium omnium miſerere.

PARAENESIS XXIV.

Agitedum, Mercatores, admodum cauti eſtote in theſauris veſtris cuſtodiendis a latronibus, quorum maxima turba eſt in hoc Mundo, cujus viæ offenſiones ſunt & inſidiæ fere inextricabiles. Felix ille, qui theſaurum nec publice portat in via, nec in tenebris ambulat, & recte vivit.

In Mundo, Fratres mei, non paucos vidi, navicularum inſtar, fluctibus ac procellis ſine ullo diſcrimine ſubmerſos, quorum fallaces ſpes & contentiones inanes ante in ipſo curſu ſunt obrutæ, quam portum conſpicere potuerunt. Eos interim continuo ſtimulat vox illa horribilis ad reſurrectionem excitans, & ad judicium; quod quum advenerit, peccator miſere exclamabit: Infernus domus mea eſt.

Manifeſtum eſt hoc, quod nudi Mundum ingreſſi ſumus, & nudi ab ipſo egrediemur: Vitam ingreſſi ſumus mundi & pulchri, ſed ab ea diſcedimus foedati & turpes, ac fraudibus inquinati. Quapropter properamus concitato curſu ad judicium, ut condemnemur.

Mundi delicias ſequimur, ac deperimus oblectamenta, veluti nunquam interitura; At quam turpiter fallimur! Finis jam vitæ imminet, mens tamen noſtra, proh pudor! in nihilo occupata & ſoli-

A solicita est. Benedictus Deus, qui per vim saepe homines ad obitum rapit.

Ecce Mundi cursus celer & praeceps est, ut cito transeat; nos etiam atque etiam urget ad exitum. Mox veniet alius Mundus, cujus nullus est terminus; nos tamen in hoc vitæ curriculo quotidie decipimur, blanditiis vincimur, in pessum ducimur, & his vitiorum irritamentis de-B lectamur, perinde quasi essent in perpetuum duratura.

Facessere quantocius jubebit Mundus amatores suos, & finē tribuet diligentibus se. Quaerent modo illum & non invenient, quia praeterit figura hujus mundi. Cupient voluptates quæ fuerant, sed eas evanuisse comperient. Amorem denique, quo Mundum temere prosequebantur, excipiet amarities animi sempiterna.

C Mundus est proditor: mensam, quæ Diabolum decet, suis sectatoribus quotidie extruit ac proponit. Beatus ille, qui mensæ hujusmodi non accubuit, sed bona Mundi omnia repudiavit conculcavitque. Haec est via, quæ ducit ad vitam, & quam qui tenet, nulli aut regressui obnoxius est, aut errori.

Solennitas ejus plena est bonis & malis, & quidlibet quispiam desiderat, D eligit sibi mortem. Qui quaerit veritatem nullam facit jacturam, & qui colit iniquitatem incidit in ruinam. Utraque autem in filio hominis invenitur.

Salutarem atque honorificam nactus Adam habitationem fuerat; periculosæ plenam aleæ civitatem fuisse scimus, ubi Loth habitabat. Inter vivos mortuus est Adam, quia voluit, inter mortuos vixit Loth, quia ipsi placuit. Libertas in voluntate E posita vincit, & vincitur.

Dies mei, fratres carissimi, erepti sunt a me, & non sensi, neque recordatus sum quamdiu peccavi, & non me poenituit. Plura sunt delicta mea diebus meis. Completi jam ferme sunt anni mei, & adhuc delicta mea impudentissime perseverant; & ecce reservatus est ipsis judicii terror, qui non habet consummationem.

Quam exiguum est tempus nostrum! F & quam celeriter a nobis avolat! Brevis est via, & exiguus est cursus noster. Plenus est dies sceleribus. Plena est nox tenebris intra sepulcrum; & ecce resurrectionis dies properat, & judicium ad aeternitatem permansurum.

Nemo est ibi, qui non dolore afficiatur, nisi solus ille gradus sapientum & perfectorum; insipientes vero, qui ad novissima sua minus serio respicientes nec pec-

peccandi consuetudinem deseruerunt, nec culpas poenitentia expiarunt; & justi, qui ab recto salutis tramite defecerunt, quum viderint immortales ac praeclarissimas triumphantium coronas, & eornm beatitudinem, qui pro Christo fortiter laborarunt; anteactam vitam execrabuntur, & conspicient quam praeclara sit servitus Deo praestita, & quam bonus etiam & suavis sit Dominus adorantibus se.

Descendunt improbi in infernum, qui eos tenebris offundet usque in aeternum, ubi nulla alia vox, nullusque exauditur clamor, quam utinam nati nunquam fuissemus, neque e sepulcris excitati! Tanta est tormentorum vis atque immensitas.

Ascendunt boni ad Caelestium incolarum beatas sedes, ut cum superioribus ordinibus arctissimo affinitatis vinculo conjungantur, quia a tortuosis carnis, & mundi viis deflexerunt, atque spirituales effecti sunt, quamquam mortali corpore, ac fragili materia compacti essent. Itaque cum beatissima Angelorum concinentium multitudine delectantur in regno.

Duos veluti parentes filius hominis sortitur, ventrem scilicet & sepulcrum; de ventre ad laborem & defatigationem nascitur; e sepulcro ad judicium & retributionem. Alius transit, aliud perseverat. Beatus ille, qui vir bonus & sapiens nominatur.

Aperit justitia os suum ad arguendum, & omne os in ejus conspectu clauditur & condemnatur. Justitia, quæ supra omnia severa est, & clementia, quæ ab omnibus oppressa est, in medium tunc prodibunt, & ab utraque filii hominum retributionem, qnam non cogitant, consequentur.

Inclinat aurem suam justitia ad cogitationes & mentes, & judicium exercet cogitationem inter & voluntatem. Equidem nisi voluissem, malum non fecissem; non quia mihi deesset virtutem sectandi opportunitas, sed quia ipsemet volui, reus factus sum.

Duo stant latera ad dexteram & sinistram, & alterum alterius conditionem intuetur cum moerore ac tristitia. Illud ad Caeli altitudinem contendit, hoc ad abyssi profunditatem descendit; alteri beatitudo immortalis, alteri vero aegritudo ac calamitas indeficiens obtingit.

Variis personat vocibus utraque Hjerarchia, quoniam utriusque diversus fuit ab hoc Mundi theatro exitus ac discessus. Horribiles impii ex inferno blasphemias

[illegible]

A mias evomunt ; justi autem de regno intonant hymnis, & ante Sponsum feliciter collætantur.

Oculos retorquent improbi ad beatorum fortunatas sedes, & duplicatur eorum moeror, quando immensam electorum gloriam conspiciunt, quam illi exiguo ac brevi certamine adepti sunt, quemadmodum ipsi etiam pro nihilo sibi supplicium compararunt.

B Suam, Domine, super me umbram oriri jubeat gratia tua, & me protegat sub tegumento alarum suarum, ne peream. Compertum enim mihi est, ac plane sentio, contemtu me dignissimum esse, & aliena ab operibus meis mea esse verba. Sucipe, Domine, vota precesque meas, & misericors esto imbecillitati meæ.

C PARAENESIS XXV.

Quisnam percussus, aut tot peccatis vulneratus est, quot ego me saucium ac foedatum moestus contueor? Si quis est mei similis ad me properet, & mihi adhæreat, atque mecum omnia lacrymis compleat & ululatibus; At me miserum! Nullus enim, qui tam frequenter, ac turpiter, ut ego ipse, lapsus fuerit, inveniri, aut excogitari facile potest.

D Ex me petant exemplum mortales omnes, & tam justi, quam peccatores mecum una collacrymentur; Mea etenim flagitia mensuram longe superant, & numerum omnem excedunt, nec humanæ rationis viribus deprehendi possunt. Omnium pro me oratio ad Dominum convertatur; forsitan pro peccatore communes benigne audiet intercessiones.

E Aegritudo & moestitia cor meum perculit, & improvisus stupor animum occupavit, quum venit in mentem, quandiu peccato cesserim, & non resipuerim. Commemoravi peccata, quæ ab ineunte adolescentia ad senectutem usque patravi; tum præ dolore clamavi, inquiens: Domine, & Deus meus, propitius te mihi ostendere ne graveris.

F Quotiescumque nefaria, quorum conscientia teneor, scelera, aequa rationis lance perpendo, totis equidem artubus contremisco. Me miserum, quum ante justitiam apparebo! Porro si animadvertere severitate, qua solet, maxima, in me voluerit, quid agam in illa hora? Aut ubi me abscondam, Domine, ab ejus vultu & iracundia?

Ecce expleta est vita mea in peccatorum servitute, & dies mei malis operibus

ribus occupati jam effluxerunt, nec unquam judicii diem, ultionem & supplicium peccatoribus reservatum commemoravi. Tu, qui mansuetus natura es, & mitis, talis esto mihi, Domine, in illa die, in qua revelabuntur abscondita.

Væ mihi, qui fragili isto ac fugaci Mundo usus sum, ut voluptatis arbitrio, viverem non rationis. Ecce mihi adservatur merces in illo Mundo, cui summa est cum aeternitate conjunctio. Corpus multis commaculavi criminibus, & ideo me culpis manet sceleribusque debita retributio. De me praviter conquerentur & flebunt peccatores, qui mei similes extiterunt.

Tremendus est judicii tui dies, Redemtor noster, in quo peccatorum obscuriores latebræ patefient; ea propter ingenti tremore ac stupore correptus sum. Quum peccata mea innumerabiliora sint, quam cuique credibile sit, iccirco, Domine, qui bonus es, & suavis, per misericordiam tuam indulge mihi.

Intuitus paulisper animo sum peccata mea quam gravia sint, & quam turpiter multiplicata; tum ingemui, & exclamavi: Væ malitiæ meæ! Quum lingua mea loquatur firmiter, gubernatio mea vilis, praepostera, imprudens est. Væ misero mihi in die, quo scrutabitur Jerusalem in lucernis!

Diserti admodum & prudentes videntur aliis sermones mei, sed vitæ administrationem meæ boni viri summopere judicant contemnendam. Alios ordinem doceo, ipse vero errorem perpetuo sequor. Jure igitur timeo ignem, qui paratus est insipientibus.

Omnes trivi dies in peccatis, & defecerunt, ut ne per unius quidem usuram horæ justitiæ obtemperaverim. Antequam statuissem peccandi licentiam cohibere, neque ultra sceleribus superaddere, venit iterum malignus Serpens, qui sua me invidia decepit. Hei misero mihi, quia sciens volensque incidi in ruinam!

Pergens aliquando deambulatum in plateis, ut justus & sapiens habeor, & si videro hominem peccare, eum audeo irridere & subsannare. Sed proh miserum! quia quum revelabuntur mea debita, tunc erubescam!

Utinam in lucem de matris utero non prodiissem, neque conceptus essem, nec hujusce Mundi lubricas fallacesque illecebras adamassem, aut cognovissem: nullius enim delicti conscius forem, propterea impunitus ac liber poenam & vindictam

A ctam non extimescerem, nec judicii laqueos, aut supplicii acerbitatem reformidarem.

Postquam certam praeteritorum scelerum poenitentiam promisi, ut ab omni culpa vacarem, iterum in mala opera cecidi, quinimo laetatus sum eo tempore, quo peccavi. Væ mihi, quia non animadverti, Infernum esse mei similibus divinitus reservatum!

Lumen perspicuum est hic Mundus B justis, & ego ibidem in tenebris plusquam Cimmeriis ambulavi. Ab eo tempore, quo reus factus sum, & me non statui hoc Mundo prudenter & religiose uti: ab eo, inquam, tempore timore crucior vehementissimo, quia parata est mihi retributio in illo die, qui poenas est scelestis hominibus pares ac debitas illaturus.

Declinavi, & odio habui viam re- C ctam, quæ ducit ad vitam, & malui per illam pergere, quæ ad interitum & ruinam trahit. Eheu infelix, quum infremuerit ignis, & exarserit, ut comburat peccatores! Ubinam, Domine, ubi gentium abscondar a conspectu tuo?

Magnus est divitiarum thesaurus justis in Caelo hominibus praeparatus, & ego pro divitiis Caelestibus rerum humanarum sordes ac vanitates dilexi. Existi- D mabam terrestres opes ludicras non interire, neque immutari, & ignoravi illius, qui futurus est, regni gaudia esse immutabilia.

Volavi intelligentiæ viribus ad justorum fortunatas sedes, & postquam aedificii magnitudinem, atque ornatum accurate perscrutatus sum, reversus peccatorum tabernas animadverti: illorum beatitudinem admiratus sum, horum autem calamitatem E deploravi, dixique mihi: eheu qui luctus, quæ suppliciorum genera improbitati meæ parata sunt!

Mea me voluntas impurissima pessum ducit ad scelera, & cum pecco, accuso Daemonem. At hei mihi, quia illi occasionem vincendi praebeo, quoniam nullam ipse vim inferre cuiquam potest! Sponte delinquo, cur ergo illum insimulo?

F Invoco te, Deus optime, suscipe preces meas, ut Simonis, & Peccatricis lacrymas excepisti, quia non negavi nomen sanctum tuum, & licet multo magis peccassem, quam omnes homines, quia tamen tui me cultorem confessus sum, tu confitere me tuum esse filium, & miserere imbecillitati meæ.

Propitius esto mihi, poenitentium amator, & injurias, quibus te lacessivi, oblivione contere, ob insignem tuæ gratiæ

tiæ largitatem; suscipe demum lacrymas, quas tibi offero, ut indulgeas mihi, quemadmodum Peccatrici indulgere non recusasti. Quod peccavi, Domine, non inficior, sed misericordiam tuam imploro, ut me incipias iterum, sicut solebas antea, consolari.

Annue, Domine, votis meis, quæ supplex offero Majestati tuæ, & meas ablue maculas per clementiam largitatemque tuam, & ne ingrediaris in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Tibi soli peccavi, tu potes unice praesidium ferre, quod multum habeat roboris ac firmitudinis.

Ingrediatur deprecatio mea ante conspectum tuum, & aperiat Paradisi portas ante faciem meam, ut excipiar in sinum Abrahaæ, & tua luce perfruar cum justis, qui dilexerunt te, & psallam tibi gloriam cum omnibus Sanctis tuis.

PARAENESIS XXVI.

HUC, Fratres carissimi, vos ferte & mecum misericordiam quaerite, dum nobis integrum est illam impetrare, & veros agere poenitentiæ fructus; in illo enim Mundo, quem aeternitas intuetur, neque lacrymis superest, neque deprecationi locus.

Lacrymis, quas Peccatrix obtulit, suorum criminum atque damnationis chirographum discerpsit; has tecum sume, peccator, & accede cum gemitu, & clama ad Dominum, & ipse subito tibi benigne annuet praestolanti.

Si moram feceris, scelerum fortasse fluctus elevabuntur, quibus ipse quotidie demergeris, planeque absorberis. Ad te, Domine, clamo, mansuetudinis ac clementiæ parens, extrahe me naufragum & ejectum, qui peccatorum impetum sustinere non potui.

Lacrymarum munus offer, poenitens, Christo Domino, & tuum concute pectus instar Evangelici Publicani, cum singultu repetens: Propitiare, Domine, peccatori, qui te ad iracundiam concitavit.

Ecce aperta est janua clementiæ, ut te excipiat, o peccator? Quid cunctaris occupare fores? Expergiscere, & converte te ad Dominum tuum. Qui vero jam reversus es, derelinque prorsus obscaenam viam, & semitas regni ingredere, si ingrederis curre, si curris advola.

Væ mihi, inquies, quam crudelis ac molestus est laqueus, quem mihi osor meus

[Syriac text — illegible]

A meus malignus tetendit, quo me implicavit, effecitque, ut ad flagitia me convertens, homo perfrictæ frontis improbiſſimus, ac miſerrimus evaderem.

Totis artubus contremiſco a conſpectu judicii, quod, hac mundi fatiſcente machina, habendum erit; ſcio enim ac probe intelligo, peccatores igne probatum iri. Me miſerum, ſi devorator ignis perſcrutabitur cor meum, quia pec- B cata mea neſcio quid arbitror immenſum eſſe ac infinitum!

Contaminatus iniquitatis ſpiritus effluxit in te, Anima mea, & medicinam ſi diutius protuleris, te totam corrumpet. Medicus tuus Sapientia eſt, tuum illi vulnus oſtendito, & Salvatoris commovere miſericordiam contendito, ut tuis medeatur ulceribus.

C Paſtor omnium amantiſſime, qui tuam pro nobis animam obtuliſti, Crucemque pati, & mortem ipſam, ut me redimeres non recuſaſti, eripe, quaeſo, animam famuli tui a ſuorum delictorum multitudine, ut gratiarum actiones rependat tibi & Patri tuo, tum Spiritui quoque tuo, qui ſanctitatis eſt auctor & caritatis.

Delicta mea, quidam veluti pela- D gus me maximopere terrent, & renes meos horrore complent, ac metu inenarrabili. Eheu quam impudens, quam tetra juventus in terra fuit atque ſenectus mea! Tu, qui indulſiſti ipſi latroni, indulge mihi, & dele crimina, quæ tibi ſingula innoteſcunt.

Sacerdotii dignitas mihi talentum ſuppeditavit, ſed ob animi diſſolutionem illud ego in terra abſcondi. Væ mihi E quum Judex advenerit talenti a me rationem repetiturus! Qua tum ipſe excuſatione utar, quum ſervus piger extiterim nulloſque fructus ex argento mihi divinitus tradito comparaverim?

Quo vadam a conſpectu tuo? aut quis erit perfugii locus, ubi me abſcondam? Terrent mea me delicta, planeque exanimant, quia nimis invaluerunt. Sed F ſi jubeas, Domine, & delicta condonabuntur, & peccata mea unico non dicam verbo tuo, ſed nutu ſingula remittentur.

Ecquis erit, qui imbecillitatem ſublevet meam, ſi Chriſtum medicum deſtituero? Quis infirmitati conſulet tam feliciter, quam totius humani generis Reparator? Tu, qui permultos ſanaſti aegrotos, & perditos, animæ ſanitatem redde, quam peccata affatim corruperunt.

Veniant ſuper me miſericordiæ tuæ, Domine, ut promiſiſti, & ipſæ mihi opem ſuppeditent; Sic enim meos conteram adverſarios, miſericors etenim es, & omnium poenitentium redemtor.

Suſtine brachio tuo imbecillitatem meam, potentiſſime Domine, & invidus malignus prorſus tabeſcat, quando me in priſtinum viderit reſtitutum confirmatumque, & erubeſcat, ac e meo conſpectu recedat; ego autem ſurgam, & miſericordiam tuam in aeternum cantabo.

Opera mea mala fecerunt me alienum a te, Domine; tu tamen exaudi me, Redemtor meus, ut illam Peccatricem Mariam: ſuſcipe ſingultus meos, ut illius lacrymas exaudiſti: remitte mihi ſtultitiam meam, quæ nimis jampridem invaluit, atque inveteravit.

Quoniam patent fores tuæ poenitentibus, aperi mihi, Domine, januam miſericordiæ tuæ, ut ingrediar, & petam a te criminum remiſſionem, quæ jam ſupergreſſæ ſunt caput meum.

Extremis in periculis & anguſtiis Crux tua ſit perfugium mihi, ut ad te tranſeam; *ſatiabor enim, quum apparuerit gloria tua*, & gratias agam miſericordiæ, quia magnifice mecum egit peccatore omnium impudentiſſimo.

Pſal. 16. v. 15.

Suſcipe infirmitatis meæ lacrymas, & ratas effice petitiones meas. Dele delictorum meorum chirographum, & confundetur malignus, videns illud clementiæ tuæ patrocinio deletum, ut non amplius me deterreat aeternitas.

Miſericordiæ tuæ Divina vis ad roborandam animi mei imbecillitatem ſtudioſe properet, & ab infenſiſſimo meæ ſalutis hoſte eripiar, & ex ipſius ſaeviſſima tyrannide ereptus, ad ſolium tuum accedam tecum in aeternitate victurus.

Poenitentium vocibus aures tuæ pateant, Domine, neque tibi moleſtus ſit clamor meus, & accepta poenitentiam atque orationes meas, & ratas habeto petitiones meas de theſauro tuo, qui miſericordiis omni tempore locupletiſſimus exſtat.

Gratias agat tibi, Patrique tuo, & Spiritui ſancto quam maximas peccatrix anima quæ contritionis lacrymis purgata, ad priſtinam venuſtatem redacta ac reſtituta eſt, & tabernaculum facta eſt, ubi ſeculorum creatrix Poteſtas ſuam ſedem libentiſſime collocavit.

PA-

A

PARAENESIS XXVII.

O Mundi levitas & inconſtantia, quæ nulli vel adjumento, vel praeſidio iis es, qui tibi adhærent, ſed amatores ſectatoreſque tuos omnium voluptatum illecebris aucuparis, & in extremo vitæ momento in Inferno conculcas pulchrorum ſpeciem, & gigantum vim; væ illi, qui B ad tua caſtra ſe confert, & quem tu amore proſequeris; quoniam gaudia ejus luctus occupabit & ululatus!

In Mundo, hoc eſt, in alto funeſtoque peccatorum gurgite facti ſunt omnes dies mei otioſi, completa eſt inutiliter vita mea, & factus ſum ſine lucro, quia ad mei interitus horam nunquam mentem converti. Cucurri, & iniquitatum gra- C viſſimum mihi onus impoſui, & zizania, ac tribulos incendio prorſus convenientes, collegi, & ecce ſupereſt mihi doloris ac triſtitiæ maximum argumentum in illa regione ſolicitudinis ac timoris plena.

Thalamus luminum, ad quem Divinitus vocatus eram, ne in cogitationem quidem meam cecidit; ſed prætereuntis hujuſce ſeculi illecebris captus, æternum Gehennæ incendium mihi po- D tius comparavi. Caeleſtem illam habitationem omnibus redundantem ſuavitatibus commutavi cum regione plena ſolicitudinis, atque interitus. Et ecce mihi imminet dies, in quo judicaturus eſt omnia ille Rex, qui ſcrutatur renes, & manifeſtat abſcondita. Sponte mihi ignem, & incendium paravi. Miſericordiæ tuæ, Domine, ſpargant ſuper me rorem, qui flammas poteſt aut extinguere, aut miti- E gare.

Quia dilexi te, Mundi vanitas, a pueritia ad ultimam uſque ſenectutem, ideo dilapſum eſt vitæ meæ tempus, & non ſenſi, & mors meis me in criminibus deprehendit. Utinam in te ingreſſus nunquam forem, tuorum ſeductor omnium incolarum! Amatoribus tuis nulla veri gaudii ac laetitiæ materies affulget, nec F oſores tui te deſeruiſſe affligantur. Beatus ille, qui rete tuum diſcerpſit; gaudiorum ſiquidem thalamum haereditabit.

Hic Mundus decipit ſapientes filiis bonorum integumentis, & copias, facultates, commoda aliaſque illecebras offert, & poſſidendas praebet, quæ tamen omnia tollit in die obitus. Imparem peccatis poenam tribuit, quandoquidem peccandi poteſtatem facit brevem, & haereditandas relinquit tenebras ac ſupplicia

plicia sempiterna. Æquissimum est Judicium tuum, integerrime Judex; Te tamen animi demissione, qua possum, maxima obtestor, ut mecum velis non tam Judicem agere, quam parentem.

Væ tibi doloris habitatio & luctus, quæ haereditatis nomine amicis tuis ignem tormentum, ac horrorem impertiris, proximisque tuis dolores & suspiria reddis, praeterea nihil! Mendacia verba tua sunt, nocentes consuetudines tuæ; jucunda somniantibus es voluptas, intolerabilis vigilantibus amarities. Beatus, qui te odio habet, & quem tu minime dilexisti, cui servata in Caelis est corona victoriæ immarcescibilis.

Justus es, & recta judicia tua, Domine, in aeternum. Haec regio peccatores occultat, sed illa, quæ invisibilis est, eosdem per ora omnium traducit. Ibi cum aequitate conterentur filii Adæ, quorum supplicium erit peccatis par. Lux jucundissima iis affulgebit, quorum animus praeclaro virtutum ornamento instructus fuit, atque expolitus; eos contra sempiternæ obruent poenæ, qui intemperanter flagitiose nefarie vixerunt.

Peccabam quotidie rebus creatis immoderate abusus, & libidinis ac voluptatis sitim ardentissimam explebam. Occurrit mors, suoque me ferro prostravit, & ecce rapit me ad mortuorum obscuras sedes. Quid reliquum mihi est, quum contracta atque imminuta sit vita mea, & Infernum adire ac in jus venire quantocius compellar? Judex ad ultionem solicite, tua mecum misericordia utere in die judicii.

Seductus sum, ac improborum vestigia demens sum consectatus, nec meam unquam subiit mentem aeternitatis recordatio; Deserui semitam virtutis, & post vanitatem incessi. Væ mihi, quia dies accedit retributionis, & indumenta mea sunt ad insaniam sordibus inquinata. Gratia tua protegat me in illo die ab igne insipientibus destinato.

Dextera tua, quæ plasmavit Adam, & Simonem traxit ex fluctibus, ipsa extrahat me de tempestatum periculo; quia Mundus in me concitato agmine fertur, & suis me turbinibus suffocavit, nec dedit mihi, ut in tutum ascenderem & libere respirarem. Crux tua, Domine, columen mihi fiat, & se ducem praebeat in itinere maximis undique difficultatibus ac periculis circumsepto.

Me non solum piget stultitiæ meæ, sed etiam pudet, quia infra mortuos amandatus

A datus oneribus aggravor peccatorum. Chirographum, quod aequitas conscripsit, me prorsus exanimabit in die Resurrectionis. Væ mihi in tempore, quo publice legendus erit adversum me liber & scelerum & flagitiorum: unde divulgabuntur maculæ sordesque meæ, & ego ad sinistram infelicissime propulsabor. Esto mihi, Domine, lumen in tenebris.

B Divitiæ & bona, quæ obtinui, dum adhuc vita suppeteret, mihi e vivis sublato se comites non addiderunt. Quemadmodum enim in lucem prodivi nudus, ita pariter nudus abscessi. Nudus in ipsam mortalium arcem ingressus sum, & nudus ad judicium, & Gehennam proficiscor; neque alios habeo socios, qui me ad judicium comitentur, praeter opera, quæ patravi.

C Quam pulcher ac formosus est Mundus ad interitum natus! Comparandus profecto videtur grosso, consurgere solito mense Aprili, qui postquam germinavit rore & pruinis, percutitur calore aestivo, & exsiccatur; sic plane humanæ vitæ arbori utplurimum accidisse experimento didicimus, quæ statim ac Mundi hujus rore humectata in infructuosum atque inutilem truncum excrevit, venit D mors, quæ immenso aeterni ignis calori exsiccandam objecit. Praesta nobis, Domine, ut poenam hujusmodi fugiamus, & te praeside, teque auspice, provehamur in illas sedes, ubi aequi sanctique homines non quiete, non aequabiliter, non tuto solum, sed bene etiam beateque vivunt.

Divinitatis in Caelo aspectus multo profecto spectabilior est, & lucidior, quam E omnia Mundi lumina, & rex ille siderum ac moderator sol; iccirco tenebricosissima sit ac prorsus caeca earum mentium acies necesse est, quæ nunquam ad jucundissimam Paradisi lucem se se convertunt; quia eas tenebræ circumquaque obnubilant, ne tantam altitudinem, pulchritudinemque perspiciant. Ii, qui infixi sunt in limo profundi, & quorum perstricta atque obcaecata visio est, oculos suos F statuerunt declinare in terram. O Lux Sole splendidior, affulgeas mihi, obsecro, ne in obscurissimam inferni regionem ferar.

Stultus est Mundus cum filiis suis, qui peccatores sunt & formidolosi, ac commoti tempestatibus suis. Quotquot in eo sunt, in sceleribus volutantur, nec quiescunt, donec mors finem iis imponat, & ad incendium eorum fraudes amandet. Patens est guttur iniquitatis, & veritas conticescit, insipientia apparet, veritas latet.

latet. Obitus autem ordinem rebus imponet omnibus, ac in vero lumine collocabit. Beatus ille, qui in Mundo vitam traduxit, nec ejus illecebris irretiri ſe paſſus eſt.

Mundus tumultuans magnis fluctibus eſt, & Oceano procelloſior. At tempus aderit, quo quieſcent tempeſtates ejus, poſtquam ſcilicet peccatorem ad naufragium compulerint. Mundus diuturnis libidinum fluctibus agitatur, & ſpiritus falſitatis inflat terras. At modo judicium aderit, & accedet dies, quo mendacii ſpiritus & libidines conquieſcent. Beatus ille, qui non declinavit neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, nec ullum cum improbitate foedus inivit.

Apertum eſt poenitentibus oſtium, & non eſt tempus in quo non audiantur; clemens namque Dominus qualibet hora pronus eſt, ut neceſſaria remedia & ſcelerum expiationem nobis largiatur. Ecce in immenſum prope calamitatum gurgitem projecti ſumus, & acceſſit judicium, quod fiet ſine miſericordia. Concede nobis, Domine, ut vigilemus in deprecatione, & petitiones noſtræ humaniter excipiantur.

Egreſſus ſum de parentis viſceribus maximam lacrymarum vim atque copiam effundens; protinus meam infantiam excepit error, qui me facile illaqueatum poſt vanitates abduxit. Exivi de tenebris ad tenebras peccati; occurrit mihi mors, & in tenebras longe obſcuriores impulit, & ecce corruptio formæ pulchritudinem depravavit, & tenebræ ad retributionem parantur.

In timore ſum maximo, quia nudus mari me committo, quod omnibus naufragii periculum minitatur. Deſcendi miſer in illud ad mercaturam, ut ipſius ope atque beneficio pecuniam coacervarem. Ipſum vero fluctus ſuos erexit adverſus me, & abſorpſit me tempeſtatibus ſuis, ſteteruntque inter fluctus ejus anima, & bona. Prodivi nudus in principio, & nihil mihi in exitu ſuppeditavi.

Timorem parit ac ſolicitudinem ſane maximam iniquitas, quæ Mundum efficit habitationem triſtitiæ, ubi multo quam fluctus, perículoſiores ſunt cupiditates exardeſcentes ad incendium. Retia ejus & laquei, peccata ſcilicet & delicta, quæ onera ſunt graviſſima, vinctos tenent miniſtros ejus mox ad interitum rapiendos. At qui Mundo valere juſſo, virtutem unice amplectuntur, eorum navis in portu libere conquieſcit.

Primo quidem aſpectu pulchra, ac dele-

[illegible]

A delectabilia sunt tempora & momenta tua, o voluptas, sed tanquam fumus illico evanescunt. Mundi honor depictus es tanquam somnium transiens, & dies tui in similitudine umbræ. Vesper tuus non durat, & mane tuum avolat. Effluunt horæ tuæ, ut statim in occasum inclinentur. Dum tibi lumen diei suppetit, peccator, ad consequendam remissionem propera.

B Rectum est judicium, & integerrimus Judex, cujus ad tribunal expenduntur, uti decet, singulorum hominum opera in statera. Afflictabuntur in illo die improbitatis cultores; contra vero laetabuntur justi in illa regione, in qua prosperandi sunt bonis. Et me, Domine, qui in meam aliorumque utilitatem adversus Mundi illecebras hucusque dixi, inter C electos tuos recensere ob gratiam tuam ne dedigneris.

[illegible]

PARAENESIS XXVIII.

Divinus ille David Citharam tractare occepit, & ea personante Psalmos composuit, inter quos haec habentur verba: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: Beati, qui scrutantur testimonia ejus.* (Psalm. 118. 1. 2.)

D Redemtor vero noster vitae beatitudinem annuncians, ita loquutus est. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* (Matth. 5. 8.)

Qui Mundum, & vanitates ejus aspernantur, suasque concupiscentias & otia flocci pendent, iis in annunciatione vitæ E bonorum retributio, thalamus non transiens & vita indeficiens promissa est.

Eadem porro merces iis etiam adservatur, qui genus, & parentes, & divitias, & possessiones reliquerint in hoc Mundo pro caritate Domini sui; illi namque sententiam hanc radicitus attingentes: *Beati scilicet pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Caelorum*, (v. 3.) templa Spiritus sancti fecerunt corpora sua, & concupiF scentias, ac vitia & cupiditates laboribus aerumnis, acribusque conflictationibus superarunt, & ob amorem Domini sui oderunt vitam, crucifixerunt animas & corpora sua, & orationibus nullo unquam tempore intermissis, omnium creatorem mitigarunt; viderunt Mundum praetereuntem, & detestati sunt concupiscentias ejus, quæ similes somnio sunt. Væ illi, qui Mundum possidet, & ab ipso misere possidetur.

[illegible]

Promisit Dominus in Evangelio beatitudinem iis, qui diligentes sunt ac vigiles in ministerio ejus. Dexteram suam porrigit, & dat eis mercedem, eosdemque ad mensam vitæ secum accumbere jubet. Coronas imponit illis, ut in thalamo delectentur, eo quod defessi sunt cum illo a mane usque ad vesperas.

Ad Jerusalem, quæ sursum est, volant, & exaltantur ii, qui mandatis ipsius obtemperant, & ejus legem custodiunt. Caeleste Regnum immortalitatis exspectat, & respicit eos, qui in agone decertantes, superiores & triumphantes discedunt.

Praesto adsunt, ut solent, Angeli, corroborantque Athletas, qui fortes in acie consistunt. Desiderant Caelites victorum occursum, & dant illis beatitudinem. Ingredimini, ajunt, laborantes, & a perturbationibus, quibus affecti fuistis, modo quiescite; vicistis enim, vicistis Mundi improbitatem laboribus, quos tolerastis.

Paradisus suas pandit fores ante eos, ut in splendidissimas illas stationes ingrediantur, & ibi perpetuis fruantur deliciis. Splendet fulgor eorum ut Sol, & pulchritudo ipsorum, sicut lux indeficiens, elucescit. Clamant modulis suis: Benedictus es, Fili Regis, qui non negas mercedem iis, qui tecum operati sunt. Laus & gratiarum actio ab ipsis redditur Deo optimo maximo, qui corroboravit eos in certaminibus suis. Contritiones, & perturbationes, quas tolerarunt absque murmuratione, vitam illis praeparaverunt in regno, cujus gloria est absque consummatione.

Admirantur Angeli mortalium felicitatē, qui parem cum creaturis ipsis spiritualibus gloriam consequuntur. Gloria, & Spiritu sanctitatis explentur, qui humilitatem Domini sunt imitati. Diligit justos Pater, & Filius blanditur humilibus, & Spiritus sanctus inhabitat in eorum cordibus, qui Virginitatem sedulo coluere. Vocat eos, inquiens: Vos, qui ejecti, & expulsi estis propter nomen meum, *venite, possidete paratum vobis regnum*, cujus cives nunquam deficiunt.

Matth. 25. 34.

Concurrunt optimi quique, illuc certatim confluunt, ubi jucunditatis plena vox exauditur, & justi etiam Anachoritæ advolant per nubes in occursum filii Domini sui, ut suscipiant ab ipso laborum suorum mercedem. Illi etiam qui præ nimia sacrorum Codicum lectione oculos amiserunt suos; totisque viribus in divinorum prae-

[illegible]

praeceptorum meditatione, atque executione incubuerunt, aſcendunt ad illam Eccleſiam primogenitorum, quæ eſt in Caelo, & cum illuſtribus caſtiſque Sacerdotibus concinentes ſibi mutuo gratulantur. Eorum animi divina prorſus atque incredibili laetitiæ voluptate geſtiunt, corpora vero aeterna in luce poſita nec ullius jam morbi ſqualorem timent, nec mortis tenebras reformidant.

Iis, qui, virtute ſibi propoſita, facere, & pati fortia Chriſtianum eſſe arbitrantur, & paupertatem divitiis anteponendam judicant, felicitas in caelo eſt divinitus conſtituta, quæ neque improborum odio, neque invidia eripitur, nec tempeſtatum, nec temporum viciſſitudine mutatur.

Quam quidem felicitatem quum viri optimi conſequentur, tum ſqualor erit & aegritudo maligni ſerpentis maxima, quod praeclara ſanctorum corpora ne leviter quidem obſcurare potuerit, neque poteſtas ſibi cum iis decertandi relicta ſit, qui nullam capitaliorem peſtem, quam voluptatem corporis, hominibus a natura datam quum probe ſcirent, ideo temperantiam in deliciis habuerunt, exiſtimantes tum magnum vectigal parſimoniam eſſe, tum ſummas in abſtinentia divitias eſſe poſitas. Videbant enim nec libidine dominante ſapientiæ locum eſſe omnino, nec in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Itaque non divitiis cum divitibus, ſed cum modeſtis pudore, cum innocentibus abſtinentia certarunt.

Non mirum igitur, ſi communis bonorum omnium hoſtis, eos dum intuetur, immortaliter dolet, quia & confringi laqueos, & fraudes pervulgari ſuas ab iiſdem impune ſenſit: & ſe propterea victum profligatumque videt, eos autem ad immortalitatis ſedem evectos, ubi veris ſummiſque bonis, nullo adjuncto incommodo, incredibiliter gaudent. Quidni itaque peſtis illa immaniſſima præ triſtitia corruet, quum juſtos viderit invidiæ ſuæ, ſuiſque fraudibus ſuperiores?

Haec ipſe mecum cogitans, facere nullo modo poſſum, quin te, Domine, vehementer orem, ut velis heic mihi lacrymas impertiri, quibus maculæ deleantur ſordeſque meæ. Me virtuti inimicum atque infeſtum fuiſſe fateor, ſed ut fatenti parcas, & fores pulſanti tuas miſericordiæ theſauros ut aperias, obſecro atque obteſtor.

Manifeſta ſunt tibi turpiter a me geſta, & vulnera patent mea: tu mecum illa,

illa, qua datur homini adscensus in Caelum, misericordia utere. In te, Domine, protegar, ne abjectus, contemtus, despectus ab omnibus in luctu jaceam, quum medicinæ faciundæ locus non erit.

Peccavi, nec inficiari audeo; nunc ecce id posco, ut effundas in me misericordias tuas, & redemtionem mihi tuam impertiaris. Absit a gratia tua, Domine, despicere peccatores detestantes iniquitates suas, & ad ovile tuum redeuntes. Gratias agam & ore & lingua munificentiæ tuæ, amator poenitentium, & propitiator peccatorum. Clamabo inter populos, & cautionem ac fiduciam praebebo omnibus peccatoribus, qui me secuti sunt errantem. Si misericordia mihi adsit tua, & ideo indulgentiam adeptus fuero, clamabo ad te quotidie inquiens: Tibi laus & gloria, Deus optime, sempiterna. Vos interim, oro, atque obtestor, quibus Mundi fraudes compertas efficio, ut a Domino nostro Jesu Christo pro me peccatore veniam imploretis.

PARAENESIS XXIX.

QUid peccato tantopere indulges, Anima amabilis & cara, quin judicii diem tecum unquam cogites? Te equidem latere non arbitror commutationem, quæ tibi extemplo eveniet, & rationem, quam de singulis operibus, & peccatis, quæ in hoc Mundo admisisti, mox redditura es. Surge ergo, illacrymare, ne suspiria inania fundere in Inferno cogaris.

Me miserum, Fratres carissimi, quia extincta est lampas mea in convivio, & a Domino meo jam longe remotus, in tenebras impellor exteriores, ac propter scelerum foeditatem vilis sum Angelis, & comes Satanæ! Væ si sederit Aequitas, & judicaverit me! Confundar utique cum maligno.

Ecce montes & torrentes & colles increpant me, quia poenitentiam protraho, & scopuli lacrymant, & vitam deplorant meam gemitibus tristissimis, & nos etiam stimulant, ut secum effusis lacrymis ac singultibus comploremus, & imitemur Jeremiam Prophetam clamantem: Væ si sederint simul, & fleverint infirmitatem meam miserrimam!

Arguent & increpabunt me omnes colles, quia factus sum foetidus & bonorum omnium expers. Decebat, omnibus momentis meis protegi verbis spiritus sanctitatis, a qua me prohibuit rebellis proditor.

A tor. Voluntate mea depravata atque in deterius in dies prolabente, ei morem geſſi, & veſtigia ſequutus ſum illius, qui peſſimus eſt ab adoleſcentia ſua, & qui ſi voluiſſem, ſtatim a me receſſiſſet.

Væ mihi, amantiſſimi, atque cariſſimi Fratres, quia foedus cum ſceleſtis inivi, & ecce egeſtas, ac calamitas, in quam incidi, vilis eſt omnibus, qui me intuentur; opem enim petebam, & nullus B mihi opitulaturus accedebat. Ingemiſcam abſque menſura, & flebo abſque quiete, & lacrymas effundam cum dolore, ac triſtitia, eo quod factus ſum habitaculum malorum, & vacuus ſum bonis.

En me omnes ſancti ac beati conſpiciunt, & ut ipſis aſſocier, invitant; at ego nullas fudi lacrymas pro delictis, quæ multiplicari coeperunt a teneris un- C guiculis. Lugeant me honeſti omnes & ſancti; factus enim ſum alienus a thalamo gaudiorum.

Fratres cariſſimi, dementiam, quotquot adeſtis, lugete meam, quia longe abfui a dilectione veſtra. Ecce ſcopuli, in quos illiſus ſum, meam conditionem miſerantur; quippe qui me otioſum, atque a virtutis calle longe errantem inſpexerunt. Commoti ſunt ſuper me cum hor- D rore & clamore valido, quia non praeparavi ſubſidia ad viam aeternam, & emolitum non eſt cor ſilicis, quod a teneris annis obdureſcere incoepit.

Væ ergo mihi, ſi Aequitas in judicio ſententiam mihi congruentem protulerit! En extemplo prope exanimis deficiam. Væ quoque vobis, Fratres mei amantiſſimi, ſi ibi miſericordiæ aberit locus, ſicuti nunc E eſt omnibus quaerentibus illam cum gemitu ac ſingultu! Miſericordia ſiquidem vitam, & gaudia unicuique, qui poenitentiam obtulit, impertitur.

Quam cito evaneſcunt, & quam celeres fluunt peccatorum dies! Non ſufficient omnium ora & linguæ judicii terrorem improbo reſervatum ſatis exprimere. Si tamen experrectus repente fuerit, & ſerio miſerrimam ſuam conditionem F conſideraverit, lacrymandique nullum finem fecerit, tum gaudiorum thalamo perfruetur, & judicii ſeveritatem effugiet.

Beatus ille, qui felicitati reſtitutus eſt, & iratum placavit Dominum mirifica poenitentiæ efficacitate, & illuc ſe contulit, ubi veræ tranquillitatis portus apparet, & ereptus eſt a judicio, & igne, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus; a judicio, inquam illo, cujus ſententiæ nullus eſt, qui audeat refragari. Beatus ille

ille, qui Satanam nunquam audivit, nec praestitutum illi judicium est passurus.

Beatus ille, qui mala sua omni loco ac tempore detestatur, & aversus est a malitia, ex quo meditari coepit vanitates & scelera, quibus praesens mortalium sedes impurissima sordescit; beatus, inquam, quia ingredietur in atria tua, Domine, fruiturus cum electorum omnium choris in illo regno, quod nulli vel minimæ corruptioni, aut vicissitudini obnoxium est, sed deliciis abundat indeficientibus, ac divinis.

At me miserum, Fratres dulcissimi, qui libidinum ac flagitiorum omnium coeno volutatus sum! O cor silice durius, quod nunquam formidandus ille judicii dies timore perculit, in quo nullæ sunt misericordiæ, nulla remissio, neque ullus superest lacrymis, aut suspiriis locus! Væ igitur mihi, qui aequitate monitus scio quam late pateant ea, quæ intoleranda cum audacia ac petulantia sunt a me commissa & perpetrata!

Quum me, Domine, pereuntem vidit caritas tua, passa non est, ut ab aeterna felicitate perpetuo exularem. Quapropter ex altissimo Majestatis fastigio descendisti, & salutiferæ tuæ Nativitatis, Passionis, & Crucis beneficio memetipsum a Daemonis tyrannide eripuisti. Ego tamen injurias pro officio reposui, & non intermissa peccandi licentia, mitissimum tuum animum per audaciam singularem exulceravi. Proh me infelicem & omnino perditum præ multitudine scelerum atque malorum!

Ecce dolens ploravi, & lacrymarum maximam fudi copiam, tacitus mecum animo volvens, ignem mihi jam impendere in illa regione, in qua *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. (*Job* 10.22.) In obscurissimam maximeque metuendam me adduxit foveam; natare per incendium coegit, in tenebris & in umbra mortis me oppressit admirandum in modum ex terrore transitus ululantem.

Ad tetros tenebrarum carceres animum adjeci, respexi ad dexteram Beatorum sedes, & ad lævam improborum stationes; tum vero vim ejulatibus superaddidi amare lugens, & clamavi cum gemitu & tristitia, ac mihi ipsi contemtui exstiti & pudori. Me etiam atque etiam infelicem! Ecquid mihi est ab aequitate paratum?

Surrexi, & experrectus sum, & non liberum ab ipso me supplicio cernens, scidi indumentum meum, & exterritus inti-

A intima doloris magnitudine ejulavi, quem imbecillitati meæ video contigiſſe, Quid faciam igitur? In ſimilitudinem Peccatricis confitebor peccata mea, & madentibus oculis juſtitiam jure mihi iratam pro virili contendam flectere atque emollire.

Mei ſimiles Publicanos & Peccatores ad poenitentiam reverſos inveſtigabo, & cor meum excitabo lethali in veterno jacens, ac prope ſepultum, atque a vitiorum poteſtate, cui tandiu emancipatum eſt, vindicabo; poenitentibus me adjungam ſocium, & cum iis ſuper mea crimina ingemiſcam, ne ad teterrimum judicium, & ſupplicia apud inferos omnia ſuſtinenda compellar.

Dignum me, quaeſo effice, ut te, Domine, cordium noſtrorum amorem diligam, cujus in aſpectu juſtorum laetitia ac beatitudo ſita eſt, nec quicquam a te alienum expetam. Qui poenitentes amplecteris ac peccatores, qui dolentes ac gemebundi ſtultitiam ſuam improbant, humaniſſime excipis, praeſta, ut optatiſſimum ſanctorum exitum, quorum in benedictione memoria eſt, mihi ſortiri contingat.

Deus, tua te caritas eo impulit, ut de nihilo me creatum caeleſti pulchritudine decorares; ego autem ingrati animi vitio laborans, tui oblitus ſum, & Satanæ obtemperans cecidi a priſtina illa gloria ſpecioſa ac delectabili in lutulentiſſimum foeditatis obſcaenitatiſque gurgitem. Væ mihi, *quia*, *quum in honore eſſem non intellexi*, & ideo aeternis ignibus torquendus ero. Pſal. 48. 13.

Te ſupplex, Domine, per Crucem tuam conteſtor, ne debitas de meis ſceleribus poenas ſumas, neque coram majeſtate tua confuſum aſſurgere patiaris; ſecus enim præ timore concidam exanimatus. Imo te mihi placatum exhibe, ut filio Jeſſe, cui liberationem culpæ, & errati veniam conceſſiſti. Obſecro te, ut per illum funeſtiſſimum diem, quo immaniſſimi carnifices te arbori ſuſpenderunt, benevolentiam in me tuam augeas quotidie magis.

Ignorant Cherubim, cui comparanda ſit illa virtus in ipſis habitans, quæ licet ab eorum conditione quam longiſſime diſtet, ea tamen ipſi divinitus illuſtrantur. Benedicta eſt virtus, quæ tam altis in ipſorum mentibus radicibus infixa eſt, ut nullo unquam modo labefactari queat. Gratias tibi habeant maximas caeleſtes vigiles, gloriæ tuæ participes, & cum Maria Matre tua ſuperiores omnes & inferiores tibi

tibi cum laudibus gloriam offerant omnibus horis.

Inſurrexerunt Martyres, qui propter Regem gloriæ ſtrenue decertantes in ipſo pugnæ aeſtu animam efflarunt. Oderunt vitæ uſuram propter illius ſpem vitæ, quæ nullo temporis ſpatio circumſcribitur; nec tormentorum acerbitatem extimuerunt; quin etiam eo virtutis devenere, ut cruciatus, vulnera, mortem denique ipſam contemſerint. Quapropter interminabilis vitæ beatitudo, & thalamus luminis non deficientis illis divinitus adſervatur.

Ecce in terram redeunt & in pulverem mortales quotquot ex Adamo profecti ſunt, & reſurrectionis vocem ſolicite exſpectant, ut ad vitam ſua corpora cum immortali gloria excitentur. Defuncti, Domine, qui ſtola candida induti ſunt in Baptiſmate, & paſti ſunt Corpore tuo, & vivo tuo Sanguine potati ſunt, reſurgent olim in latere dextero, & in beata immortalitatis ſede Angelorum gaudiis perfruentur.

PARAENESIS XXX.

HOc mihi impertire, Domine, ut ſi pervigil noctes traducam, in tuis oculis caſtus atque integer conſiſtam; ſi vero obdormiam, omnis prorſus ſceleris expers ſit ſomnus meus. Si vigil in culpas offendam, ſine, Domine, tua me clementia expiari; ſi autem ſopore correptus peccavero, tua mihi adſit propitia benignitas.

Somnum mihi concede tranquillum, & curis omnibus ac ſolicitudinibus vacuum ob crucem & humilitatem tuam. Turpia illa ac turbulenta, quæ mentem agitant, inſomnia, ut a me arceas, ſupplex poſco, perque totum nocturnæ quietis intervallum mihi praeſto adſis, ne obſcaenis cogitationibus animus deturpetur, ac peſſimi veteratoris fraudibus deludatur.

Vanas ac pernicioſas a me cupiditates remove ob vivificum Corpus tuum, quod ſumſi, & pro infirmitate mea Sanguis excubet tuus, ut, omni prorſus abjecta formidine, ſomnos capiam placidiſſimos. Animæ autem meæ, quam tui pene ſimilem procreaſti, pulcherrimæ tuæ formæ praeſtantiam redde, quæ in corpus etiam, quod tuis manibus efformatum eſt, mirifice trajiciatur.

Miſerationibus tuis, inexpugnabili veluti ſcuto me undequaque circumda; maxime vero te etiam atque etiam oro, obteſtorque, ut cum ſomno reficior, immanem

[illegible]

nem generis humani hostem retundas, ob Genitricis tuæ preces & merita, & ob incruentum ac salutiferum illud sacricium, quod pro omnibus aeterno Patri in ara Crucis sanctissima obtulisti.

Quod mihi pollicitus es, perfice, Domine, & custodi vitam meam Crucis tuæ praesidio; sic plane fiet, ut tandem experrectus, tibi debitas laudes referam cum iis omnibus, qui placido fruuntur somno, & qui vigiliis ac laboribus cum infensissimo animarum adversario decertant. Tibi gloria, Domine, qui nunquam obdormis, & mihi maxime imbecillo tua caritate opitulatus es, & me vigilem ad tui gloriam effinxisti.

PARAENESIS XXXI.

[illegible]

Suscipe demissionem nostram, mitissime Deus, & te tuo populo placatum exhibe, nec nos increpes in ira tua, neque consurgas adversus nos; multorum enim nobis ipsis conscii criminum sumus, ac flagitiorum. Te iratum immensæ misericordiæ flectant, & quam nos innumeris obstricti peccatis tibi offerimus in odorem suavitatis, hostiam benigne excipe. Sacerdotum, qui sacro Altari tuo ministrant, dignitas pertingat, oro, ad illud usque fastigium, ad quod summus sacerdos Aaron fuit olim evectus.

In immensum, Domine, iniquitatis mare demersus sum, atque ipsius fluctibus huc illuc impulsus a via mandatorum tuorũ quam longissime aberravi. Iccirco in ingentes calamitates ac sordes incidi, quin aliquis vel minimo me praesidio juvaret, aut effraenatam animi licentiam coerceret. Te, Domine supplex invoco, sicut Simon in mari; & quemadmodum ipsum ex redundantibus fluctuum vorticibus sartum tectumque ad te traxisti; ita me quoque a meorum criminum ingenti pelago, ab Inferni carcere, & a vermi, qui nunquam moritur, eripias, supplex contendo. Maximas interim tibi gratias habeo, unigenite Fili Dei, qui propter nimiam caritatem tuam, qua dilexisti nos, ad filios hominum delapsus es, eorum redemtionem magnificentissime operaturus.

Mundi consortia consectatus sum, & mea mens nunquam perturbationis expers fuit; quandoquidem illud præ oculis semper habuit, quod Mundo adhaerentibus servatur incendium. Dolebam itaque, & vehementer angebar, quum viderem in flagitiis transactam hucusque vitam, eosque tunc beatos praedicabam, qui ad hone-

honeſtatis ac virtutis normam ſuos dies compoſuerant. Nunc vero tuam, Domine, imploro clementiam, ut mihi propitius ſis, antequam meis mihi facinoribus coram metuendo tribunali tuo terrorem incutientibus in aeterni ſqualorem carceris detrudar.

Væ mihi, Fratres cariſſimi, qui tempus trivi in captandis hujuſce ſeculi voluptatibus, neque unquam ſerio animadverti formidandum accedere diem illum, in quo Unigenitus Dei Filius e Caelo in terram iterum deſcendet, innumerabili caeleſtium agmine circumſeptus! Unuſquiſque tunc temporis ante ipſum conſiſtet præ formidine plane exanimis, ut cujuslibet vel leviſſimæ culpæ Judici rationem reddat. Si me interrogaverit tam de latentibus, quam de manifeſtis criminibus, quid illi reponam? ſine, Domine, ob ſacroſanctum Corpus & Sanguinem tuum, quem ego indignus ſuſcepi ex Sacerdotum manibus, ut indulgentiam conſequar optatiſſimam.

Mundus, ejuſque divitiæ, & opes nihil omnino ſunt. Praeterit ejus figura, & potentia deficit. Ipſius concupiſcentiæ cito evaneſcunt, & ſomniantium inſtar, nihil inveniunt in manibus ſuis omnes viri divitiarum.

Nobis, Fratres amantiſſimi, ſemper ante oculos obverſetur improviſæ mortis, judicii, & poenæ, quæ in vitæ exitu ſceleſtis capitibus imminet, funeſtiſſima imago. Et modo, dum tempus ſinit, ſic ad Deum cum gemitu ac triſtitia clamemus: Mitiſſime Domine, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, placare, obſecro, nobis omnibus, qui peccavimus.

Quum Dei Filius cum poteſtate magna & majeſtate in caeli nubibus apparebit, ut mortuos ad vitam reſtituat, deſcendent cum eo omnes Angeli horribili tuba perſonantes, cujus clangorem omnes, qui in monumentis ſunt, audientes, in momento, in ictu oculi, ſinguli ad vitæ diuturnitatem excitabuntur. Tunc thronus firmabitur, in quo Judex ſedebit. Mox ſeparabit malos de medio juſtorum, bonos quidem regno, malos vero Gehennæ perpetuo addicturus.

Deprecemur, cariſſima mihi capita, dum adhuc luce fruimur, miſericordiam, ut in ſeculo nunquam interituro illam inveniamus, & Regnum haereditario jure ingrediamur, hilarique vultu atque ingenti laetitia perfuſi occurramus Domino cum iis omnibus, qui gratia ipſius ditati ſunt.

Domine

Domine, tuo vocis oraculo dixisti quondam : *Invocate me, & ego exaudiam vos, pulsate, & aperietur vobis*. En ad te clamamus, ut Peccatrix illa in Evangelio laudata. Nobis, quaeso, dimitte, quam contraximus, noxam, ob immensam clementiam tuam. Te obsecramus ea animi submissione ac verecundia, qua olim Publicanus, & ea cum fiducia, qua filius ille omnis patrimonii dissipator patrem suum adiit; cum illo genuflexi, ac dolentes clamamus : Peccavimus in Caelum, & coram te, Domine, tu modo nos, sicut promisisti, benigne excipe, & gaudium erit in Caelo coram Angelis tuis, & Angelorum Principibus. Tu, Domine, qui Simonis poenitentiam ratam acceptamque habuisti, eam quoque excipe, quam tibi nunc offerunt famuli tui, & nostrum omnium miserere.

Agedum, peccator, qui praesentem Dominum injuriis laedere ausus es, intimo animi dolore affectus ad eum propera, & ipse acceptas injurias obliterabit. Clama, nec cesses cum gemitibus ad Medici ostium pulsare, eumque obtestans animae illi vulnera ac cicatrices ostendito. Custodi deinceps linguam a malo, & labia tua, quae ad Creatoris laudes celebrandas efformata sunt, ne loquantur dolum.

Si peccaverit in te frater tuus, dimitte illi, & Pater caelestis tibi pro sua miseratione dimittet, uti non semel ipse testatus est. Misericordia tua, Domine, nunquam nos deserat, sed delictis nostris propitietur, dignosque efficiat, qui aeternis deliciis in tuae Majestatis sede perfruamur.

Quid ita, fili hominis, praetereuntis hujusce seculi dolis te irretiri passus es? Cur inanes eas illecebras, quibus tibi tantopere blanditus est, quasi te veris possent felicitatibus cumulare, tam pronis auribus accepisti? Hoc tibi compertum esse velim, hujusce Mundi figuram veluti umbram evanescere, & tibi nihil profutura obsequia, quae ipsi maxima praestitisti.

Mortalem te esse cogita, & horam vitae novissimam studiose accurateque perpendito, neque te Divitis illius Evangelici recordatio praetereat, cui vel unica aquae guttula, exigua scilicet ac nullius prorsus momenti in tantis ardoribus recreatio, est divinitus denegata. Opem largiter, dum vitam vivis, indigenis erogato, quia Christus tibi se amplum fore remuneratorem pollicitus est, dum ait :

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Nam si te in pauperes praebeas misericordem, beneficum, liberalem, in Resurrectionis die uberrimam gaudiorum segetem colliges. Quod ut certo certius consequaris, frequens erit deprecatio haec tua : Ne te iratum sentiamus peccatis nostris ob gratiam tuam, Fili Dei, quoniam ad humanae conditionem humilitatis descendisse te novimus & gratulamur.

Imminet jam, ac prope adest fatale tempus, & terribilis illa dies non longius protrahetur, quum Rex Regum Christus stipatus ingentibus Angelorum copiis est processurus, & ad Montem Jebus cursum cum majestate maxima directurus. Hinc Angelis jussurus, ut sparsam ac circumfusam humani generis multitudinem in unum cogant, suoque ordine collocent. Postmodum throno erecto, ac Judice sedente, omnes sententiam audituri suis operibus debitam circumstabunt. Tum quaeso, Domine, qui constitutus es judex vivorum ac mortuorum, tum ea mecum misericordia utere, cui nulla potest oratio par inveniri.

Quo enim pergam, aut ubi me abscondam a vultu irae tuae, quum nullum inveniri aut excogitari queat tam in Caelo, quam in terra, aut in profundo, spatium, quod tuae magnitudinis immensitate non impleatur? Ad te igitur supplex venio, quemadmodum foemina illa, cujus est in Evangelio mentio, quae vestimenti tui fimbriam apprehendens, illico ab inveteratae aegritudinis molestia emersit. Eadem ferme ratione, ego etiam, quia Crucem tuam apprehendi, & in ea omnes spes habeo collocatas meas, te oro, ut a sempiternis ignibus liberatum tua me misericordia collocet in sinu Abrahae.

PARAENESIS XXXII.

Antequam mea me crimina ad judicii tribunal properantem praevertant, meque reum, ac proinde pudore obrutum coram Judice constituant, succurre mihi, & miserere mei.

Antequam tuas mihi fores occludas, & ardentissimis Gehennae ignibus adurar, succurre mihi, & miserere mei.

Eccl. 12. 7. *Antequam frangatur hydria populorum ad fontem, & rota temporis currat super puteum,* succurre mihi & miserere mei.

Antequam fallaces virtutis imitatores dicant : Domine, Domine aperi nobis,

[illegible]

A bis, tuque eis reponas: Nescio vos, succurre mihi & miserere mei.

Antequam Filium Regis praeeant Angeli vadimonium singulis constituturi, comparendique in judicio designaturi diem, succurre mihi, & miserere mei.

Antequam in pulverem convertendus tabescam, & pristina formæ dignitas defloreseat, succurre mihi, & miserere mei.

B Antequam florentes annos abscindat mors, & lethalibus dolorum cruciatibus prematur corpus, succurre mihi, & miserere mei.

Antequam obscuretur Sol in aere coruscans, lux tua atram, densamque meæ mentis caliginem dissipet, ut experimento discam, nihil tam esse promtum aut paratum, quam miseris hominibus operam, curam diligentiam auctoritatem C tuam.

Antequam insonet tuba illa horribilis tui adventus nuncia, hoc a te, Jesu Salvator omnium, vehementer poscimus & obtestamur, ut quam semel suscepisti defensionem dignitatis nostræ, in ea non solum misericordiæ, sed etiam constantiæ caussa fortiter perseveres.

[illegible]

D PARAENESIS XXXIII.

Expavesce & contremisce, peccator, a judicii conspectu, atque supplicii, quod paratum est in inferno Quaere tibi remissionem in praesenti vita, & a Domino Deo tuo salutem etiam atque etiam exposcito. Tibi misericordiam para, antequam e vivis decedas, ne ab interitu ad E poenarum aeternitatem gradum facias. Ingenti quisquis formidine corripietur, dum Judex judicandi materiem a voluntate sumet; is porro, qui justum se esse jactitat, judicii sibi conflat argumentum; contra vero, qui se reum ac poena dignum ultro fatetur, misericordiam facilius ab Judice impetrabit. Væ inerti atque oscitanti mercatori, cujus talentum sine fructu sepultum jacet! Terror ingens F tunc temporis animas occupabit, quum rationem erunt de omnibus suis operibus redditurae. Oculos ad fratres convertet improbus & ad amicos, ut sibi suppetias ferant. Oblivisсetur titulos, dignitates, opes, oblectamenta, ceterasque Mundi illecebras, eosque infelicissimos arbitrabitur, qui praeter id, quod est victui necessarium, plurima possidere laboraverunt.

Proh quam dura & deplorabilis ea divisio est, Fratres carissimi, quæ fit a Deo

[illegible]

a Deo in die judicii! Quo me conferam, ne tot tantisque calamitatibus atque angustiis intersim? Aut cujus consiliis, studiis, actionibusque nitar, quæ tutum mihi perfugium & auxilium suppeditare possint? Quid agam mox judicandus, quum egomet in me tela converterim? Ignis aeterni vim, & furorem quisnam oculus intueri, aut intellectus percipere valeat?

Vafer ac proditor Diabolus me fefellit. At vero si decipi humanum est, ne me, Domine, cum iniquis atque peccatoribus in Infernum projicias, oro; sed jubeas me venire ad te in splendidissimas Beatorum sedes, quæ Electis tuis paratæ sunt. Crux tua, Domine, me ad dexteram contendere laborantem sustineat.

Pretiosissimum illud caelestium clavium pignus, cui, Domine, commisisti? Apostolorum Principi Bar-Jona, quo cum ut thalamum tuum mihi communem facias, te obtestor, Domine; Teque, oro, sanctissime Apostolorum coetus, ut tua pro me auctoritas atque gratia deprecetur. Vos quoque Prophetæ appello, vosque invictissimi Martyres, qui vestrum pro Christo sanguinem effudistis, imploro, ut mihi veniam impetretis. Tibi, piissime Jesu, confitebor, & tui nominis praedicationem cum seculorum omnium memoria adaequabo. Tu peccatori in vitiis enutrito, & quod caput est, de aeterna salute nihil plane solicito, tu, quum judex adveneris, mihi veniam impertire.

PARAENESIS XXXIV.

Domine peccatorum salus, atque perfugium parce nobis in die judicii, neque injurias, quas tibi summam per impudentiam intulimus, ulciscaris. In eo, inquam, judicii die nos ad Agni nuptias evocato. Quum caelestes Hierarchiæ tui furorem vultus, majestatemque veritæ ante justitiæ solium constiterint, tum me terrore perculsum atque prostratum ne tuæ misericordiæ subsidio exuas. Nam licet nequam & improbus, tuas tamen laudes celebrare non destiti. Quando sapientum ora obmutuerint, & graviter vehementerque infremuerit virga judicii, aperi tunc, Domine, os meum, quia nomen sanctum tuum palam professus sum. Quando nullus aderit aut propinquus, aut socius, qui vel minimo possit esse subsidio, & uniuscujusque gesta in quaestionem publice adducentur, tum mihi,

A [Syriac text illegible]

B [Syriac text illegible]

C [Syriac text illegible]

D [Syriac text illegible]

E [Syriac text illegible]

F [Syriac text illegible]

A mihi, Domine, defenſor ſis & patronus; Ad te enim levavi oculos meos, unde mihi auxilium obventurum confidi. Quando ignis furet, & quiſquis in ſumma animi perturbatione verſabitur,& qui tanquam aurum in fornace probatum non effulgebit, aeterno ignis ſupplicio afficietur, tunc pietatis tuæ rorem effunde ſuper me, ne igne voraciſſimo concremer. Quando mei ſimiles timor invadet maximus, & ignis pec- B catores torquebit vehementiſſime, tum ſis mihi, Domine, adjutor, & protector. Quando tuba horribili ſuo clangore mortalibus metum afferet inuſitatum, & mercedem unuſquiſque accipiet ſuis operibus debitam, tum ſurge, Domine, ad defenſionem meam; te quippe unum ſpectat ſpes omnis mea, & ſalus ex te noſtra unice pendet.

Pſal. 120. 1.

C Quando igneum illud fretum ad ultionem infremet, is, qui navem ſcopulis ac procellis fractam atque illiſam reficere neglexerit, fluctibus obruetur. Ego autem in te, Domine, veluti in tranquillo ac tutiſſimo ſalutis portu, cum electis tuis placide conquieſcam. Quando improbi ſiniſtram, probi vero dexteram occupabunt mox aeternitatis gaudium ingreſſuri, dignum me, quaeſo, D effice, Deus meus, ut ipſe quoque illi beato gregi comes adjungar.

Domine ſuperiorum gloria, & ſpes inferiorum, ſuſcipe miniſterium noſtrum, & calamitatibus noſtris opitulare. Indulge nobis, Domine & parentibus noſtris; nec parentibus tantum, verum etiam praeceptoribus. Indulge nobis, iterum dicam, indulge nobis, & quotquot aut conſanguineis, aut praeceptoribus obſtricti ſu- E mus; quietem vero & pacem tribue defunctis noſtris, & iis omnibus, qui invicta animi conſtantia nomen tuum profeſſi ſunt, obſervandaeque religionis ſtudio ad Corpus tuum & Sanguinem frequenter accedere conſueverunt. Singularis illa tua miſericordia vincat improbitatem noſtram, ut cum tuis agnis conjuncti tuum in ovile ingrediamur, & ſan- F ctis ordinibus adſcripti Majeſtati tuæ, quæ te maxime decet, gloriam retribuamus. Pateant omnibus, excludant neminem valvæ tuæ, o Jeruſalem beata Civitas, & vota, deprecationeſque noſtræ ante thronum Agni admiſſæ tum Dei parentis Virginis, tum Beatorum omnium interceſſionibus miſericordiam atque clementiam conſequantur. Accipe, quod tibi offerimus, nullius ſane pretii miniſterium, & miſericors nobis eſto per obſequentiſſimos Angelorum

gelorum choros, & Principum, quorum in te amor is ſemper fuit, qui eſſe debet. Suſcipe orationes noſtras, & iis, qui caritate tua, & fide fulti vitam laudabiliter impleverunt, in Caeleſti thalamo aeternitatis beatitudinem elargire.

PARAENESIS XXXV.

Illum, Domine, furorem, qui in Iſraelitas exarſerat, ſummus tuus ſacerdos Aaron compeſcuit, poſtquam tibi thus in odorem obtulit ſuavitatis; Thus illud pariter, quod hodie in honorem tuum cremarunt ſervi tui, gratum acceptumque tibi ſit, & iratam in nos majeſtatem tuam permulceat, & tuum gregem expiet, qui nunquam de tuis laudibus conticeſcet.

Innumeras, quibus mea foedata eſt anima, conſideravi maculas, & obſtupui; quin etiam ingens me cepit pavor, cum ad intoleranda ſupplicia, quibus devotus ſum, mentem converti meam, praeſertim in die judicii, quum nullo habito aetatis, aut conditionis diſcrimine ſceleſta capita ſupplicio addicentur. Miſericors & miſerator Domine, propitius ſis mihi, & clementiam jubeas de me tuam, non juſtitiam triumphare. Cauſſam meam ſuſcipiat manſuetudo, non furor, & gratiam tuam inflammato ſtudio celebrabo.

Refugit animus, ac perhorreſcit cum judicii, Domine, tum flagelli terrorem tui. Ecquis enim, vel ita innocens, aut uſque adeo duræ frontis eſt, qui ſuſtinere poſſit faciem tuam, quum pro tribunali ſedebis? Quis non metu concidat, quum terrificis clangoribus buccina circumſonabit ferendæ mox ſententiæ ſignum datura? Tuam, quaeſo, indignationem, Domine, Caelum & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, placatam nobis atque propitiam efficiant: noſtram apud te cauſſam ſuſcipiat Corpus tuum, quod ſumſimus, & ab aeternis nos cruciatibus vindicet ſalutare, quo initiati ſumus, Baptiſmatis Sacramentum.

Tuas quotidie fores obſidet clamor adorantium te, ne noſtrarum patiare, quas in maximis anguſtiis ad te fundimus, ſupplicationum vim eſſe irritam atque inanem. Te lacrymantibus quondam oculis invocavit Peccatrix, ac repente non ſolum delictorum veniam, ſed pacem etiam, & pacem veram conſequuta eſt. Flectant te modo Altarium pulvinaria ſan-

A sanctissima, & sacerdotum suspiria, qui pro ovibus tuis sibi commissis veniam impetrare non cessant. Propitiare igitur Ecclesiæ tuæ, quam ab initio possedisti. Quod refractarii saepe fuerimus, ac contumaces, certum perspectumque nobis est, quorum scelera exstiterunt & multo maxima, & plurima. At tu, bone Jesu, qui quum adhuc in terris ageres pertransire benefaciendo solebas omnibus, tu ab B altissimo Majestatis fastigio, ubi tam pulchre sedes, misericors nobiscum esto; salutaribus nos undis ablue, & super nivem dealbabimur.

David, qui lapsus est in peccatum, statim ac tactus dolore cordis intrinsecus a te veniam efflagitavit, misericordia motus es super eum, & opprobrium ab ipso suum illico abstulisti. Quidni igitur Ecclesiam C pariter, carissimam scilicet sponsam tuam, dum te supplex obsecrat, amplectaris, quum praesertim ejusdem filiis tuo vocis oraculo non semel dixeris; *Invocabitis me, & ego exaudiam vos*? En te singuli invocamus, quemadmodum nos esse monitos voluisti. Quid ergo restat, nisi ut te profiteare non tam in ultionibus, quam in promissis & fide firmiorem? Pateant itaque aures tuæ misericordiam, & opem D implorantibus, neque diutius gratiam nobis deesse sinas, quæ una ex omnibus maxime est ad nos consolandos accommodata.

Jer. 29. 12.

Vix apud me præ verecundia sum, ac præ metu, quum tacitus mecum ipse memoria repeto gravissima illa verba: *Serve nequam, recede a me in tenebras exteriores.* Quod si quum tempus aderit lolium a E tritico secernendi, perjucunda me voce illa: *Euge, serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*, recreare volueris, id ego muneris eximiæ tuæ benignitati tribuendum unice ducam, ac magnifice praedicabo. Ne ergo, Domine, ne, quaeso, me indignum efficias, qui ad caelestis Agni nuptias adducar, solidam perfectamque animi tranquillitatem consequuturus.

Matth. 25. 20.

v. 21.

F Singulare vas illud & admirabile electionis Paulus Apostolus conscripsit ad primaevos Christi fideles Epistolam, in qua aperte profitetur, nos non habere heic permanentem civitatem, sed futuram inquirere; noctemque processisse, diem autem appropinquasse, in qua manifestabit Judex consilia cordium, & aperiet librum, in quo omnium gesta cogitationesque singillatim notatæ reperiuntur. Hinc separatione reproborum ab electis facta,

facta, aliis quidem caeleste Regnum impertietur, alios autem aeterno supplicio multabit.

Me jampridem ex delictorum coeno emergere conantem, ipsa peccata, quæ nimirum adversum me invaluere, praepediunt; quin etiam pestilentissimus humani generis hostis nunquam a mei oppugnatione desistit, quum illi certum in animo sedeat, suis me telis confossum sternere ac profligare. Tu, Domine, qui mortalium firmissimum es praesidium ac decus, sis mihi *turris fortitudinis a facie inimici*. Tuam opem imploro in teterrimo hoc certamine constitutus. Tua Crux adversarii tela retundat, & statim ex acie victor discedam, eoque in persolvendis tibi gratiis studiosior ero, quo majorem habet praeteriti doloris secura recordatio delectationem.

Psalm. 60.

Gratum acceptumque tibi sit, obsecro, ministerium nostrum; preces nostras benignus excipe, neque sileas, aut discedas a nobis, suavissime Domine, cujus bonitatis thesaurus est infinitus; schismata & contentiones, Christianæ Reipublicæ pestem, atque exitium nunquam satis deplorandum, ab Ecclesia catholica perpetuo arce, & universo terrarum orbi pacem atque tranquillitatem optatissimam impertire; nobiscum vero impiis & peccatoribus beneficentiam exerce, quam soles, maximam, ut ornari celebrarique ab omnibus cum tu non desinas, tum Parens tuus, ac divinus praesertim Spiritus hortator auctorque bonorum omnium & consiliorum & operum.

Ne benevolentiæ, Domine, amorique nostro plurimum elargiri, nosque benignissime excipere defatigeris, quos tuo ipse sanguine ab inferorum faucibus vindicavisti; nostra siquidem maleficia furorem tuum lacessere non desistunt, ac poenam tuis prope de manibus extorquere. Ne tuo nos, inquam, deseras subsidio vacuos ob saluberrimam passionem tuam. Si te ad ultionem concitavimus, trahe nos ad poenitentiam, & libentissime non voluntatibus solum, sed tuis etiam nutibus morem geremus. Cibasti nos pretioso Corpore, & Sanguine tuo, quem nobis certam futuræ beatitudinis arrham reliquisti; ne iccirco pessum abire nos sinas.

A

ܡܐܡܪܐ ܕܬܠܬܝܢ ܘܫܬ.

[illegible]

PARAENESIS XXXVI.

Quum judicii sedes firmata, ac universo mortalium generi sententia indicta fuerit; quum Judex suam orationem exorsus fuerit, superioresque ordines trepidabunt; quum de operibus quemque suis interrogaverit, ac rei pallescere occeperint, mea tum levitas si me tibi vehementius commendabit, eam ne aspernare, Domine Jesu, cui virgo parens exstitit, singulari inauditaque clementia. Quum justitia singulos e tumulo redivivos jusserit ad tribunal accedere: quum Angeli ejusdem comites & administri optatam aliis, aliis invidam partitionem efficient, tum, Domine, ne excludere nos a portu, ac perfugio velis, quin potius nos amplectere, qui nomen tuum palam, ac super tecta praedicavimus, ut jussisti, & corda tibi sensusque nostros, tanquam votivas in precibus offerendis victimas immolavimus; ex te enim didicimus: *Omnis, qui petit accipit*; Ne igitur faciem tuam avertas a nobis, quamvis in ea vita manserimus, in qua nihil reperias, nisi propagationem miserrimi temporis.

Pastor omnium amantissime, qui devias ad pascua redeuntes oves non modo non rejicis aut aspernaris, sed earum in amplexus irruis, ac de reditu magnopere gratularis; Pastor, inquam, vigilantissime, insonet, oro, vox tua in auribus nostris, quae a gravi vitiorum sopore nos excitet, & ad poenitentiam adducat. Gloriam clementiae celebret atque justitiae tuae universus terrarum orbis; Misericordiae siquidem tuae vitam peccatores acceptam referunt, & quicquid ex poenitentia boni sunt consequuti, id totum tuae beneficentiae laudem statuunt esse. Gloriam tuam omni praedicatione majorem fateantur justi, quorum precibus mansuetudini cedere persaepe gaudet furor tuus. Tuis ubique laudibus peccatores faveant, quia de ipsorum emendatione summopere delectaris, perinde quasi eam cum ipsis, tum etiam tibi gloriae futuram arbitrareris. Omnis demum ordo, & omnis aetas gloriam tuam monumentis & literis prosequatur.

PARAENESIS XXXVII.

DOmine virtutis auctor, & conservator, tuere nos ab iis omnibus, quorum perfidia nobis detrimentum potest afferre maximum: custodi vias nostras auspicatissimo tuæ Crucis vexillo; Surge in occursum nostrum, imbecillitatem corrobora, opem tribue, ut tibi tuisque legibus ac praeceptis obtemperantes haeredes olim & Regni & beatitudinis evadamus.

Jesu Parens ac Pastor optime, te cum gemitu invoco, quemadmodum Regius me docuit Vates in Psalmo, inquiens: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: Lava me ab iniquitate mea, & a delicto meo munda me. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*; Te ad iracundiam audacissime incitavi; Tu autem, qui suavis supra fidem, & mitis es, nobis succensere ne velis, neque vultus tui serenitatem nostris unquam peccatis sinas obnubilari. Per caritatem Patris, & Spiritus tui, precor, quæsoque, ut omnibus delictis meis ignoscas.

Ps. 50. 1. 4.

Ex numero me esse vides centum ovium felicissimarum, quæ sub tua degunt custodia. At proh miser! Excessi e grege, & inconsulto huc illuc erravi, quoniam proditoris fraudibus me decipi passus sum. Amantissime pastor, egredere, obsecro, ad me quaerendum, & inventum ad ovile reducito super humeros tuos, ut Angelorum coetus & Ecclesia sponsa tua cum omnibus filiis suis de ove, quæ jam perierat, inventa tibi congratulentur.

Ne sinas, Domine, ut a te divellar, quamquam flagitiosissimus; quandoquidem mos est clementiæ tuæ perditissimos quosque homines suaviter ad sese allicere, & revocare. Suscipe ergo indigni atque immerentis famuli poenitentiam, exorantis Majestatem tuam, ut per immensam gratiæ tuæ largitatem sibi quoque, quemadmodum Latroni, ignoscas, & omnia peccati vulnera sanare velis, quibus, praeter te, mederi nemo potest.

Cuncti ad poenitentiam convertamur, Fratres, & misericordiam efflagitemus, dum tempus superest, antequam judicii furorem experiamur, in quo lacrymæ nihil proderunt. Ecce nunc tempus acceptabile, in quo fores misericordiæ pulsantibus aperiuntur. Hoc autem qui consequatur, supplicium effugit, nec quicquam timere debet in eo die, in quo mercedem quisque referet suam.

A quo

A quo, Domine, opem efflagitabimus, & errati veniam impetrabimus, nisi a te, in quo salutis spem habemus unice collocatam? Pande nobis misericordiæ fores, uti pollicitus es, & audi, qua soles, facilitate, voces & gemitus quaerentium te, neque animum in nos armatum retineas summo illo die, quum de universo hominum genere judicaturus adveneris; sed laetis oculis nos quoque a dextera stantes cum justis intuens, judicium summa cum benignitate pronuncia, quo a miseriis ad perpetuam beatitudinem evocemur.

PARAENESIS XXXVIII.

Quandoquidem te, Fili Dei, confessi sumus coram hominibus, nos ut confiteare, quaesumus, coram Patre tuo in formidando illo adventus tui die, quum buccinæ clangor universum terrarum orbem concutiet, & tu, Domine, in nube candida apparebis, erectoque aequissimi judicii tui solio, occulta patebunt scelera ad vindictam: tum nobis ignoscas, obsecro, juxta plenitudinem gratiæ tuæ, ut cum omnibus iis, qui nihil duxerunt melius, neque laudabilius, neque honestius, quam tuis voluntatibus obsecundare, hortum tuum deliciis affluentem ingrediamur.

Ingenti animi sui moerore, atque intimis suspiriis clamat ad te, Deus noster, Ecclesia tua, ut filiorum suorum, qui sunt in deplorandis calamitatibus constituti, incolumitati opportune consulas. En fames, caedes, contagia undequaque grassantur, & immania supplicia, quæ ejus impendent filiis, ipsis ultimum exitium minitantur. Gratia tua, Domine, super nos effulgeat, & Redemtio tua; sic enim vero continget, ut omnes gentes magnitudinem & gloriam praedicent ubique tuam.

Toto caelo aberrat quisquis ab hujus fallacis seculi blandimentis vera sibi & diuturna bona promittit, quoniam qua hora non putabit, vitæ finis illum deprehendet, qui extremo mortis articulo misera suorum criminum recordatione obruetur, & præ maximo patratorum scelerum timore commovebitur, quin ulla spes ejus animum consoletur. Itaque tuam, optime Deus, in quo summa sunt omnia, clementiam imploramus, ut nobis parcas Corporis tui gratia, quo nos cibasti, ut illud jam liceat usurpare, *os tuum & caro tua sumus*.

1. Par. 11. 1.

Con-

Contingat mihi, precor, Fili Dei, placabilem habere pietatem tuam in supremo judicii die, quando abscondita omnia in medium proferentur. Ne mihi imputes, quæ, te praesente, admisi, flagitia, sed inexhaustam pietatem in me tuam exerce. Ne cum protervis tuæ majestatis contemtoribus me recenseas, sed tua in me misericordia fulgeat, ne diutius cum periculo fatuus sim.

Tuum implorat patrocinium Ecclesia tua, & grex tuus id a te enixe contendit, veluti ab amantissimo animarum Pastore: suscipe quas ad te quotidie fundit preces, & ejus filii te sibi benevolum videant atque placatum. Redime sponsam, Domine, a noxis omnibus, quia Crucem tuam summa cum veneratione complectitur, & quoties animum ad te convertit, summam toties caritatis tuæ ac providentiæ gloriam recordatur.

Aequissime Judex, qui nec donis, nec muneribus hominum flecteris, nihil prorsus mihi est in bonis, quod tibi possim pro meorum scelerum compensatione offerre. Quoniam vero compertum mihi est te lacrymis magis delectari, quam auro, argento, & pretiosis lapidibus, excipe lacrymas, quæ meis ab oculis effluunt, & verbis, quibus ad tuam justitiam flectendam utor, annue, ut mirificum tuum erga me amorem experiar magnis curis, ac molestis doloribus liberatus.

Supreme bonorum improborumque Judex, ne tua, quaeso, mihi studia desint, quum discutientur, quæ gessi, scelera, quibus nulla mihi non modo dignitatis, sed ne libertatis quidem partem reliqui. Etsi vero indignus sim, qui facinorum meorum impunitatem obtineam, eam tamen a te deposco, quoniam propter incredibilem quendam amorem Corpore tuo me pavisti, & Sanginem tuum membris meis immiscuisti. Quandoquidem te dilexi, ut potui, Crucemque tuam supplex adoravi, ut debui, Corpus autem, & Sanguis tuus meum præ deliciis animum rapuere, ideo propitiare, obsecro, mihi, & maculas omnes dele, quibus ablatis nobilissimus virtutum omnium comitatus in animam infundatur.

In judicio tuo, Domine, nullius ordinis ratio aut conditionis habebitur; icciro quum me peccatorem esse videam, planeque sentiam, vehementissime reformidem necesse est, quum solutis septem signaculis metuendi aperientur codices,

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

A dices, & quæ in eis occurrent, scripta tua mihi justitia objiciet: tum misericordia, qua vales plurimum, caussam meam apud justitiam tuam suscipiat, ut impunitatem ipsius patrocinio assequutus, cum justis, qui te dilexerunt, Majestati tuæ praeconia referam sempiterna.

Sistedum, Peccator, pedemque referre quamprimum velis ab illa, quam hucusque calcasti, via, nec diutius in illa B moreris, oro; quandoquidem latissimus & spatiosus est, qui ad interitum perducit, callis. Davidem, qui Leones, Luposque discerpsit, perspice, quomodo super lectum suum totus in lacrymas delictorum caussa dissolvatur. Ejusdem exemplum imitandum tibi propone, dicens, ut ille semper ajebat: *Miserere mei, quoniam tibi soli peccavi, & malum coram te* C *feci*. (Ps. 50.)

Næ ille sapiens est Architectus, qui in hoc prætereunte seculo ita animæ suæ aedificium componit, ut undique obluctantes hujus vitæ procellas, fluctusque illudat; quippe qui aedificii fundamenta accurate substruxerit supra firmissimam petram. Quisquis vero in construendis aedibus fratrem suum mendacio & astu circumvenit, & falso amicitiæ nomine D deludit, in fraudem semetipsum inducit, ut scriptum est: *Incidit in foveam, quam fecit*. (Ps. 7. 16.) Hujusmodi quidem criminis, quamquam nos esse reos fateamur, tamen tu, bone Jesu, quem scimus esse hujus aedificii lapidem angularem, nos ita excipe, ut preces & vota nostra non fuisse inania ac ludicra intelligamus.

Nemo est inter mortales, Domine, E qui domum tuam adeat, quin postulata obtineat, nisi qui parum fide praestat, ac religione. Zachaeus in domum suam te recepit, justus & fidelis factus est; latroni quoque ad dexteram tuam crucifixo Paradisi januam patere jussisti. En Ecclesia stans ante fores tuas, supplices ad te palmas quotidie tendit, exaudi, mitissime, ejus orationem, ut abs te votorum summam adsequatur.

F Noli, Domine, officia nostra negligere, nostrasque preces, sed aperi nobis inexhaustum misericordiæ aerarium. Tuam efflagitamus clementiam, ne nobis succenseas, quamvis te ad iracundiam concitaverimus, sed defensoris partem suscipias fide, diligentia, consilio, auctoritate. Prohibe a cervicibus nostris omnia poenarum, & suppliciorum genera: tua in nobis regnet benignitas, & clementia singularis, ut tecum laetemur, & illud ipsum

ipsum gravissimum, & sanctissimum nomen pietatis levius nobis meritis erga nos tuis esse fateamur.

Quid? Num ignoramus, Domine, quantum abhorreat a praeclara dulcedinis tuæ bonitate vultum tuum avertere a peccatoribus te invocantibus, foresque tuas pulsantibus? scimus, a justis te olim invocatum, nec latet quam solicite praesto eisdem fueris, & quanta lenitatis significatione illorum poenitentiam exceperis, cujus caussa eorum inopiæ tua munificentia, liberalitate, armis denique opportunissime prospexisti. Nos vero, quorum multiplex est iniquitas, illorum vestigiis insistentes, pietatem tuam imploramus, ut criminum nostrorum malitiam deleat, & expellat. At, o inauditam hominum proterviam impudentiamque singularem! O ineffabilem tuam, Deus, bonitatem! Ideo te quaesumus, ut nostri miserearis, & debita remittas.

In maximis rerum angustiis constituti sumus, tum ob extremam egestatem, tum ob temporis brevitatem nobis divinitus constitutam; undique enim saevis validisque criminum fluctibus obruti, nullum praetermittimus diem, quin scelera sceleribus superaddamus, & immanium flagitiorum conscientia obstricti, nunquam ad inexhaustum illud bonorum omnium pelagum mentem referimus, imo, ut modo ajebam, maximis quotidie libidinibus aestuamus. Secundum tuam, bonitatem nobis ignosce, nostrique miserere.

Thymiama odoratarum specierum obtulit Aaron summus Sacerdos in castris Israelitarum, ut luem undique grassantem dissiparet. Suffitus, quem modo tui famuli offerunt, tuæ divinitati complaceat, & populus reconciliati tui animi pignus obtineat. Peccatoribus suorum delictorum veniam petentibus, & ad fidem nominis tui confugientibus propitius adesto. Quæ obtulimus thura, Domine, suscipe, nostrasque exaudi preces, & miserere nobis.

Agitedum, Sacerdotes puritatis munditiaeque Alumni, admissam in animis nostris culpam expellere satagamus; gratos supremæ Dei Majestati odores offeramus, nec non supplicibus eandem precibus conemur obsecrare, ut nostra excipiat, sicut olim Aaronis, & Zachariæ thura, cunctasque labes ab electa, & sancta Ecclesia abstergat, & defunctis, qui in ipsius repromissionibus lucis usuram amiserunt, parcat atque condonet.

PA-

A [illegible] *

B [illegible] *

C [illegible] *

D [illegible] *

E [illegible] *

F [illegible] *

[illegible]

PARAENESIS XXXIX.

SUmmam Dei bonitatem praedicemus, qui nos a Satanæ & mortis tyrannide vindicavit, tum in supernorum spirituum, qui peccatis nostris irritati fuerant, gratiam restituit. Praeconia nostra in misericordem illum Principem conferamus, qui non requisitus salutem nobis asseruit, de poenitentia nostra mirifice laetatus; & ut nostrum errorem, nostrumque ab bonam frugem reditum declararet perditæ ovis comparationem instituit. Summam profecto laetitiam Angeli, & Beati omnes perceperunt, ex quo nos in haereditatem filiorum vocavit, dum perieramus, & dum mortui, vitæ denuo restituit. Quis satis pro officio, Amator hominum, laudare potest tuam ineffabilem caritatem, qua nobiscum usus es? Filium tuum in terras misisti, ut nostram indueret formam, & ineundæ cum Majestate tua concordiæ se auctorem faceret, & quasi vadem. Interim vero mirari subit novum illud, quod erga genus nostrum operatus est Deus, quod omnium creaturarum admirationem excedit: humanam naturam scilicet Sanctuarium effecit, ut divinos cum ipsa honores communicaret.

Eja agite, mortales omnes immortalesque coetus, dignitatis amplitudinem, ad quam evecti sumus, obstupescite, quandoquidem naturæ hujusce mortalis humilitas ad illius gloriae, quae omnium intelligentiam sensumque longe superat, fastigium divinitus elata est. Caelum itaque, terra, & quicquid in ejus ambitu continetur nobiscum magnificentiam praedicent illius, qui homines in tam sublimi honoris gradu collocavit. Ideo nunquam satis digne laudari poterit summa Dei benignitas, qui imaginem nostram renovavit, nostra expiavit crimina, suoque nos nomine nuncupavit, ac demum non modo cuncta nostrae potestati subjecit, verum etiam super omnia nos extulit. Laudem dicamus Filio, & Genitori ejus, qui ipsum ad nos demisit, & Spiritui sancto in seculorum secula. Amen.

[illegible]

PARAENESIS XL.

HOC die, qui primogenitus est dierum, primitias laudis offeramus Primogenito illi, qui omni caret principio, quique nullum habiturus est finem. Et quoniam impia Judaeorum turba tribus vi-

vicibus pronunciavit indigniſſima verba: *Crucifige, crucifige eum*; ſic Chriſtiani ter repetant univerſi: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Benedictus is, qui humiliatus eſt ſicut voluit, & ſanctiſſimam ſibi Eccleſiam perpetuo vinculo deſponſavit.

Orta eſt in terris lux tua, Domine, quae culpae tenebras fugavit, expulit, eliminavit. Piiſſime Salvator, qui lux vera es, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, oriatur, obſecro, tua lux ſuper mentis noſtrae tenebras, & denſiſſima caligo illa, quae animam obnubilat, perturbatque, dicto citius diſſipabitur; ita fiet, ut ad ſplendidiſſimum fulgorem reſtituta ipſius acies, tuas, Pater inviſibilis, laudes nunquam deſinat praedicare.

Jo: 1.9.

Age, huc propera, peccatrix anima, & te comitem mihi adjungito, ut una contendamus ad eum, quem irritavimus, nec tibi in mentem veniat, nos ab judicio eximendos fore hoc ipſo, quod ab invicem ſeparandi ſumus. Magnum ſane eſt, quod contraximus, debitum, neque nobis in promtu eſt, quomodo perſolvamus. Non quia judicium ſeveriſſimum ſuſtinendum nobis eſt, aſſerere poteris me tibi ignotum prorſus fuiſſe, quum alterum ex nobis ſeorſim labi, errare, ac decipi nullo modo potuerit.

Quis porro valeat lacrymas continere, ſi judicii diem ac ſeveriſſimas poenas improbis infligendas, ſi extremam deſperationem, ſi ploratus atque ululatus, ſi illam denique nunquam ſatis metuendam Judicis vocem: *Ite maledicti in ignem aeternum*, ſeriò animadvertat?

Matth. 25. 41.

Ecce nunc theſaurus ſpiritualis, & arbor vitae, videlicet Eccleſia nobis patet: ecce propitium altare ſanctitatis, ex quo vita fidelibus jugiter conſervatur. Quotquot adeſtis, qui vita frui exoptatis, cauti eſtote, & ne iis commodis abutamini, quae vobis Pater obtulit, ut ſalutem facilius adſequeremini. Clamate unanimes: Gratia Deo optimo & maximo, qui propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos, ſeipſum nobis in eſcam praebuit, ut eo in terris etiam perfrui inciperemus.

Adam, quia fraudulentis Daemonis illecebris aſſenſum praeſtitit, turpiter victus fuit, debellatuſque. Veſtrum eſt, poſteri, ut amantes filii, patri veſtro inflictam necem ulciſci. Perditiſſimus veterator ſplendidiſſimam illi gratiae ſtolam abſtulit in Paradiſo. Qua-

A B C D E F

[illegible]

[illegible]

A Quapropter vos ultro vestro parenti occurrite, & Daemoni perpetuum bellum indicite, eo quod in Adamo universum mortalium genus perdidit, ac profligavit. Nefarium hocce caput contundite virtute Domini, quo auspice, nihil est arduum, nihil difficile, omnes hostilis versutiae nervos infringite, & Serpentis antiqui calliditatem notam omnibus exploratamque reddite.

PARAENESIS XLI.

[illegible]

B Pissimi Domini nostri clementiam, ac majorem omni laudatione pietatem celebrare invicem contendamus, qui Dominicum diem ad summae gloriae, atque amplitudinis fastigium extulit, evexitque. Hic enim dies in primaeva totius Orbis C constitutione, quando Deus ab initio rerum opificium aggressus est, principem sibi locum vindicavit & dignitatem. Hic ille dies, in quo Redemtor noster, humanae reparationis opere expleto, a mortuis resurrexit in virtute, majestate, ac potentia. Hic ille dies, in quo Sacerdotum cura, ac solertia sacrosancti Ecclesiae parietes majori pompa & apparatu venustiori gestire plane videntur. Hic ille D dies, in quo Rex gloriae Dominus in temporis exitu, igneo curru vectus ex sublimibus Caelorum sedibus in terram delapsurus est, & recta via ad montem Sion processurus, & Crucis vexillum super Adae tumulum defixurus, ubi quondam ab insanissima atque execranda Judaeorum perfidia in Crucem sublatus, occubuit; inde vocem daturus est, vocem virtutis, vocem tonitrui magni, qua in E monumentis conditi excitabuntur, & ad vitam singuli restituentur.

Ceterum haec, quam cernitis, amplissima terrarum moles, ad pristinum chaos, in quo ante sui creationem, inanis jacebat, flammarum impetu redigetur; mox supremus Judex Angelis justitiae administris jussurus est, ut parem improbis poenam, justis autem praemium F & coronam reddant immarcescibilem. O rem stupore dignam! Angeli siquidem uno oculorum obtutu ex quatuor Orbis partibus universum mortalium genus in unum cogent, ipsis vadimonium imponentes, ut maturae singulorum operum atque cogitationum inquisitioni subjiciantur; quumque sententia de omnibus lata fuerit, Judex secum ad Caelum Electos trahet, improbos vero ad aeternum ignem apud inferos amandabit.

Hac porro die tam tetra atque terribili, fceleftorum agmen comparandum prorfus videbitur infeliciffimis iis hominibus, qui caecutientes in meridie, ac omni prorfus lumine deftituti, nefciunt quo pedem conferant. Tunc mifericordiae fores cum lacrymis & ululatibus obfidebunt, & licet omni ad veniam aditu interclufo, clamabunt tamen iterum iterumque: *Domine Domine aperi nobis*. At proh dolor! Nulla ab iis exaudiri vox poterit, nifi haec: *Difcedite a me maledicti in ignem aeternum*. Quamobrem te modo, mitiffime Jefu, etiam atque etiam obteftamur, ut clementiae tuae rore abluas noftras fordes, ne morte praeoccupati, fruftra mifericordiam & veniam imploremus; Et quemadmodum quicquid tum fplendoris, tum pulchritudinis hic Mundus offert, celeriter labitur & evanefcit; ideo, Fratres cariffimi, e fomno confurgite, & dum poenitentiae fpatium vobis fuppetit, omni ftudio ac folicitudine curate, ut optatiffimum mifericordiae beneficium adfequamini, ne improvifa morte perculfi ex hac vita capitalibus obftricti culpis mifere excedatis. Gloria interim Patri, ejufque Filio, & Spiritui Sancto, ea, qua par eft, reverentia, atque animi obfervantia perfolvatur in fecula. Amen.

PARAENESIS XLII.

Cum in lecto cubarem, mihi, Domine, in mentem venit eximius ac vehemens ille, quo homines profequeris, amor, & benevolentia. Surrexi de media nocte, ut quantas maximas tibi gratias agerem, fed meorum fcelerum recordatione deterritus totus abire in lacrymas cepi, & animo utique corruiffem, nifi me prope femianimen Latro, Publicanus, Peccatrix, Chananæa, Hæmoroiffa, ac Samaritana mulieres, hifce erexiffent vocibus: Surge (fic mecum colloqui videbantur) furge, mitte lacrymas, & clementiffimi Servatoris mifericordiam expofcito, atque hoc tibi firmum in animo fedeat, eum mifera tuae naturae conditione protinus ad mifericordiam commovendum.

Quin & Regius Jeffe Filius fuorum carminum concentu, me gravi fepultum fomno evocavit, inquiens: Expergifcere, mifer, quare obdormis? Num ignoras, acceptiffimum divino Judici munus effe, quod media nocte ipfi tribuitur? Exurge, inquam, & indulgentiam po-

[illegible]

A postula; Haec siquidem petitio gratissima Deo est, cujus ostium noctes, dieique tum optimo cuique, tum ipsis etiam poenitentibus semper maxime patuit.

Somno indulgentem meorum criminum recordatio subiit, & statim me funestissima rerum imago terruit, quæ & somnum illico, & quietem eripuit; ideoque mihi infausta sum omnia ominatus.

B Væ infelicissimis, exclamavi, væ hominibus, qui tenebris & caligine offusi nullis Divinæ lucis splendoribus illustrantur, atque in Resurrectione tenebris addicentur!

Mos erat Davidi media nocte consurgere, quæ plane hora ad suam stultitiam deplorandam ei aptissima videbatur, & in qua vix humanitus percipi potest, quam ingenti lacrymarum copia

C suum stratum madefaceret, & quam ardentibus suspiriis clementiam exposceret, quam sibi conciliare hisce verbis studebat: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi. Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Ps. 50.

Nos itaque exemplo hujusmodi commonefacti te, Salvator optime, oramus atque obtestamur, ut nobis subsidio oc-

D curras, quoniam immanissimus mortalium hostis nos vehementissime adortus est, & nudato jam ense Reges, Judices, & potentes quoslibet sibi subdere minitatur. Eo insuper impudentissima illius audacia progreditur, ut etiam in electos tuos insolescere audeat, eosque superare ac sternere machinetur. Te ergo, maxima, qua fieri potest fiducia, obsecramus, ut,

E quum clementia ac misericordia plenus sis, nos ab omni macula expiatos, sub tua signa cogere ac tueri non recuses.

Judex optime, cujus aequitas tanta est, ut ejus laudibus nemo valeat orationem afferre parem; optime, inquam, Judex, qui nullum accipis mortale munus, quid tibi offeram, ut te mihi placatum sentiam? Compertum habeo, te poenitentium lacrymis magis delectari,

F quam auro, aut argento, aut pretiosis lapidibus. Excipe igitur, quod tibi maxime arridet, lacrymarum munus, & remissionem nobis tantopere necessariam elargire.

Te demum, Augustissima Trinitas, unanimes invocamus, & celebramus diu noctuque. Tu jacentes erige, sordidos ablue, obstrictos solve, omnibus te parentem, ut soles, exhibe piam, beneficam, salutarem. Animam & Corpus nostrum

ſtrum tuere, & ab hoſtis verſutia, dolis, inſidiis, laqueiſque nos incolumes ſerva; ne demum, quæſo, miſericordias auferas a nobis tuas.

Piiſſime Jeſu, nos jam peccaſſe cognoſcimus, nec inficiari audemus; iccirco vultus noſter, qui tamdiu terreſtribus ſordibus haerere aſſuevit, Caeli pulchritudinem ac praeſtantiam refugit intueri. Quæ quum ita ſe habeant, hoc unum ſupereſt, ut tuam clementiam imploremus, quæ cauſam noſtram apud juſtitiæ ſolium tueatur. Audiat ergo voces deprecationeſque noſtras clementia tua, & votis annuat, quæ ante aras quotidie offerimus, atque ita majeſtati tuæ infirmitatem commendet noſtram, ut tu ipſe miſericordia clareſcere, quam juſtitia malis.

[illegible]

PARAENESIS XLIII.

Expergiſcere tandem, & perniciosiſſimum illum, qui te complectitur, ſomnum excute, anima chriſtiana, & ſedulo accurateque animadverte, mundi hujus figuram quam citiſſime labi, & praetervolare.

Dic, ſodes, ubinam illi ſunt Gigantes, qui quondam elati adeo ac tumeſcentes in ipſo terrarum exordio incedebant? Ubi Sapientes? Ubi Reges illi potentiſſimi, quorum praeclare geſta tantopere celebrantur? Omnes veluti umbra praeterierunt. Beati, quorum ſpes poſita eſt in Domino, cujus nomen non tranſit, & gloria nuſquam diſſolvitur.

Ego Ephraem hem morior: teſtamentum conſcribo veritatis amatoribus, qui poſt me proceſſuri ſunt: Eſtote perſeverantes in oratione diu noctuque; Nam ſicut ſolers agricola, qui ad exercendam excolendamque terram diligenter incumbit, uberem exinde meſſem colligit, ita porro copioſa fruges cogenda vobis erit, ſi ab oratione nuſquam vacabitis. Ne oſcitantes atque inertes agricolas imitemini, quorum agri ſpinas tribuloſque germinant. Sine intermiſſione igitur orate; ille enim Domini amorem ſibi, atque miſericordiam conciliat, qui ſedulam orationi operam navat.

Singulare ac diuturnum eſt munus, quod tu, Domine, peccatoribus ad poenitentiam reverſis elargiris, quibus facilis ad te aditus ſemper patet, quemadmodum Publicano, qui te deprecatus eſt, & veniam impetravit. Audi Eccleſiam ad te clamantem, eandemque tuis foribus adhae-

[illegible]

[illegible]

A adhaerentem vide, & laudes ſuſcipe, qua & per ſe ipſa ſolet, & per filios offerre ſuos, quibus & Divinitatis, quam obſequentiſſime colunt, & Crucis, quam amantiſſime amplectuntur, gloriam concinentibus, tu matrem benigne excipe pro filiis deprecantem.

Bonorum omnium largitor Deus, quum de noſtra egeſtate ſublevanda ſemper cogitet, nihil aliud a nobis expetit, B quam ut ſimus animo ad ipſius munera recipienda parato. Immenſas ſuorum aerariorum divitias nobis ubique offert. Nihil autem niſi gratiarum actionem ab iis repoſcit, qui quidpiam de theſauro hauriunt ſuo, hac ſcilicet ratione, ut gratis hominibus beneficia largius in poſterum effundat. O admirabilem Divini Numinis benignitatem, qui oriri facit So- C lem ſuum ſuper juſtos, & injuſtos, & gratiæ ſuæ imbrem ſuper peccatores ſpargit, quum miſericordiarum ſuarum abyſſus ſit infinita!

Inſignis animarum curator, ac medice præſtantiſſime, tuas fores obſident vulnerati omnes, ut ab languoribus curentur ſuis; perfice ergo, quod iis pollicitus es, inquiens: *Omnis, qui petit accipit, qui quærit invenit, & pulſanti aperietur*. Et alibi: *Venite ad me omnes, qui labo-* D *ratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. En grex tuus ad te contendit, teque invocat. Audi igitur obſecrationem ejus, & clementiam tuam oſtende Eccleſiæ, & filiis ejus.

Luc. 11.10.

Matth. 11. 28.

Ingrediatur, oro, miniſterium noſtrum coram te, & copioſa ſit ſuper gentes redemtio tua. Non foribus haeſimus aliis, niſi tuis, Domine, neque te in alium commutavimus, ut tu plane noſti. E Juſtiſſime Deus, qui praecepiſti, ne operarii merces pernoctet, mercedem tribue miniſterio noſtro, miſericordiæ videlicet optatiſſimum munus, ut caritas tua in nos maxima eluceſcat.

Jeſu mortalium ſpes, reſpice in me juxta gratiæ tuæ immenſitatem, & mihi ſceleratorum omnium maximo ignoſce. Quemadmodum Simoni inter aeſtuantes aequoris fluctus dexteram porrexiſti, cujus ope F ab imminenti naufragio evaſit incolumis; ita porro mihi dexteram e Caelo porrige, quæ me e vitiorum, quibus obruor, tempeſtatibus in portu collocet. Peccaſſe fateor, & maxime deliquiſſe; clamo ut Peccatrix: oro ut Publicanus; propitiare mihi, Pater miſericordiarum.

Ne meæ me crimina reum poſtulent, & ab illa haereditate prohibeant, quæ optimæ frugis hominibus adſervata eſt, magnopere reformido; maxime vero, quia

quia neceſſaria ad tam longum animæ iter viatica non praeparavi. Obſcuriſſimæ mihi tenebræ praecipitis inſtar torrentis obverſantur. Exacti jam ſunt meæ adoleſcentiæ anni, nec vitiis ac ſordibus omnino vacui exſtiterunt. Maculas igitur exterge meas, & indue me ſplendidiſſima gloriæ ſtola, ut beatas illas ſedes luce, vita, & gaudio undequaque redundantes per te ingredi mihi liceat.

A [illegible]

B

PARAENESIS XLIV.

[illegible]

EJA itaque, Fratres cariſſimi, evigilemus e ſomno, & Dominum cum gemitu deprecemur, ut dum nobis vita ſupereſt plena muneribus, & in qua ad Dei miſericordiam praeſtatur acceſſus, mentem ab iniquitate revocemus, & feliciores dies traducere ſatagamus, ne nobis, quum poenitentiæ locus deſit, de noſtra ſocordia atque oſcitantia inutiliter, conqueramur. Ad ſponſi fores vigilemus, ut cum eo ad nuptias ingrediamur, & immortalitatis haereditate donemur.

Unanimes Deo hac nocte laudem pſallamus, & Angelorum choros, qui nunquam Dominum celebrare ſatiantur, aemulari conemur, ut, quum Caeleſtis Dominus, & Angeli advenerint, vigilantiam admirentur noſtram, ac nos inter ſervos illos impigros ac ſtudioſos adnumerent, ut menſæ Caeleſti diſcumbere mereamur.

Optimos illos viros imitari curemus, qui die ac nocte Domino placere ſtudent, & ne nos pigeat miſericordiam ſaepius a Domino poſtulare, & illud Regii Vatis frequentiſſime uſurpare: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtitiae tuae*. Nunquam, Domine, a propitiando quieſce, & mihi, quod unice in votis habeo, tribue, ut regnum conſequar ſempiternum.

Pſ. 118. 62.

Ecce dies Domini improviſo eluceſcit; ſurgamus igitur, Fratres, & ſomno excuſſo, deprecemur, ut felices per poenitentiam evadamus. Praeparemus oleum in lucernis noſtris, & obviam caeleſti Sponſo proficiſcamur, ne nos metuendam illam vocem *diſcedite a me maledicti in ignem aeternum, quia neſcio vos*, audire jubeat.

Ne me, Domine, juxta aequitatis rationem judices; compertum enim perſpectumque tibi eſt, me reum eſſe, ac poena dignum. Si me porro excuſatum habueris, tum plane fiet, ut a tuis laudibus celebrandis nunquam abſiſtam; ſi vero

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

A vero de meis criminibus poenas expoſcere velis, vereor, ne mihi infernus pro haereditate obtingat, atque ita ſola mihi ſit reliqua deſperatio. Nunc igitur propitiare & indulge delictis meis.

Ne, Domine, ſordes inſitam animae pulchritudinem tegant, quum ante juſtitiae tribunal venero, ne mihi nudo atque omni prorſus auxilio deſtituto beatorum B praeclaro gloriae lumine coruſcantium, conſpectus aegre ſit ſubeundus. Si, mea ſuadente infirmitate, miſere lapſus ſum, te ſuſtinente, aſſurgam. Ne mihi, quam Peccatrici in domo Simonis, & Latroni in Cruce veniam conceſſiſti, velis, obſecro, denegare.

Trahe nos ad agnitionem tuam, miſericors Domine, & ſalutis viam nobis oſtendito, & nos, qui in vaſto vitiorum C gurgite agitamur, tutos educito, quemadmodum Simonem prope naufragum eduxiſti. Excipe, qua ſoles, benignitate exiguum lacrymarum munus, & cum intima cordium conſilia tibi enucleanda propones, ac publice pervulganda, veniam nobis elargire, & in gratiis tibi rependendis, & tuo nomine celebrando aſſidue verſabimur.

Vos interim, Peccatores, curate, ut D reliquum vitae tempus in poenitentia traducatis, & dum caeleſtes theſauri ad indigentium inopiam ſublevandam patent, hos vobis comparare omni ſtudio totiſque viribus contendite. Vigilantiam adamate non ſomnum, quemadmodum inſipientes illae virgines, quae de ſalute ſua parum ſolicitae oleum ſecum ſumere neglexerunt; quin potius ſapientes illas aemulaminor, quae neceſſarium ſibi oleum op- E portune comparaverunt, & ad Sponſi nuptias feliciter ingreſſae ſunt.

PARAENESIS XLV.

EAM converte, Domine, qua mirifice delectaris, miſericordiam ad ſervorum tibi adſtantium, & tuae Divinitati miniſtrantium miſerrimam conditionem. F Suſcipe thymiama, quod tibi offerunt, uti Aaron quondam & Eleazar obtulit, quo placatus es, & parce ovibus tuis, eaſque ab omni prorſus diſcrimine quamprimum vindica, & incolumes ſerva.

Terreor, Domine, quum fugaces ancipiteſque hujuſce vitae dies nullo conſilio tranſactos, & in omni vitiorum coeno inſumtos ſedulo ac diligenter percurro, & timore ingenti correptus quotidie ante faciem tuam procumbo a te veniam po-

poſtulaturus. Parce igitur, mitiſſime Salvator, parce flagitiis, quae per inſaniam patravi, atque impudentiam ſingularem.

Mihi ſemper prae oculis obverſatur funeſtiſſimi illius diei recordatio, in quo ex hac luce demigrandum mihi erit, & incredibilis me pavor cruciat, non quod mortem mihi ſubeundam video, ſed quia ſummam judicii ſeveritatem mea crimina expaveſcunt. Quae ergo demens admiſi ſcelera, tu nunc dele, Redemtor optime.

Tribue, Domine, ut miſericordiae ſuavitatem, non juſtitiae rigorem experiar; nec mea te delicta & animi depravatio ad ultionem commoveant, ſed gratiae tuae nitidiſſima lux meas tenebras expellat, ut ſcelerum remiſſionem mihi gratuler obtigiſſe.

Piiſſimus ille David animadvertens ſeſe ab ea cecidiſſe felicitate, in qua, dum tua gratia fruebatur, conſtitutus erat, inconſolabili ſtatim gemitu illacrymatus eſt, haec ſaepiſſime repetens: *Miſerere mei Deus*.

Nullum, Domine, memini proceſſiſſe diem, in quo nova flagitiis flagitia non addiderim, & ampliorem furoris materiem tibi non praebuerim; tamen nunquam adduci potui, ut poenitentiae operam darem: En modo breviſſimum vitae ſpatium ad occaſum vergit. Converte igitur me, Domine, ad te, & convertar, quoniam tuomet ore non ſemel dixiſti; *Miſericordiam volo, non ſacrificium*.

Matth. 12. 7.

Tu, qui neminem ſoles in te ſperantem repudiare, ſuſcipe, quaeſo, preces, quas undecima hora, Latronis inſtar, ad te fundo; ſuſcipe ſpiritum meum, quem in manus tuas commendo, & tuae clementiae prorſus committo, & ſupplex oro, ut gratia, ac miſericordia tua me ſemper antecedat, comitetur, & ſubſequatur.

Feliciſſimum animarum praeſidium, Deus, qui non veniſti vocare juſtos, ſed peccatores, peccatorum ego ſum princeps; icc irco fac, ut *ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundet & gratia*, illa ſcilicet victrix & triumphans, cujus beneficio novum hominem induam, virtutem unice adamans atque honeſtatem.

Rom. 5. 20.

Vix verbis expedire valeo, quanto moerore conficiar, & quam terrear vehementer, quum conſummationis diem memoria repeto; neque enim ignoro, eo meis criminibus deveniſſe, ut ex electorum albo expunctus ſim, penituſque deletus. Porro ſi puriſſimi illi Angelorum ordines incredibiliter contremiſcent, quidni mihi

[illegible]

A mihi parricidii, & perduellionis reo formidandum erit ac trepidandum? Tuam igitur, dulcissime Parens, clementiam exposcere non desistam, ne justitiæ furorem cogar sustinere.

Quae duo meae plurimum saluti conducere videntur, haec ab infinita tua caritate impensius deprecor; alterum, ut heic me ab immanissimo hoste, & ab improbis ipsius administris eripias; B alterum, ut tuo in adventu meorum scelerum impunitatem largiaris. Quod si praestiteris, non modo in hoc exiguo vitae curriculo, verum etiam in immortali altero tuarum laudum monumenta ad perpetuitatem consecrabo.

Illud mecum ipse quotidie repetam, quod advenientibus auspicatissimis illis temporibus, quae humani generis repara- C tioni fuerant praestituta, occultissimo Sacramento, ac Divino prorsus consilio factum est, ut tu, piissime Reparator, universorum Domine, servilem formam, obumbrata majestatis tuae dignitate, susciperes, & de caelesti sede descendens haec infima ingredereris, & immortalis quum esses, mortis legibus subjaceres. Hinc Gabriel Archangelus ad Mariam Virginem celeriter advolavit, inquiens: D *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres*. Mox adjecit: *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Luc. 1. 28. 31. Matth. 1. 21.

Quum, Domine, clementiam exposcimus, implorant nobiscum inclyti illi Martyres, qui suum pro te sanguinem effuderunt; implorant Altaria, quae vastata E sunt, & Ecclesiae, quae dirutae, & Sanctuaria, quae polluta, & venerandi Sanctorum cineres, qui a scelestissimis filiis Agar sunt dissipati. Parce, quaeso, fidelibus tuis, qui te assidue colunt ac venerantur.

Defunctis autem, qui in tui spe decesserunt perpetuam quietem ac tranquillitatem elargire, & dignos effice, ut in Resurrectione dexterum latus teneant, F & inter electorum numerum caelesti mox Regno potituri recenseantur.

PARAENESIS XLVI.

Qualiacumque, Domine, sint, quae rite facimus sacrificia, gratum apud te locum habeant, & acceptum, eademque nos tibi optime reconcilient. Multum nos deliquisse fatemur, nostrasque iniquitates, ut in Psalmo legimus, super capil-

Ps. 68. 5.

capillos capitis esse multiplicatas. Quapropter te enixe obtestamur, ne, quam tibi grati animi offerimus, significatio irrita sit atque inanis.

Quum Angelus Divinae ultionis administer nudato ense Judaeorum genti ultimum exitium denunciaret, summus tuus Sacerdos Aaron ad Altare confugit, & thure in odorem suavitatis oblato Angelum expulit & fugavit. Eamdem, obsecro, vim tribue, Domine, sacrificio nostro, ut voluntas conquiescat tua, & furor in nos exardescens subito comprimatur.

Statim ac tuum ego auxilium deposci, mihi gratia praesto fuit; ideo oratio nostra, quae dirigetur in conspectu tuo, oro, ut ad te in odorem suavitatis ascendat. Et quemadmodum Eliae sacrificium accepisti, accipe & ministerium, quod tibi modo deferimus.

Misericordiarum Parens, cujus januæ nunquam poenitentibus intercluduntur, quinimo pulsantibus ea, qua vales plurimum, benignitate confestim aperis, pronus sis, obsecro, vocibus adorantium te, & ratas effice eorum preces, quibus tuam sibi gratiam conciliare contendunt.

Jonam in mare projectum respexisti; ignem insuper interdixisti, ne tres pueros in Babylonis fornace positos vel ex minima parte laedere auderet. Cui ergo in mentem veniat, te universi mortalium coetus voces precesque contemturum?

In te, Domine, perfugium quaerunt ac solatium miseri omnes maximis curis, ac solicitudinibus defatigati. Tu ergo, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum, pristinam illis animi serenitatem redde, eosdemque protege Cruce tua, cujus praesidio *reconciliata sunt omnia*, *sive quae in Terris*, *sive quae in Caelis sunt*.

Prov. 8.31.
Coloss. 1.20.

Memineris, me ad tuae imaginis pulchritudinem efformatum esse; neque patiaris, ut perditus in pessum abeam, quum nulla sit *utilitas in sanguine meo*, *dum descendero in corruptionem*. Clamare non desino: Ne oblivisscaris, Domine, salutis meae, & me torrentes inundent misericordiae tuae, quae mortalium infelicissimum sublevent ac reficiant.

Ps. 29.10.

In mentem ne, quaeso, revoces, innumera illa, quae per intolerandam audaciam admisi, flagitia, quia nullus apud te justificabitur vivens. Gratia tua, Domine, mihi semper adhaereat in illo praesertim die, quo mortales omnes suorum operum rationem sunt palam reddituri.

Ps. 142.2.

Aequis-

A Aequiſſime retributor, qui parem perſolviſti mercedem tam iis, qui primo mane, quam qui undecima hora ad vineam excolendam convenerunt; tribue nobis, ut in extremo judicii die vultus tui ſerenitas, non furor conſpiciendus objiciatur; ſic enim tuam cum primis & noviſſimis gloriam celebrabimus.

Quum judicii dies ea ſit, ex qua aut aeternae felicitatis, aut aerumnae graviſſimum momentum pendet; iccirco, B humaniſſime Salvator, modo nos beneficiis cumula, ne tum, quum furori locus ſolummodo dabitur, clementia a me frustra ſit imploranda.

Piiſſime Domine, cui purae, atque integrae mentes tantopere ſunt in deliciis, largire nobis cordis munditiem, & turpes illas cogitationes expelle, quae C corporis & animae venuſtatem commaculant.

Ne, piiſſime Jeſu, patiare, ut noſtra flagitia tuum ante tribunal accuſatoris partes ſuſcipiant; quin te etiam atque etiam rogamus, ut ſingula miſericordiae tuae beneficio delere velis.

PARAENESIS XLVII.

D Clementiſſime Deus, excipiatur, obſecro, Sacrificium iſtud, quod Sacerdotes ante altaria procumbentes in honorem tui nominis obtulerunt. Eam tribue hujuſmodi Sacrificio vim, ut hinc requies defunctis accidat, & felicitas iis, qui ſuperſunt. Quam quidem mirificam Sacrificiorum virtutem ſicuti Iſraelitae optime cognitam habuere, quum peſtem E ex eorum caſtris diſcedere proſpexerunt, ita nobis ipſorum praeſtantia innoteſcat, quum e tenebris in lucem revocatos nos eſſe ſentiamus.

Dominus enim noſter ſe verae lucis auctorem eſſe oſtendens, ita diſcipulos alloquutus eſt: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitae.* (Jo. 6. 21.) Beati igitur, quibus virtutes in itinere facem praetulerunt; F ecce enim eorum memoria dum in terra colitur, in Caelo etiam ſolenni pompa celebratur. Sit, quaeſumus, eorum interceſſio propugnaculo nobis inexpugnabili contra diuturnos adverſarii impetus, ut evadamus in certamine ſuperiores, quin ulla jam nobis a monſtro illo pernicies comparetur.

Ne me, Domine, irato ſupercilio intuearis in judicii die, neque me inferni victimam ſtatuas. Converte me ad te, &

& convertar, & miſericordiae tuae voces pronis auribus excipiam, ut ab igne ereptus regni tui conſors efficiar, & beatitudinem adſequar ex omni parte perfectam, ideoque aeternam, & immortalem.

Vix, diſſipata tenebrarum caligine, dies lucis reſtitutor exoritur, ſtatim muta etiam animalia tibi Creatori, ac Conſervatori omnium opportuniſſimo diei primitias conſecrant. Quin etiam Caelum, Terra, & Firmamentum, eaque omnia, quae unico infinitae tuae poteſtatis nutu ſunt efformata, tibi laudes & gloriam ſuo quaeque modulo referre geſtiunt.

Prima ſub luce in montis vertice objecta eſt Moyſi ſpecies illa viſu admirabilis; Rubus ſcilicet ingenti flammarum vortice circumſeptus, & exardeſcens, ſed ita quidem, ut flammis nulla ex parte mirifice laederetur: Deum quippe ſub mira illa imagine latentem ſe videndum Moyſi praebuiſſe perſpicuum eſt. Hinc vox de caelo exaudita hujuſmodi: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.*

Exod. 3. 5.

Deus bone, quia te nimium laceſſere auſi ſumus, ſuſcipe quas ad tuum furorem ſedandum offerimus quotidie preces. Ne, quaeſo, tuam a nobis faciem avertas, tuoque nos ſubſidio deſtituas, dum te ſumma cum fiducia invocamus. Largire, obſecro, univerſo terrarum orbi optatiſſimum pacis, tranquillitatiſque fructum. Schiſmata quoque, & pernicioſiſſimas contentiones, quae Eccleſiae tuae ſanctitati, ejuſque membrorum unitati prorſus adverſantur, radicitus evellito, atque extirpato; & clementiae tuae laudes nunquam non celebrabimus.

Deus, qui Divinitatis tuae infinitam atque immenſam praeſtantiam ad infimam mortalium conditionem depreſſiſti, ne univerſa humani generis propago quotidie in deterius ruens funditus interiret, & tuae paſſionis ac mortis nunquam ſatis laudando beneficio nos Daemonis, & peccati ſervituti mancipatos liberaliter vindicaſti; miſerere, oro, gregi tuo, qui maxima cum animi contentione tuam operam implorat, eique priſtinam cordis ſerenitatem reſtitue. Sic porro fiet, ut inuſitata laetitia perfuſus tibi, Patrique tuo, ac Spiritui ſancto laudes referat immortales.

Te Dominum manſuetudinis, largitatis ac clementiae pleniſſimum & profiteor, & fide teneo. Quapropter ſupremae tuae Majeſtati laudis praeconia, quae poſſum

[illegible]

A ſum maxima, offero. Tu nobis innumeris peccatorum vulneribus miſere ſauciatis medicinam tribue ſalutarem. Eſto poenitentium benignus exceptor; nos maxime inopes atque indigentes inexhauſto divitiarum tuarum theſauro exorna, & infirmorum imbecillitatem ſubleva, quum ſis noſtrum ſpes unica & firmamentum.

O anima ne eo inſaniae ac dementiae devenias, ut aures occludas Domino B tibi ſic alloquenti: *Nolite diligere mundum, neque ea, quae ſunt in mundo, totus enim in maligno poſitus eſt, ſeducti exierunt in mundum.* Quapropter miſerrimam tuam conditionem animadvertito, & quae cum Divina Juſtitia contraxiſti, debita cum lacrymis & moerore diligenter intuere; Ex quo fieri poteſt, ut innumerae tuae maculae deleantur. Hoc vero prae oculis ſemper habe, tuorum operum non modo, ſed & C minimarum cogitationum cenſorem ac vindicem eſſe Deum.

I. Jo. 2. 15. 5. 19. II. 1. 7.

PARAENESIS XLVIII.

EJa agite, Fratres, appropinquanti Sponſo obviam prodituri, lampades veſtras accendite, hoc pro certo habentes, in qua die operum fiet compenſatio, juſtos ab ipſo in deliciis affluente regno D conſtitutum iri. Nam egregiae quaeque animae tum voti compotes optatiſſima aeternitatis gaudia conſequentur. Enimvero quicumque adventum ejus praeſtolati, ipſius nomen inter populos annunciaverunt, prae laetitia exilientes, venienti accenſis cum lampadibus occurrent. O illum ſane E felicem, cui advenientem Sponſum excipere continget! Tunc temporis videre erit lucis & gloriae praecincta Sanctorum capita ab illo, cujus exſpectarunt Redemtionis manifeſtationem, & cujus nomen ubique terrarum praedicaverunt.

Quum aeterni Patris Unigenitus, qui eſt ante ſecula, ad inferos deſcendiſſet, ut ab horrendis ſuis ſpelaeis vita functos excitaret, ii prodeuntem ex ipſo admira- F bilem lucem conſpicientes ardenti ſtudio ei obviam procedere cupiebant; quum vero ipſum Cruci affixum cognoverunt, tum quas ipſi perpeſſi erant aerumnas, quoſque ſuſtinuerant cruciatus, oblivioni mandarunt. Intelligebant enim, quod ob ſuam erga nos caritatem nobis immortalem aſſeruit vitam, noſtrumque pulverem cum beatorum Spirituum agminibus conſociavit, & quoniam mors ultimam nobis perniciem moliebatur, ideo ab ejus poteſtate nos exemit, eripuit, vindicavit.

An-

A Angelorum igitur Dominus ſummis extollendus eſt laudibus, qui ſuo ad Inferos acceſſu moerentes exhilaravit, tum quia tenebricoſiſſimae noctis caliginem expulit, tum quia univerſum terrarum orbem admirabili ſuo lumine illuſtravit. E Caelo in terram delapſus incolumitati & ſaluti noſtrae munificentiſſime conſuluit, & denuo in Caelum aſcendit, ut ad ſui dexteram Patris conſideret. Quare ipſi ſe comites adjungere inflammato animo expetunt B quicumque adventum ejus praeſtolati, nomen ipſius in gentibus praedicavere.

Quum Adam in voluptatis horto exitialem fructum deguſtaſſet, mortemque ſibi, ſuaeque ſoboli intuliſſet, noſtram caeleſtis ille Reparator miſeratus conditionem deſcendit, ut amiſſam ſalutem nobis reſtitueret. Funeſtiſſima vero ac luctuoſiſſima die, qua Divinus ille Agnus in ara C Crucis immolatus eſt, monumenta ultro aperta ſunt, non alia certe ratione, niſi ut de futuro judicio ſinguli admoneremur. En dies properat, in quo defuncti ad vitae immortalitatem ſunt revocandi. Nae ille beatus, qui diem hunc ſerio contemplans, opperitur! O formidandum adventus Domini diem, in quo omnia cordium abſcondita in vulgus prodibunt, & mortui Dei voce excitati, D vadimonium obire compellentur! Tunc Adam reſurgens obſtupeſcet videns factam ſibi copiam in voluptatis paradiſum remeandi illo longe jucundiorem, a quo fuerat expulſus, poſtquam Dei praeceptum exequi detrectavit.

PARAENESIS XLIX.

Mirum quî fiat, Munde nequam, ut homines quamvis tuis lenociniis E perſaepe perditi, tamen tantopere te depereant! Tuam venuſtatem intueor, quæ vix dum ſeſe conſpiciendam offert, elabitur, & tanquam ſomnium avolat & evaneſcit. O quam, Munde nequam, tuus eſt ejurandus faſtus & proculcandus!

Tuum contemplans decorem, oblectamenta, delicias, eheu, dixi, quam velociter praeterfluunt ac elabuntur! O quam, F Munde nequam &c.

Quid? Num ornatus tui decori & ſpectabiles, pulcherrimaque tua ſpecies velut umbra non evaneſcent perinde ac ſi nunquã exſtitiſſent? O quam, Munde nequam &c.

Duo, Munde nequam, meam plurimum mentem agitant, atque deterrent: alterum, ſi tuis obſequutus vocibus fuero, reus fiam, aeternumque me ſupplicium manebit; alterum ſi te abjecero, vitam cogar in metu ac triſtitia traducere! O quam, Munde nequam &c. Quae-

A Quaenam ex tuis mercibus captantur compendia, praeter criminum onera atque facinorum? Oculis tu velum es, pedibus laqueus, & deliciae tuae velut flosculi cito decidunt, & arescunt. O quam munde &c.

Vae misero illi, qui tui devinctus amore, tuis sese laqueis sinet ac retibus in pediri! Quia scilicet te nullam ei suppeditante opem, fatalem animae exitum B patietur. O quam munde &c.

Pergedum, Munde insipiens ac proditor, ubinam sint clarissimi tui Imperatores, Reges illi potentissimi, imperterriti illi Gigantes; ubi, inquam, sint ostendito. O quam munde &c.

Tu speciosissimarum mulierum verecundiam deturpasti, tu eas liberis vita carioribus viduasti; tu dominis habitacula C possessionesque eripuisti. O quam munde &c.

Sapientes tuis opibus atque illecebris seduxisti, eos vero qui dulcissimo libertatis arbitrio fruebantur, subdole in servitutem adduxisti, & simplices astu & dolo malo circumvenisti. O quam munde &c.

Pelagus immensum es procellosis fluctuum motibus undequaque jactatum, a D quibus vix quisquam speret sese incolumem evasurum. O quam munde &c.

In nihilum sane redigendae sunt opes tuae, tum omnis bonorum copia, tum deliciae, tum voluptates. O quam munde &c.

En pulcherrimi clarissimorum Regum ornatus, en auro gemmisque splendida Caesarum diademata pessumdata & corrupta sunt, ac si nullo unquam tempore E exstitissent. O quam munde &c.

Quisnam tui flagravit amore, cui detrimenta parta non fuerint? Aut quemnam tuis bonis locupletasti, cui jacturam non intuleris? Ecquis contra te odio habuit, qui honores non sit adeptus maximos, & immortales? O quam munde &c.

O gurges omnium malorum origo iis potissimum, qui tuis se fluctibus com- F miserunt! O infelix eorum exitus, quos praemio affecisti! O quam munde &c.

Tuum contemplantibus aspectum, o quam deformis apparet! Quibus tuam offers necessitudinem, proh quam nefaria videtur! Quibus tuus exhibetur amor, proh quam impudendus repraesentatur! O illum sane felicem, qui tuis non est sordibus contaminatus! O quam munde &c.

Tu pueros, & juvenes, tu viros & senes blanditiis illecebrisque quasi in vinculis,

culis, & compedibus detinuiſti. O quam munde &c.

Quiſquis tui, Munde nequam, ſtudio inflammatus eſt, foveam malis doloribuſque refertam omnibus ſibi aperuit; qui te contra odio ſunt inſequuti, aeternam vitam ac felicitatem obtinuerunt. O quam munde &c.

Tu domibus deplorandam vaſtitatem intuliſti, earumque dominis perniciem ultimam induxiſti, & matrum uteros infoecundos reddere non dubitaſti. O quam munde &c.

Eja agite, Fratres, ſacrarum literarum monumenta conſulite, & hunc mundum in priſtinum chaos redactum iri, in eoque nihil eſſe firmum, nihil ſtabile comperietis. Subſidium itaque pro ſeculo nunquam praeterituro, nobis, dum poſſumus, comparemus. Tuum, munde fugax, ejuro faſtum, qui jam ad occaſum properas.

Etenim ille Deum ſibi benevolum facit atque propitium, qui fallaces hujus vitae blanditias, & voluptates faſtidiens, annos aeternitatis aſſidue meditatur. Tuum munde fugax, ejuro &c.

Illius bonitatem ſummis laudibus ac praeconiis extollamus, cujus immenſae ditioni, ac poteſtati, non modo praeſens, brevi interiturum ſeculum, ſed & futurum illud ad perpetuitatem permanſurum ſubjicitur. Tuum, munde fugax, &c.

Surgamus ergo, cariſſimi, animoſque noſtros in hoc tranſeunti ſeculo ad perfectae virtutis normam ſeduli excolamus, ut haereditatem nunquam perituram in altero adeamus. Tuum, munde fugax, &c.

Enimvero quum in pacatiſſima illa beatorum regione, tamquam in ſua ſede inhabitet Dominus, cupiditates noſtras in hac deficiente vita, ſi recte ſapimus, comprimentes, poenitentiam agere ſatagamus. Tuum, munde fugax, &c.

Conſtanter perſeveremus omni ſtudio in vigiliis, & piis precibus, ut venienti Sponſo cum prudentibus Virginibus occurramus. O quam, munde fugax, &c.

Caritatis denique perpetuo vinculo copulati, contendamus, Fratres, in jejuniis, & orationibus, ut cum juſtis, & poenitentibus in illo bonorum omnium affluente triclinio accumbere mereamur.

PA-

A

[illegible]

PARAENESIS L.

EMitte, Domine, lucem tuam in cordibus noſtris, ut mandatis tuis fideles inveniamur. In veſperis, Domine, Sol ad occaſum vergit, tu modo nobis Sol eſto, ne tenebris obruamur. Te rogamus, fortiſſime ſeculorum Gigas, cujus miſericordia immortalitatem aſſeruit imagini, quam ipſa effinxerat: Te, inquam, B ſupplicum votis deprecamur, ut ſplendor tuus oboriatur mentibus noſtris, ne unquam a tuae doctrinae legibus deflectamus. Dignos nos effice, Deus, ut tuae bonitatis praeſtantiam noctu meditantes, a nobis prava per te ſomnia abigantur; neque Satanae copiam feceris, ut nos ſomno gravatos deludere valeat, ac ſubſannare. Eluceſcat lumen tuum in aedibus C noſtris, & fortitudo tua ubique nos roboret, atque communiat. Quae Davidi Regi ſuppetias tulit, omnipotentiae vis, firmo gratiae ſuae aggere adverſus tenebrarum Principem nos circumſepiat. Tua, Domine, virtus ſe comitem nobis praebeat, ut communis adverſarius, qui totis, quibus valet, viribus nos oppugnare non deſinit, pudore deterreatur. Dextera tua praeſidio nobis adſit in veſperis, no- D ctibus, & ante lucem, emicanſque tuae Crucis jubar nos tueatur, ac ſoſpitet. Qui juſtum Joſeph ab inimicorum inſidiis eripuit, nobis quoque omni tempore adjungatur in ſocium. Domine Deus noſter, cujus miſericordia perpetuo patet peccatoribus ad bonam frugem redeuntibus, E praeſta nobis, ut nocturnis meditationibus te ſemper prae oculis habentes, pſalmos, Spiritu ſancto afflante elucubratos hilari laetoque animo concinamus.

O te invocantium ſpes unica, iis medere, quae diabolus animis noſtris inflixit, vulneribus, ut tum vigiles, tum ſomno dediti, nunquam a tuo latere diſcedamus. Noſtrarum mentium aciem colluſtra, ut gloriam tuam intueatur. F Crux tua, Domine, aedes noſtras praeſidio tegat, & improbum adverſarium ab iis cogat quam longiſſime abſcedere. Juſtitia tua oculos illuminet, & mentis tenebras, Solis inſtar, omnino diſſipet. Deus immortalis, qui ex ſublimi caelorum faſtigio delapſus, vitam omnibus tuo interitu peperiſti, eſto nobis pacis & tranquillitatis auctor & conſervator in veſperis, noctibus, & matutinis, ut cum Eccleſia, quae Patrem & Spiritum Sanctum tuum humiliter confitetur, &

laudat, a sempiternis cruciatibus eripiamur. A

PARAENESIS LI.

LAudes aeterno Patri impraesentia persolvamus, cujus singulari beneficio factum est, ut tu, Reparator amplissime, in terram descenderes veluti *splendor gloriae, & justitiae Sol*, qui ex Regia Davidis sobole ortus, in tenebris & umbra mortis sepultos illustrasti, & gentes ad poenitentiam pertraxisti. B

Hebr. 1. 3.

Agite, ergo poenitentes, quicumque asperam vitae rationem suscipere statuistis, misericordiam efflagitate, quae ubique vobis in promtu est: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ei, quoniam multus est ad ignoscendum*. Scis, Domine, quam late pateant scelera nostra; nos ergo penitus collabentes, dexteram illa tua, quae misericors, & clemens est, arripito & sustineto. Faciles meis precibus aures admove, quoniam immenso pretio, tuo videlicet Sanguine, salutem meam reparavisti. Perditissimum illum adolescentulum patrimonii dissipatorem aemulati sumus. Peccavimus, inique egimus, & te ad furorem sceleribus inflammavimus, ac prope impulimus. Tu nostris modo calamitatibus, & angustiis subsidio adsis, & sordes ablue, quarum caussa jam gratia tua in nobis locum, ubi consistat, invenire vix potest. Dulcissime Domine, cui poenitentium voces gratissimae sunt, te cum Vidua illa Evangelica maximopere obtestamur, ut nobiscum misericordiam potius exerceas, quam potestatem. Nobis innumeris obstrictis flagitiis ignoscito, qui hactenus nostrorum criminum sarcinam patientissime sustinuisti. C D E

Es. 55. 7.

Auspicatissimum Crucis vexillum inconcusso veluti praesidio ab aeterni ignis impetu me tueatur eo momento temporis, quod ad operum retributionem divinitus est praestitutum; & quum misericordiae tuae lux affulgebit, nobis ejusdem gloriam consequendi potestas fiat. Praesta denique, ut cum Sanctis tuis, quos nihil unquam ab officio avocavit, divinitatis tuae aeternas laudes celebremus. F

PA-

A

PARAENESIS LII.

QUicumque immensam Dei Majestatem temere impudenterque laedere ausus est, suam audaciam atque protervìam oportet, ut cum gemitu ac tristitia detestetur. Mihi vero prae omnibus dolendum est, quippe qui omnium nequitiam improbitatemque superavi.

B Angeli atque homines propter intolerandam meorum criminum insolentiam graviter commoventur; ego autem a meis noxis & flagitiis palam detegendis, ac pervulgandis deterreor. *Putruerunt & corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae.* (Ps. 37.) Quia hujus mundi delicias ac voluptates, quae animam prorsus inficiunt, expetivi, iccirco impurissimus tenebrarum C Princeps me corruptum vitiatumque perdidit; tum me turpiter, ceu quondam Adamum in Paradiso, seduxit ac subsannavit. Me nudum, atque omni praesidio destitutum, Evae instar, conspexit, nec tamen immanis ille animarum carnifex meam cladem calamitatemque est leviter commiseratus. Tuum ergo, Domine, unicum mihi perfugium superest, qui me ex nihilo condidisti: tu extremam nudi- D tatem contege: tu vulneribus medicinam adhibe: tu id demum effice, ut mea in tuto sint omnia. Me huc illuc inconsulto errantem ad te accersito, & vitae meae tutelam suscipe, tu, qui solus gratis misereris & parcis.

Hoc mihi etiam elargire, ut in Resurrectionis die vultum mihi tuum liceat animo prorsus defoecato atque ab omni formidine vacuo intueri. Gra- E tiae tuae salutari me rore perfunde; Sic enim fiet, ut aeterni ignis supplicia & cruciatus effugiens cum beatis illis, qui tuo maxime amore flagrarunt, tuae humanitatis praestantiam nunquam celebrare praetermittam. Felicissimis Caelorum civibus, qui verae lucis filii sunt, sectatores tuos adjunge comites, & dignos effice, qui te Patremque tuum, & Spiritum F sanctum aeternis in caelo laudibus efferant.

PARAENESIS LIII.

DUlcissime Jesu, mortalium salus & indulgentiae largitor, qui in Calvariae montis vertice oblatus es, ut humanam naturam saluberrimo tui Corporis sacrificio aeterno Patri reconciliares, suscipe, quaeso, oblationes precesque nostras,

stras, suscipe, inquam, thura nostrae pietatis symbola, atque hujusmodi oblatio nobis omnibus delictorum veniam afferat, qua nihil ardentius concupiscimus.

Ps. 39. 12. *Ps. 16. 5.* *Ne, Domine, longe facias miserationes tuas a nobis*, dum te supplices colimus, & ad tuam clementiam confugimus. *Perfice gressus nostros in semitis tuis*, ut culparum veniam adipiscamur.

Amantissime poenitentium Parens, qui non venisti vocare justos, sed peccatores, excipe nos, quaeso, qui frequentissimi tuae clementiae januam obsidemus, & largire nobis, ut non tantum verbis, sed & opere & actu poenitentes simus & nominemur.

Eccl. 21. 10. *Es. 65.* Judicium omni prorsus lenitate carebit, & consummatio illius flamma ignis ardentis tota die. Utrumque, o anima, aequa rationis lance perpende, & omni prorsus studio obnitere, ut horum effugium adsequaris. Quod quidem tibi ex sententia continget, si bonis operibus eleganter exculta ac insignita decesseris.

Perniciosum illum somnum, cui tamdiu indulsisti, excute, & obitus tui gravissimum momentum sedulo inspice, & fatalem horam, in qua Judicis quaestionibus responsum datura es, maxime reformida.

Ad supremi Numinis similitudinem efformata es, ejusque pulchritudinis imaginem repraesentas, & illius vultus lumen signatum est super te. Cave igitur, ne inditam tibi a Deo venustatem, qua tam pulchre elucescis, scelerum illuvie polluas, ideoque severissimum judicium ab ipso, cujus majestatem spernere ausa es, tibi sit sustinendum. Justitiam ex animo cole, id enim tibi maxime proderit. Ne pretiosa illa momenta tibi ad vivendum divinitus tradita incassum teras, & judicii diem saepissime mediteris. *Paralip. 7. 18.* *Malach. 3. 5.* Quum, Domine, Regni tui thronum suscitabis, & accedes ad nos in judicio, propitiare nobis, ut exultemus ad dexteram collocati.

Tu vero mortalium impurissime, cui nihil unquam nefas nec in facinore, nec in libidine fuit, ne a lacrymando absistas, & clementiae Patrem enixe obtestare, ut tibi, quemadmodum Peccatrici in domo Simonis, indulgeat.

Es. 46. *Joel. 2. 12.* Redite ideo prevaricatores ad cor: convertimini in toto corde vestro, & scindite corda vestra, & clamate ad Dominum, Ninivitarum instar, ut vobis ignoscat, quemadmodum Latroni, qui eum extremis, ac intermortuis plane vocibus invocavit.

Clamo ad te, sicut Peccatrix, & sicut

[illegible]

A sicut Publicanus, Domine, cujus beneficentia, atque humanitas latissime patet. Tu qui nihil, praeter injurias, oblivisceris, ne delicta velis nostra reminisci; sed effice, ut cum iis recenseamur, qui postquam honestatis ac prudentiae suae triste hominibus desiderium reliquerant, ad summam illam, ubi nullus est dolori locus, felicitatem ac beatitudinem evolarunt.

[illegible]

B

PARAENESIS LIV.

[illegible]

Unigenite Fili Dei, qui ex altissima aeterni Genitoris mente prodivisti, quem post temporis plenitudinem, intemerata Mariae Virginis viscera, Divino afflante Spiritu, excepere, & in hanc lucem, non inter pretiosa Regum peristromata, sed inter pastorum tabernacula ediderunt; vide, quaeso, quo pietatis C ardore ac studio saluberrimi, ac Divini prorsus hujusce facinoris memoria celebratur, & hanc sine celebritatem per te nobis esse beneficam ac salutarem.

Heic vos appello, invictissimi Martyres, qui tam strenue decertastis, quique ex tot, quibus conflictati estis, aerumnis, gloriose triumphastis, ut pro nobis Christum deprecemini, qui nunquam velit sua D nos misericordia spoliatos atque orbatos videre.

Tuae, Domine, vocis imperio nos advoca, ut qui pretioso tuo corpore, & sanguine persaepe nunc vescimur, tum suaviter assurgamus, quum judicium peracturus adveneris, & universi tecum praeclarissimas beatorum sedes ingrediamur.

Gloria aeterno Patri sit maxima, qui E Beatam Virginem ad tantum honoris culmen evexit, ut in sui pectoris angustiis templum Divinae Majestatis construeret, & in fragili humanae carnis natura totam Divinitatis gloriam contineret. Filio etiam festi ubique dies summa cum celebritate statuantur, qui Martyres ad pugnam acuit, ac roboravit. Aeterna denique gratiarum actio referatur Spiritui sancto, utpote admirabili nostrae Resur- F rectionis auctori, & id unum prae oculis habeamus, ut Augustissimae Trinitatis gloriam praedicantes, quominus innocentia possumus, ejusdem nobis misericordiam subsidio comparemus.

PARAENESIS LV.

OPem, Domine, nobis omni prorſus auxilio deſtitutis ſuppedita, & gregi tuo dexteram porrige, ut animus noſter debilitatus, ac prope fractus aſſurgat; tu enim & ſalus es & victoria noſtra; in te ſpem omnes habemus maximam; & quemadmodum caſtis probiſque viris beatitudinem conſequi tuam per potentiam licuit, ſic veris nos divitiis confidimus per miſericordiam cumulandos.

Jucundus, quaeſo, nobis accidat adventus tuus, & lampades noſtras oleo probe inſtructas portabimus. Cinge caput juſtorum inſigni gloriae diademate, quo praeclare ornati in Reſurrectione tibi gratulentur, ſibique gaudeant, & ad tuae Majeſtatis ſedem, tecum in aeternitate victuri divino voluptatis gaudio collaetantes accedant. Cherubim te, miſericordiae fons, & origo, exquiſitiſſimis verbis aſſidue laudent: Pontifices, ac Sacerdotes omnes tibi gratias ubique ſingulares agant, qui aeterni Genitoris majeſtatem perfectiſſime repraeſentas.

Praeſta, omnipotens Domine, ut nullus ex iis, qui Baptiſmatis Sacramento regenerati ſunt, e Paradiſo excludatur in extremo judicii die, ſed inter caeleſtes incolas in aeterna tabernacula ſinguli admittantur, atque illius ſint convivii participes, cui nulla poteſt ſuavitas eſſe par, aut jucunditas.

Militanti huic Eccleſiae perpetuae pacis ac tranquillitatis ſolatium impertire; ex quo plane fiet, ut univerſae nationes certatim laudibus proſequantur auguſtiſſimum illud Ternarium, quod teſtimonium dat in Caelo. Eccleſiae autem ubi tranquillitatem dederis, tum noſtras animas a delictorum omnium turpitudine ſordibuſque libera, & caritatis ardore inflammatas tuo praeſidio fove, ut nihil abs te neque ſecundarum, neque adverſarum rerum ipſas ſejungere caſus poſſit.

PARAENESIS LVI.

PArens caeleſtis, nos te invocantes exaudi, quum non ſit alius, qui pugnet pro nobis, niſi tu, Deus noſter. Enimvero quum nondum nati eſſemus, placuit tibi nos Crucis beneficio donare; nunc vero quum conditi ſimus, ne peſſum ruere ſinas. Doce nos facere voluntatem tuam,

tuam, & da, ut praeceptis tuis obtemperantes, perfectis justitiae operibus tibi placeamus.

Quia nominis tui gloriam atque amplitudinem confessus sum coram hominibus, tua me caritate complectere, quo die mansuetudine potius excipi, quam severitate terreri quisquis desiderabit. In ea nunquam satis metuenda hora, ne me tibi alienum esse profitearis, át mecum clementiam, quam nunc postulo, adhibe, & ad dexteram statue eos inter, qui tibi fideliter inservierunt.

Nisi silice durius esset cor nostrum, nunquam profecto lacrymas contineret, & quamquam improbitas cujusque nostrum vix verbis exprimi valeat, excordes tamen adeo sumus, ut nulla sit res, quae plus apud nos polleat, quam effraenata voluptatum, atque deliciarum cupiditas. Eja igitur oculos & cor nostrum ad Caelum erigamus, ac omnipotentis Dei cultui toto animo obsequentes, ejus laudibus delectemur, ex quo ille pluribus suis beneficiis in nos collatis, voluntatem nostram erga se & gratam, & memorem recognoscat.

Proh quam luctuosa erit peccatoris conditio in eo temporis spatio, quo mortales omnes ad inexorabilis Judicis subsellia rapientur, & intima cordium penetralia in vulgus prodibunt! Formidandum sane judicium erit, ac fatale momentum. Beatus autem ille, cujus de salute solicitus Redemtor erit, a quo fructus amplissimos est habiturus.

Mos mihi est, dum pecco, scelerum meorum turpitudinem occultandi, ne ulli innotescant. Frustra tamen elaboro, quum mea consilia Deo pateant, cui non est quidquam absconditum. Si me peccantem hominum quispiam deprehendat, incredibili statim pudore afficior; Dei vero praesentiam minime vereor. O dementiam singularem! O stultitiam nullis unquam hostiis, aut piaculis expiandam! Propitius esto mihi, Judex omnium patientissime, qui homines ad te sero, aut diluculo venientes illa tua benignitate, tua, inquam, illa praestante, atque egregia excipis & amplecteris.

Eccles. 39.

Quid mihi modo agendum supersit, plane ignoro. Quum enim meis sceleribus, atque maleficiis nihil addi jam posse videatur, mihi quidem in promtu non est, quo tandem modo eadem valeam expiare. Si porro aquas expecto, nec flumina omnia, nec pelagus ipsum meis sordibus abluendis sufficiunt. Saluberrimum mihi

mihi tantum supereſt Sanguinis tui, Domine, & undae, quae tuo ex latere effluxerunt, lavacrum, quo perfectiſſime emundabor.

Tu vero, infelix peccator, quo te vertis? quid moliris? Ad te jam redi, & judicium, quod ſuſtinendum tibi quamprimum erit, ſerio contemplare; a cujus ſeveritate ſi innoxius evadere ac impunitus cupis, modo, dum tempus ſinit, ad poenitentiam confuge. Heic Deum precari aſſueſce, ut illic propitiatorem habeas, ubi lacrymarum, & orationum munera irrita futura ſunt atque inania.

PARAENESIS LVII.

Rom. 5.

PIiſſime Domine, cujus caritas diffuſa eſt in cordibus noſtris, te enixe oro, obteſtorque, ut innumeris, quibus detineor, ſceleribus ignoſcas, quoniam nihil praeter injurias oblviſci ſoles. Perſuaſum namque mihi eſt, nullum momentum temporis exſtitiſſe, in quo tibi non diſplicuerim; ſed illud modo abs te contendo, ut in Salvatoris vulneribus imaginem & animi & amoris erga me tui complecti, atque oſculari liceat.

Dies otioſe perdidi, quin minimum mihi emolumentum aut utilitatem comparaverim. Propitius eſto mihi, Domine, quemadmodum latroni, qui quum perexiguo temporis ſpatio morem tuae geſſerit voluntati, tuam tamen benignitatem habuit & perſpectam & cognitam.

Ne illa reſpicias crimina, quae meae adoleſcentiae florem contaminarunt; ſed hoc mihi per admirabilem Infantiae tuae ſanctitatem, & innocentiam impertire, ut cum pueris, qui ſe tibi devoverunt, tuis poſſim laudibus indulgere. Quae vero exrrema in ſenectute impudenter admiſi, ne ex juſtitia, ſed ex miſericordia pendas tu, qui antiquus dierum ſedes, & me dignum efficias, obſecro, veluti ſenem illum ſanctiſſimum Simeonem, ut omnibus in rebus tuus amor erga me ſemetipſum oſtendat.

Dan. 7. 9.

Ne meae vitae rationem a me ita repetas, ut poenas mihi debitas luam; quin potius meam imbecillitatem miſericordiae tuae praeſidio confirma.

Ne tuas mihi fores occludas, ut neceſſario gratiae ſubſidio vacuus abſcedam, imo vero mihi amanti, cupienti, ac vehementiſſime poſtulanti, cum quinque illis prudentibus Virginibus eſto in thalami tui delicias introductor.

Ne

A Ne meam cauſſam ſeveriſſime pertractandam ſuſcipias, nec me juſtitiae poteſtati prorſus committas, ſed judicem mihi clementiam ſtatue, cujus me gratia & auctoritas conſoletur.

Ne me maxime infirmum, animoque penitus fractum deſeras, nec Daemonis ſervituti mancipandum, ſed eorum numero adſcribendum exiſtimes, qui poſtquam ſemel ad bonam frugem rediere, hanc B ſibi legem ſtatuerunt, ut nihil, niſi de praeceptis agerent ac conſiliis tuis.

Ne, Domine, derelinquas animam meam in inferno, tu, qui vitam degis ex omni parte perfectam, hoc eſt beatam, & ſempiternam. Quae enim utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? At eas potius mihi vires praebe, ut poſteritati relinquam certum aliquod ſingularis meae erga te obſervantiae C monumentum.

Pſ. 15. 10.

Pſ. 29. 10.

Ne projicias me, Domine, a facie tua, ſed ad eam, quam humano generi intercluſam aperuiſti, beatitudinem admittendum judica.

Ne mihi ſcelera, quorum conſcientia mirum in modum torqueor, ultro ac palam fatenti debitas poenas infligas; quum nullus profecto ſit praeter te, Domine, D qui ſe juſtum, atque ab omni culpa vacantem audeat jactitare.

Ne mea tuo ex animo memoria deleatur, quum mei cauſſa acerbiſſimum in terris judicium ſuſtinueris, ſed me comiter excipe in tuas ſedes, uti perditum illum patrimonii decoctorem filium effuſo ſinu venientem ſuſcepiſti.

Ne, Domine, ſinas, ut animum penitus deſpondeam, & ad ultimam deſpe- E rationem adducar, quum meae ſalutis ſpes omnes in te habeam collocatas. Meam in te fiduciam auge, & intimos animi ſenſus amoris tui ſtimulis, quibuſdam veluti facibus, accende.

Ne me ab optatiſſimo convivio tuo prohibeas, neque in tenebras exteriores projicias, ſed nuptiali veſte indutum, ad te omni tempore diligendum in- F flamma.

Ne atratam mihi veſtem imponas, quum luſtralibus Baptiſmi undis expiatus innocentiae ſtolam induerim; ſed mihi largire, ut in die celebritatis & laetitiae totus in eximiis laudum tuarum praedicationibus verſer.

Ne me, pie Jeſu, cujus in mortales benevolentiam eſſe maximam prodigia ubique terrarum celeberrima teſtificantur, improborum gregi recenſeas, ſed eos in- ter

ter, quibus tua morte libertatem asseruisti.

Ps. 34. 21.

Ne me ad infernum abigas, qui os suum dilatavit, ut me devoret, planeque obruat; sed praesta, ut cum beatis ordinibus laetitia gestiens, suavissimis convivii tui deliciis reficiar.

Ne mea, Domine, opera, aequo pondere librentur, quandoquidem nullum memini me opus laude ac praemio dignum gessisse; mecum potius ea miseratione utere, qua factum est, ut mei similes bene multi vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint.

Ne me, inquam, juxta meorum operum rationem judices, quum eo impudentiae devenerim, ut nullum officii, gratique animi specimen tibi praestiterim; sed, qua Publicanos amplexus es, pietatem ac benevolentiam mihi ostendito.

Ne deplorandam animi mei turpitudinem Angelis conspiciendam objicias: maximum enimvero hoc mihi esset pudoris ac tristitiae argumentum. Quin imo turpitudinem, qua sordesco, Crux deleat tua, quae hominum genus ad primaeva jura revocavit, nullique secundum reddidit.

Ne me, Salvator optime, tua justitia opprimat, nec mihi Beatorum coetus se inimicum infestumque praebeat; sed tuam a me iracundiam deprecetur, ut ad auspicatissimam clementiae sedem facilis mihi aditus patefiat.

Ne me ad laevam existimes cum scelestissimis statuendum, qui vim omnem Divinitatis ac potestatem eripere conati sunt, sed ad dexteram cum iis colloca, qui Majestatem tuam veriti, Crucis tuae pondus aequissimo animo complexi sunt, ut ad immortalitatis gloriam niterentur.

Ne me de meis criminibus coram tuis Angelis objurges; secus enim prae ingenti trepidatione, ac verecundia corruam; quin potius mea crimina obliviscere, nec partes judicis habeas, sed parentis, qui misericordiae malit, quam potestati obsecundare.

Ne me demum, humanissime salutis hominum Reparator, a conspectu tuo abjicias, nec adversariorum audaciae me vinctum dederis, sed finas, obsecro, ut gaudium sit Angelis tuis super me peccatore poenitentiam agente.

Ne debitas mihi poenas justitia infligat, nec a gratia unquam destituar, sed misericordia, & eximia tua benevolentia me undique comitetur.

Solve,

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[Syriac text]

A Solve, obsecro, arctos illos delictorum nexus, quibus durissime obstringor, & sartus tectusque, te cum Patre, ac divino Spiritu aeternis laudibus celebrabo.

[Syriac text]

PARAENESIS LVIII.

[Syriac text]

B Deus immortalis humanae salutis auctor praestantissime, omni studio ad meam defensionem conspice; custodi me ut pupillam oculi, & sub umbra alarum tuarum a tentationibus protege. *Ps. 16. 8.*

Oculorum licentiam cohibeto, ne huc illuc temere volvantur; aurium custos esto, ne pravas voluptatum illecebras & lenocinia excipiant.

Pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiae labiis meis; ne declinet cor C meum in verba malitiae, & ad scelera se convertat. *Ps. 140. 3. 4.*

Nobis impertire, obsecro, perfectam rerum cognitionem & intelligentiam, ut mores ad virtutem atque honestatem componamus; sic enim tibi erimus & odoribus, & aromatibus vel suavissimis jucundiores.

Effice, Domine, ut tui cupiditate maxima inflammemur, & mundi fa- D stum atque oblectamenta respuamus, & conculcemus, posthabitisque praetereuntis hujusce seculi bonis, tibi tantummodo adhaereamus.

Largire nobis, ut tria tibi munera, tamquam tria, & quidem gratissima thuris genera, totidemque lampades offeramus, mentem videlicet, linguam, totumque corpus; quae Trinitati augustissimae consacremus. Mentem Patri exhibea- E mus; animam Filio; corpus Spiritui sancto, qui illud e pulveris humilitate sublevet, innovetque.

Pater omnium amantissime, tuis meam mentem radiis ac luce comple; Fili, animae sanctitatem tribue; Spiritus sancte, corpus, quod innumeris aerumnis & infirmitatibus conflictatur, corrobora; sine demum, ut nos de tua gratia, tu vero de nostra poenitentia collaeteris, & a F mente, anima, & corpore tibi gloria referatur, tuaeque nos misericordiae divitiis omni tempore redundemus.

PARAENESIS LIX.

A

TUo me, potentiſſime Deus, patrocinio fove, & ex daemonis tyrannide redime, qui intoleranda mihi onera impoſuit, & virtutis tuae divina vis infenſiſſimum hoſtem enervet, qui me ſternere, ac penitus evertere conatur.

Daemonem lubens ejuravi, & ab ejus me fraudibus atque anfractibus expedivi;

B

icciroo omnes vaferrimus ille verſutiae nervos intendit, ut inſidiis me iterum circumveniat.

Si, Domine, tua virtus nullas mihi ſuppetias ferat, neque Crux tua me tantopere exagitatum ſuſtineat, profecto in laqueos, qui mihi paſſim intentantur, miſere impellar.

Ne, ſinas, oro, ut ex acie diſcedam ab illo profligatus, qui turpiter in caelo

C

victus fuit; quum ingens ſit dedecus ab illo vinci, qui toties fractus eſt atque disjectus.

Auditum mihi non ſemel eſt, inſolentiſſimum illum humilitate conteri ac debellari. Tu, Domine, qui ponis humiles in ſublime, & ſedere facis cum principibus populi tui, immoderatumque tumeſcentium faſtum, atque arrogantiam perfringis, animi mei audaciam coerce,

Job. 5.11.

D

& me ad humilitatem, manſuetudinem, comitatemque traducito.

Impertire mihi, obſecro, ut tua ſub poteſtate degam, ac tuae morem voluntati libentiſſime geram. Meae vero mentis tenebras coram te, veluti coram ſole nebulae evaneſcant, ne unquam in morte obdormiam.

E

Te modo, ſceleſtiſſime daemon, execror Filii Dei nomine, tibique ea, qua polleo auctoritate impero, ut impuriſſima ora occludas, atque obmuteſcas. Maledictus es in caelo, & in terra, nec uſquam locum, ubi tutus conſiſtas, invenire poteris.

Ad te, pie Jeſu, ſupplex confugio: Crux tua tutiſſimum mihi portum, ac ſolatiũ praebeat. Maximas tibi gratias agam, majores

F

etiam habebo; teque cum Patre & Spiritu ſancto aſſidue colam ac praedicabo, eo quod ab immaniſſimo tenebrarum Principe me vindicaveris, ut tuam vineam excolere & exercere aggrederer, quo nihil mihi gratius accidere potuit aut optabilius.

[illegible]

PARAENESIS IX.

Antequam mors te e terra, cui radicitus defixus haeres, peccator, evellat, & horror judicii universum terrarum orbem pervadat, misericordiam efflagita, ipsamque adipisci totis viribus contende; ne si diutius commoreris, tibi ad eam aditus intercludatur, neque ulla indulgentiae spes tibi elucescat.

Quum te prorsus lateat funestissimus ille dies, quo tibi mors vitam adimet, nunquam a clementia exposcenda quiesce. Enimvero actum dubio procul esset, si ipsa te imparatum deprehenderet.

Ne, Domine, nos ultimo supplicio devoveas in tuo judicio, nec nostras percellat aures vox illa horribilis, cujus strepitus sinistrum latus perterrefaciet, sed dignos effice, ut illa vita vere vitali omnibus bonis & gaudiis circumfluente, una cum justis perfruamur.

Infinita est clementia tua, mortalium amantissime; ecquis ipsius amplitudinem valeat pro meritis celebrare? Num in toto terrarum orbe inveniri potest tam prona, sicut tua, Domine, miseratio, ad quam nobis confugere semper liceat? Num fores adeo patentes suppetunt, quae nos in maximis rerum angustiis versatos tam faciles excipiant? Tua igitur clementia, quae eximiis laudibus ac praeconiis digna est, ne, quaeso, nostris audiendis precibus defatigetur.

Tuae miserationes immensae sunt, humana vero malitia finita ac circumscripta. Hinc fit, ut multo latius illae pateant, quam peccata. Ne ergo sinas, Domine, ut immensas miserationes vincant, ac superent finitae culpae, sed gratia nos tua ubique comitetur, & subsequatur.

Eo potissimum ardentissima desideria, & vota respiciunt mea, ut magnifico illo convivio reficiar, cui Angeli intersunt & Beati omnes. Nihilo tamen secius praetereuntium bonorum blanditiis adeo mea mens stricte detinetur, ut ab earum cupiditate se expedire nesciat. Uterque me plurimum tenet amor. Tu, Domine, qui optime nosti, quam pronus in vitium ab adolescentia fuerim, effice, oro, ut mundi ardor a verae felicitatis amore penitus extinguatur.

Id nobis, amabo, elargire, ut cum Angelis, qui a tuis laudibus ex animo praedicandis nunquam deficiunt, gloriam tuam

tuam in aeternitate laudemus, & invicem tibi obviam progrediamur, quum electi ab improbis secernentur.

Sanctissime Parens, quem & Beati, qui in caelo versantur, & mortales, qui adhuc terram incolunt, summa veneratione prosequuntur, abs te unum enixe poscimus, ut spiritus tuus in nostra pectora illabatur, eademque ab omni macula expurget, ita nimirum, quod reliquum nobis est vitae tempus, in tuo nomine perfecta cum caritate colendo laudabiliter traducemus.

Alacres illi Cherubim & Seraphim coetus tibi in caelis toto pectore obsequuntur. At quoniam pergratum tibi est ab hominibus etiam commendari, suscipe te adorantium preces, & tum singulis, ut soles, ovibus, tum universo gregi propitius esto, ne quid Ecclesia detrimenti patiatur.

PARAENESIS LXI.

Quis valeat sacrificii vim atque praestantiam satis celebrare, quum tam late pateat, ut nemo ejus sanctitatem consequi dicendo possit? Quisquis Moysi libros accurate versabit, compertum profecto habebit, summum Sacerdotem Aaronem statim ac thuribulo accepto, suppliciter ad Altare confugit, teterrimam pestem ab Israelitarum exercitu propulsasse; scilicet tam grata tibi, Deus optime, accidit illius thuris suavitas, ut furor tuus illico conquieverit. Haec quum ita se habeant, en Sacerdotium nostrum tibi ejusmodi munus offert: effice ergo, ut ipsius virtute tuorum famulorum lues dissipetur, & nostrum erit egregium hoc benevolentissimae voluntatis tuae testimonium perpetuo colere & venerari.

Quos in tuum honorem concremamus odores, non minus certe accepti tibi esse debent, ac illi, quos tibi Aaron quondam obtulit. Et quemadmodum illorum beneficio expulsa pestis est ab Israele, cui tu jure meritoque succensueras, ita horum ope ab Ecclesia tua schismata & contentiones, quae deplorandum in modum ipsius unitatem frangunt, penitus arceantur. Hujus porro oblationis singularis praestantia nostris etiam majoribus prosit, qui tuum nomen palam professi in tua spe ex hac luce demigrarunt, ut, quum denuo in terram rediveris, in eam requiem, quae plena oblectationis est, tecum feliciter ingrediantur.

Clementissimus Dominus humanae saluti

A faluti quam maxime intentus, Difcipulos ad vigilantiam affidue cohortabatur, quibufcum haec verba frequentiffime ufurpabat: *Vigilate, quia nefcitis qua hora Dominus vefter venturus fit.* Et rurfus: *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & nefcies, qua hora veniam ad te.*

Matth. 24. 42.

Apoc. 3. 3.

Quibus fane faluberrimis monitis, quum nos ufque adeo parere neglexerimus, intimo animi dolore affecti, & la- B crymantibus oculis tuos ante pedes procumbimus, mitiffime Jefu, qui fpeculum es fine macula, & figura fubftantiae illius, ex cujus altiffima mente mirifice prodiifti. Nos fordidatos atque incompofitos tua gratia ad munditiem, integritatemque traducito, tuoque praefidio fubleva; plane enim nofti, quam natura miferi fimus atque imbecilles. C Quum vero nos in rerum afperitatibus mifere verfatos videris, ne a tuo confpectu arceas, qui noftrum moerorem triftitiamque potes unice confolari.

Sap. 7. 26.

Hebr. 1. 3.

Quod peccaverim, graviffimafque tibi injurias intulerim, ne fraudi ac malitiae vitio vertas, at meae potius fragilitati. Graviffima animi aegritudine premor, ac prope contabefco, neque ulla medicina fuppetit ad dolorem depellen- D dum adcommodata. Medicos adhibere non praetermifi, at eorum curatio nulli mihi hactenus fuit utilitati, nec doloris aeftum lenire valuit aut mitigare. Enimvero infitus adeo dolor eft, tamque altis defixus radicibus, ut nulla unquam ratione divelli queat, nec mihi modice refpirare liceat.

Auditum mihi faepe eft, te, Medi- E ce praeftantiffime, plenum effe falutaribus medicamentis, & qui fe tibi curandum committit, fanitati prorfus reftitui. Mihi igitur tot malorum acerbitate proftrato largire, obfecro, falutem & veniam, ob immenfam tui Patris caritatem, & ob Genitricis intemerata vifcera, quae te geftaverunt.

Mea omnia crimina nuda & aperta tuis oculis funt; nec quidpiam ex tot F meis fceleribus te praeterit. Sparge, quaefo, fuper me falutares clementiae tuae imbres, qui impuriffimas, quibus fordeo, maculas detergant. Te fupplex obteftor, quemadmodum optimus ille David agere confueverat, ut indulgentia mihi liberaliter conceffa frui quamdiutiffime poffim.

Perftricta adeo & obcaecata meae mentis acies eft, ut nihil altum, nihil magnificum ac divinum fufpicere valcat,

quippe quae suas omnes cogitationes ad terrae humilitatem abjecit ; & nil mihi , praeter cruciatus ac poenas in sempiternis aedibus adservatur . Proh pudor! elapsi jam sunt dies mihi ad recte vivendum divinitus assignati , nec unico horulae spatio poenitentiae operam serio dedi , nec cogitationem converti ad caeleste illud regnum , in quod aditus optimo & justissimo cuique est expeditissimus . Ecce autem aeterna mihi supplicia ab aequissimo Judice merito praeparantur . Pro me utinam deprecentur Prophetae , qui te tantopere dilexerunt, intercedant Apostoli, qui tibi tam studiose inservierunt . Porro immortali laude cumulaberis, si ii tecum erunt, qui per te servati, ac judicio liberati sunt.

Mea me crimina turpiter contaminarunt; icciro quum universum mortalium genus in jus vocabitur, purissimum Angelorum obtutum effugere prae verecundia conabor. At, quod deterius est, mea me turpitudo in sempiternum carcerem impellet , ubi nullae sunt miserationes, nulla humanitas, nulla indulgentia. Ne , quaeso, misericors Domine, ne tuum a nobis conspectum tum temporis avertas, illum scilicet jucundissimum , qui beatas efficit caelestium incolarum mentes, nec eximia tua humanitas atque clementia animos frangi aut cadere patiatur.

Claude, precor aestuantem illam voraginem, quae dilatavit os suum, ut nos misere devoret. En alacres poenitentiam amplectimur, & a vitiis emergere contendimus : effunde ergo clementiae tuae rorem, quo ardentes flammae extinguantur ; ne infelicissimi illius divitis instar, cujus in Evangelio fit mentio , in atrocibus iis ardoribus aquae guttulam frustra ab Abrahamo exposcere cogamur. Fias, oro, nobis fons aquae salientis in vitam aeternam, tuarum enim aquarum mirifica virtus diuturnam, qua laboramus sitim, potest unice explere . *Jo. 4. 14.*

Vide, Domine , vota nostra , quae eo potissimum spectant, ut fidelibus immenso a te pretio redemtis , propitieris , &, quos ex turpissima servitute extraxisti, iis tui regni fores patefacias , ut tecum in aeternitate oblectentur , & prae laetitia exiliant, quum torrente voluptatis tuae potabis eos , & inebriabuntur ab ubertate domus tuae. Porro ob insigne adeo ac singulare beneficium, in gratiis tibi, Patrique tuo, & Spiritui sancto referendis assidue versabuntur. *Ps. 35. 9.*

Quemadmodum desiderat Cervus ad fon- *Ps. 42. 1.*

A [illegible]

B [illegible] *

C [illegible]

D [illegible] *

E [illegible] *

F [illegible] *

[illegible]

A fontes aquarum, ita terra & ejus incolae, qui veluti naves maximis turbinibus ac procellis circumquaque aguntur, te salutis ac refrigerii portum concupiscunt. Amantissime Salvator, qui tuo Sanguine vitam omnibus peperisti, mortalium, quaeso, miserere, & eorum mortiferas plagas obligare ac reficere quam primum velis.

B Tu vero, peccator, qui sic te ipse abjicis atque prosternis, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem putes interesse, contremisce ab judicii severitate, quae te misere perdet. Nihil est, crede, quod effugium tibi valeat suppeditare, praeter poenitentiam, & jejunia, quae duae res ad Dei optimi maximi furorem sedandum plurimum possunt; in his enim ipse delectari solet, ac conquiescere. Nulla er-

C go interjecta mora, saluberrimo hocce remedio utere, ne ultionis dies te incautum aggrediatur.

Ne sinas, Domine, ut mea impellente nequitia, in interitum ruam. Intolerandus enim mihi esset insolentissimi hostis sibilus, quo me, ob partam victoriam inflatus, merito exploderet traduceretque. Mei custos sis & Servator, ne callidus ille furtim se insinuet, & corrupte-

D larum me illecebris implicet. Meam voluntatem guberna & moderare, ut tuis praeceptis obtemperet, & in tua gratia constantissime perseveret.

Absit, Domine, ut ex hac luce in ipso flagitiorum aestu discedam. Si usque adeo Peccatricem in scelere sum imitatus, eandem & in poenitentia imitabor. Tauros aut agnos, haedos, turtures, aut co-

E lumbas tibi non offeram, quin potius totus abibo in lacrymas; hoc enim tibi magis arridet munus. Tu vero, qui natura ad beneficentiam propensus es, me tuum ad ovile redeuntem amplectere, & in gratiam tuam restitue mea mihi vita cariorem.

Age, Noë, probitatis justitiaeque ornamentum, atque decus, dic, amabo, quî maximus Dei furor leniri potest &

F mitigari? Caritas atque humilitas (sic enim is me alloqui videbatur) ad iratum numen flectendum plurimum habent roboris, nec satius quicquam aut efficacius potest excogitari. Haec ille; quae statim ac ad Ecclesiam perferuntur, nulla interjecta mora, ad Altare proficiscitur: thuribulum corripit, & iterata thuris oblatione supplex a Deo poscit, ut suis filiis clementissime ignoscat, eximiamque caritatis atque humilitatis virtutem concedat.

Tibi, Domine, una cum ſuavitatis odore beatiſſimae Virginis Mariae merita offerimus. Accipe ergo mira, qua praeditus es, comitate, exigua illa, quae ad Altare tuae majeſtatis cultores ſacrificia detulerunt. Tuo gregi, qui infinito Crucis pretio comparatus eſt, gratiam & indulgentiam impertire. Sit, oro, ſacrificium noſtrum aegrotis ſalutaris medicina, ſit iis, qui aerumnis conflictantur levamen, ſit demum peccatorum remiſſio ac venia expectata jampridem & exoptata ſemper a nobis omnibus.

PARAENESIS LXII.

EXimiis, Jeſu Chriſte, omni praedicatione cultuque digniſſime, laudibus ac praeconiis exornetur maxima facilitas, & humanitas tua; tu enim noſter es Deus & Rex, ac humanae ſalutis auctor & conſervator, in quo ſpes fidelium omnes ſunt conſtitutae. Te caeleſtes cives, ac terreſtres incolae jugiter venerantur, & gratias, quas poſſunt, maximas tibi agunt, eo quia quum natura inviſibilis eſſes, vix temporis plenitudo advenit, ſub humanitatis involucris, quaſi levi nube obductum, te conſpiciendum praebueris, & infinita tua caritate perditum genus in priſtinum reſtitueris, ipſiuſque ſaluti opportuniſſime proſpexeris. Quandiu itaque in terra commoratus es, pertranſiiſti benefaciendo, & ſanando omnes diuturnis morbis confectos. Peccatores ad ſalutem reſtituiſti, & quum ſinguli eſſemus mortui peccatis, convivificaſti nos, ut eſſemus in te nova creatura novumque figmentum.

Epheſ. 2. 5. II. Cor. 5. 17.

Eccleſiam praeterea in terris aedificaſti, quae triumphantis illius ſimilitudinem gerit; cujus quidem fundamenta caritate ſuadente ſubſtruxiſti, & gratia praeſide perfeciſti. Ipſam quoque tibi deſponſaſti, tuoque Sanguinis pretio tui juris feciſti. At quoniam audaciſſimus hominum adverſarius, ejuſque ſatellites & adminiſtri tam praeclaram molem proſternere obnituntur; iccirco tuo, Domine, praeſidio eam tuere, ne portae Inferi adverſus ipſam praevaleant, ne inſita illi pulchritudo depereat, ne denique ipſius theſauri omni divitiarum genere referti deficiant, & penitus exhauriantur. Quod Apoſtolorum Principi Petro pollicitus es, adimple, Domine; id autem te praeſtare noverimus, ſi tuum hocce aedificium circumquaque munieris atque obvallaveris. Tuam, quaeſo, benedictionem illis impertire, qui ejus conſtructioni operam ſuam ad-

A [illegible] B [illegible]

[illegible]

[illegible] C [illegible] D [illegible] E [illegible] F [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A adjunxerunt. Omnes quotquot in hujusce gremio aluntur, te providum conservatorem sentiant; Sacerdotes Altarium ministerio deditos absterge, et si qui ad ipsam perturbandam parati fuerint, eorum insania tuae potentiae magnitudine comprimatur. His ita dispositis superest, ut perfectam Ecclesiae tranquillitatem impertiaris, & dissensionum zizania, quae inimicus homo solet in medio tritici superseminare, radicitus evellas, ac uno B verbo ita sponsam tibi carissimam complectaris, ut ejus filii terrena despiciant omnia, & aeterna ac vera bona unice concupiscant.

PARAENESIS LXIII.

Benignitatem laudemus Dei nostri, qui singulari caritate ductus filiis hominum C gloriam suam manifestavit. Quum enim ex luto corpus ratione carens efformasset, eidem animam Divinitatis participem copulavit; tum copiam fecit, ut terrena hominum ora ipsum profitentia, laudes ejus ubique gentium praedicarent.

Quae igitur desidia nostra est, mortales ratione praediti? Ad Dominum modo accedamus, ne morte praeoccupati, D divinis jejuni laudibus ex hac vita demigremus. Per longa noctis silentia mortis horrorem studiose perpendamus, quia hujusmodi meditatione silentium terrenis solicitudinibus imponente, nullum plane momentum divinis laudibus vacuum praetermittemus.

Quid? Num Justi, quorum animus facillime evolavit in morte tamquam e E custodia vinculisque corporis, Domino non vivunt, postquam nocturnas vigilias in piis meditationibus traduxerunt? Reprobi vero, qui divinae gloriae nullam grati animi significationem exhibent, non erunt ut mortui censendi, etiamsi ab hominibus in viventium numero collocentur?

Eja, fratres, voces nostras ad psalmos, divinasque laudes psallendas exci- F temus, ut comites efficiamur Virginum illarum, quarum prudentiam divinus sponsus magnopere commendavit. Vigilemus in piis precibus, ut in illa advenientis sponsi nocte clarissima ipsius luce fruamur. Satis jam otio voluptatibusque viximus; quamobrem consilium mutemus, & unde stulte discessimus, revertamur, ut Dei maximi gloriam in illo manifestationis dominicae die feliciter conspiciamus.

Insomnes traducamus noctes, veniet enim

enim quamprimum mors, quae nos ex hoc feculo abducet. Tunc temporis reprobi perpetuis addicentur cruciatibus, & iisdem clementiae oftium occludetur. Quorum in numero ne inveniamur, die retributionis appropinquante, ftudia noftra omnia accurate in piis operibus impendamus.

Illud affidue meditemur, quod corpora Sanctorum, qui in orationibus operam fuam confumferunt, quum fiet operum compenfatio, in aera evehentur, falutifque fuae Reparatoris praefentiam minime erubefcentes, in Paradifi gaudia effufo finu ab Angelis excipientur, qui de ipforum felicitate mirifice gratulabuntur.

Interea dum fuperftites fumus illius mifericordiae gloriam tribuamus, qui noftrum effinxit corpus, ut fuam nobifcum gloriam communicaret, quique obfcuriffimum mortalium genus caeleftium fpirituum ordinibus confociavit, ut non tam voce, quam animo toti perpetuo effemus in divinis laudibus occupati.

PARAENESIS LXIV.

Surgite in matutinis, Ecclefiae filii cariffimi, & Deum optimum collaudantes tanta reverentia profequiminor, quanta in hominem cadere poteft maxima. Valde enim convenit, ut nos infinitam ipfius bonitatem ubique profiteamur, quia cuncta Caeli luminaria ita in ordinem redegit & compofuit, ut eorum quaeque immutabilibus ab ortu ad occafum fpatiis commearent. Hinc eft, quod fuperinductum in orbe atrum tenebrarum velamen jam disjectum diffipatumque apparet, & prima diei lux longe lateque in omnes mundi regiones effunditur, ut dormientes omnes excitet. Feliciter autem excitabimur, fi tuus, Domine, fplendor noftras mentes illuminet, ut tuam providentiam pfalmis hymnifque jugiter celebremus, atque ex ejufdem inexhaufto aerario animæ noftræ opes colligant fempiternas. Deus optime, quemadmodum nos nocturnis e tenebris extraxifti, ita ab Inferni poenis eripito: pietas tua, cujus infinita funt monumenta, nobis neceffaria fubfidia fuppeditet, quoniam fpes omnes in te pofitas habuimus: clementia tua, quæ dierum ac temporum viciffitudines moderatur, noftræ caufæ defenfionem fufcipiat: gratia tua nos comitetur, ut per ipfam ad perenne beatitudinis gaudium perveniamus: tuarum dextera mifericordiarum nos fofpitet, ut a fempiternis ignibus

[illegible]

A ignibus evadamus: ne velis, oro, aequiſſime Judex, ad juſtitiae tuae trutinam perpendere acta mea, quinimo ſis mihi ſervator meus in multitudine miſericordiae tuae, ne a beatae vitae portu rejiciar. Quum in igne judicium facies, tuo me, quaeſo, irriga rore, ſicut olim pueros in fornace Babylonica irrigaſti: quum inextinguibiles flammae adverſus reprobos infremuerint, tum me, Domine, electorum tuorum numero adjunge. B Tuam, Piiſſime, efflagitamus clementiam, ut, quo ſoles vulneribus mederi pharmaco, illud adhibeas ad noſtrae infirmitatis ſanandu ulcera, ut in juſtorum tuorum Abraham, Iſaac, & Jacob ordinem adſciti, vera illa bona conſequamur, quae ſola ſunt hoc nomine nuncupanda. Corpus & Sanguis tuus mihi in comites adjungantur, C ne Gehennae ardoribus comburar. Crux tua nobis omnibus praeſidio ſit, quo periculoſam Inferni voraginem trajiciamus. En tuus iſte fidelium coetus te, Domine, ſupplex rogat, ut quum judex adveneris ſuaviſſima hac illum voce, *Venite benedicti Patris mei*, ad perpetua Paradiſi gaudia invites. Nunc autem Caelum, & terra, quaeque ipſorum ſpatium implent nobiſcum tibi gratias quam maximas D de noſtro ad bonam frugem reditu agant, teque cum Patre & Spiritu ſancto toto animo, parique obſervantia venerentur.

Matth. 25. 34.

[illegible]

PARAENESIS LXV.

[illegible]

IN omnibus, Domine, veſperis ſempiterna a filiis hominum tribuantur praeconia, E quod diem iiſdem dederis, ut ad opus artemque ſuam incumbentes neceſſaria ad vitam ſuſtentandam lucra ſibi compararent. Tuis etiam laudibus indulgeant quicumque diurnis perfuncti laboribus requie indigent, quoniam eorum laſſitudinem nocturna temperat relaxatio.

Ecquis eſt adeo excors, ut poſtquam tot tuae providentiae, liberalitatis, munificentiaeque argumenta percepit, nullam F tibi velit officii ſignificationem exhibere? Tu hominum felicitati vigilantiſſimus tempora Caelique luminaria ita ordinate diſpoſuiſti, ut nox diei ſuccederet, qua adveniente, illorum cupiditatem corriperes, qui nunquam ſuorum fratrum ſudoribus ſaturantur. Quocirca providentiſſimo conſilio factum a te eſt, ut operarii fame, ſiti, oneribuſque jam pene fracti, Sole in occaſum ruente, ab opere ceſſent, atque ita reſpirare tandem incipiant.

Veſper-

Veſpertinum ecce adeſt tempus, quod mundo eſt agricoliſque fauſtiſſimus auſpicatiſſimuſque. At rapaciſſimis illis, quorum nec expletur nec ſatiatur immoderata rei alienae cupiditas, vix dici poteſt, quam ingratus accidat ac moleſtus. Et quoniam, ut mox ajebam, aegre ferunt, ut operarii ſarcinam deponant, ideo fit, ut integer ſolidusque dies ſibi nimium celeriter effluxiſſe videatur.

Summis eſt honoribus praedicandus Deus, qui hactenus ab orbe condito genus humanum ſuſtentans, curavit, ratos certoſque limites veſperi circumſcribendos, ut ſeſe tum homines, tum muta etiam animantia quieti ac ſomno traderent.

Jam vero tot tantiſque beneficiis hoc etiam adde, Domine Jeſu, ut ſicuti Eccleſiam tuam indelebili inauguraſti ſigno, ejuſque filios a Daemonum tyrannide vindicaſti, ita Crux tua ſit nobis trajectus, qui gregem tuum ſalutari tuo Sanguine redemtum ſuſtineat, ac tueatur; Mundus etiam univerſus pace & tranquillitate fruatur, ut per te Daemon victus proſtratuſque a nobis recedat: atque ideo omnium linguae, omnium ora, omneſque terrarum orbis regiones tuam gloriam celebrent, & nos cum ipſorum laudibus noſtras conjungentes, Te, Patremque tuum, & Spiritum ſanctum ſtudiis omnibus praedicemus.

[illegible]

PARAENESIS LXVI.

SUſcipe, Domine, quas fundimus, preces, & votis, quae tibi offerimus, clementer annue, quodque miniſterium tibi impendimus, benigne admittito: tum accende noſtros caritate animos, mentemque elargire, quae aequabiliter adverſos afflictationum caſus toleret, & patienter ſuſtineat.

Item nobis impertire, ut tuam confitentes majeſtatem, in fide nunquam nutemus, laudeſque tuas hymnis & canticis proſequamur; & quoniam inſomnes tranſegimus noctes, laboreſque exantlavimus, clementia tua noſtra debita expungat.

Ne ſinas, Domine, ut quorum animi tuarum laudum praecones exſtiterunt, & linguae tua encomia celebrarunt, ii acerbis in Inferno clamoribus conquerantur, illud ſibi fruſtra abs te oblatum, ut tuis laudibus indulgerent.

Ne, quaeſo, patiare, ut oculi, qui inſomnes ac vigiles exegere noctes, pedes, qui in miniſterio tuo laborem & operam conſumſerunt, fruſtrentur a beatae

[illegible]

tae spe vitae, & pereat eorum merces ac praemium in die retributionis.

Ne permittas, Domine, ut sempiternis fletibus & ululatibus contabescat os nostrum, postquam in psalmis & in citharis tuas laudes celebravit: imo misericordia, pietas, & gratia tua vigilias nostras habeat & gratas & acceptas.

Te, quaesumus, Salvator optime, ut nos dignos efficias, qui puro illibatoque corde stemus coram Majestate tua, ut Te Patremque tuum & Spiritum sanctum aeternis laudum praeconiis efferamus. Amen.

PARAENESIS LXVII.

O Anima, quum vitiis usque adeo diffluxeris, surge tandem, & diuturnum errorem poenitendo corrige; fieri enim potest, ut supremi Regis majestas tot sceleribus violata tuis suspiriis emolliatur. Quum tua flagitia inanibus tegumentis usque adeo simulaveris, modo oportet, ut non labiis tenus, sed ex intimis tuae conscientiae visceribus ipsorum turpitudinem depromas. Postquam vero te ream esse compereris, funde uberem lacrymarum vim coram Judice, quem intolerandis injuriis incessisti. Poenas ab immortali Deo atrocissimas tuae temeritati constitutas esse persaepe cogita; ideoque vocibus tristitiam praeseferentibus clementiae Patrem obtestare, ut te vulneribus confossam ac pene prostratam velit ad salutem incolumitatemque traducere.

Eheu, infelix anima, quantam tibi cladem intulisti? Tu, quum naturae excellentia par Angelis esses, & ejusdem socia dignitatis, tuas omnes cogitationes in voluptatum ac libidinum sordes abjecisti, quin tibi hinc evadendi rationem aliquando proponeres.

Quia jacta virtutis semina, vix dum ad frugem coeperant efflorescere, spinosa germina suffocarunt, iccirco nullum honestatis fructum attulisti.

Tuae te cupiditatis aestus huc illuc jactarunt, veluti cymbam, quam remigio prorsus carentem concitata turbinum rabies, vehementesque fluctuum impetus ad naufragium misere compulerunt.

Mirum plane mihi videri solet, ultionis diem e tua mente tam longe recessisse, neque unquam serio cogitasse, qua potissimum ratione adventantem sponsum exciperes, quum omni lumine orbata, funesta tenebrarum caligine obruaris.

Ne, quaeso, tua ista torpedine segnitieque velis plane languescere. Surge potius,

tius, & dum facilis tibi ad lenitatem aditus aperitur, laetitiae oleum quamprimum sume, & cum impudica illa foemina, cujus vitae emendatio in sacro Evangeliorum Codice tantopere commendatur, tuorum scelerum veniam iteratis singultibus flagita.

Ingredere igitur hilari laetoque animo sacrosanctum poenitentiae vestibulum, cujus fores excludere solent neminem. Quod si feceris, ea tibi dolor bona restituet, quae consuetudo vitiosa detraxerat.

Ac ne diutius emendationem protrahas, hujusmodi ad Caelum conversa deprecationibus utere: te, dulcissime Jesu, ex quo omne datum optimum, & omne donum perfectum profluit, totis, quibus valeo viribus, oro obtestorque, ut ad te redeuntes animas benignitate complecti, nec non susceptam ab iis poenitentiam ratam in extremo judicio acceptamque habere velis. Mihi vero opis maxime indigenti propitius sis, obsecro, in calamitosissimo retributionis die, quum omnes animas, quotquot per te ab interitu ereptae, & ad poenitentiam pertractae sunt, in gratiis tibi referendis studiosissimas fore video, planeque sentio.

PARAENESIS LXVIII.

I.Tim.6.16. I.Pet.3.22. Tit. 2. 14. Es.52.21.

Summus rerum Dominator, qui lucem inhabitat inaccessibilem, vocavit nos ad Agni nuptias, ut vitae aeternae haeredes efficeremur. Ipse mundavit sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, ut ferret vasa Domini, & magnificum ejus nomen in gentibus annunciaret.

Quae quoties soleo mecum tacite contemplari, in eam toties spem adducor, ut tu, Unigenite Fili Dei, qui amictus fortitudine, velut gigas hanc terrarum molem ad tui gloriam condidisti, impurissima labia, vocemque meam tua suavitate ad canendum componas, unde in hac mortali luce tuae gratiae praeconia celebrare assuescam, & tuae gloriae praestantiam digniori carmine in Caelo persequi valeam.

Jesu sponse luminis, & vitae Auctor beneficentissime, miseros te invocantes benignitate recrea, & quum divitiarum tuarum infinitus sit thesaurus, egestati nostrae humaniter consule, ut tuis opibus ornati in amplissimum Beatorum coetum cooptemur.

Tu providentissimus ille Paterfamilias

A lias es, qui parem persolvisti mercedem tam novissimis, qui una hora laborarunt, quam primis, qui portarunt pondus diei & aestus. Primo siquidem mane egressus conducere operarios in vineam tuam, circa horam tertiam Prophetas vocasti, quos dedisti in lucem gentium, ut essent salus tua usque ad extremum terrae. Denuo ad horam sextam justos e tenebris in admirabile tuum lumen pertraxisti. Ad nonam B Apostolos invitasti, quos lucis arma indutos ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem tui Corporis addixisti. Undecima demum Latronem evocasti, cui sub ipsis interitus faucibus beatitudine luculentis verbis promissa, Paradisi fores, quas Adam obstruxerat, subeundi potestatem dedisti: & sic factum est, ut ille mortalium parens, qui C tamdiu vagus atque exul oberraverat, in patriam multo feliciorem restitueretur.

Mat.20.12. *Es. 49. 6.* *1. Pet. 2.9.* *Rom.13.12.* *Ephes.4.12.*

Tibi perenne decus tribuatur, clementissime Jesu, qui tuam, quam gerimus imaginem propria turpitudine depravatam emendavisti, quique nostrorum scelerum pondus sustinens, tuum pro nobis Sanguinem effudisti. Ne sinas, quaesumus, ut non tam nostro vitio, quam D malo Daemonis dolo in fraudem inducti funditus pereamus.

PARAENESIS LXIX.

Quae jampridem in nefaria peccandi consuetudine consenuisti, Anima, quousque tandem abutere patientia divina? Heu desere aliquando ignominiosum E istud vitae genus, muta istam mentem, & lacrymis ac poenitentia opportunam praepara vulneribus medicinam. Tuam ex abditis conscientiae latibulis improbitatem profer, & ad misericordiae Parentem confuge; ipsum enim afflictae tuae res facile ad lenitatem allicient.

Humanarum specierum cupiditas, qua tantopere conflagrasti, tibi ingenitam formae praestantiam ademit; corruptela, dis- F solutio & impudens licentia, tuos adeo mores depravavit, ut Spiritus sancti templum quum antea fores, nunc scelerum omnium sentina evasisse videaris.

Vae tibi infelicissima, quae nihil usque adeo egisti, nihil molita es, quod vanitem, libidinem, malitiam non redoleret! Oculos jam converte ad formidandum illum ignem, cujus tu pabulum futura es; & dum ex illius incendii contemplatione timoris argumentum sumis, disce lauda-

biliorem tibi vitae rationem constituere.

Tua flagitia, quo plus aetatis accessit, eo ulterius progressa sunt, adeo ut in senectute eorum numerus incredibiliter auctus, te in summam rerum desperationem adduxerit. Quae quidem desperatio in caussa fuit, cur te non tantum a ratione, verum etiam a poenitentia aversam prorsus atque alienam praeberes.

Cogita, dum adhuc licet, quantas hominibus clades voluptas intulerit, cujus potestati te turpiter subdidisti. Cogita inauditam Dei bonitatem, qui eo majora tibi praestitit caritatis officia, quo te deteriorem fieri animadvertit. Cogita funestissimum illum diem ad tuam perfidiam publice patefaciendam divinitus praefinitum. Quis tunc temporis tibi patronus aderit, quum nullus ex universo circumstantium coetu futurus sit, qui te ream non arguat?

Tunc enimvero depravati animi tui impetus, velut lancea erumpentes te tanquam signum ad sagittam constituent, luctuque ac moerore afficient, cujus nullus est futurus exitus, aut consolatio. Igitur hisce Jesum verbis deprecare: tu Reparator optime, in cujus benignitate mea spes omnis nititur, miserere animae, quam redemisti. Ovis ego illa sum, quae mea insania te pastorem deserui. Nihil boni, nihil sinceri mihi superest, quicquid a te acceperam, totum libidines dissipaverunt. Exurge, obsecro, in occursum animae, quae in pristinum reverti, jam apud se proposuit. Si indigna prorsus est, ut aliqua dolori suo venia tribuatur, effice, Domine, ut hanc infinito tuae Crucis merito consequatur.

PARAENESIS LXX.

JEsu Parens optime, & Rex omni cultu dignissime, qui passione tua mortis vincula confregisti, quique nobis vitam omni prorsus gaudio redundantem in caelesti regno asseruisti, nostram, obsecro, improbitatem dele, quae viam nobis ad aeternam beatitudinem potest unice obstruere, & clementiae lucem in hisce terrarum sedibus diffunde, ubi tristitia, dolor, calamitas suum hactenus domicilium collocaverunt. Hinc plane fiet, ut quum judicii dies eluxerit, tibi obviam laeti prodeuntes humaniter excipiamur.

Memores quantis nos tua gratia muneribus ornaverit, quanta fragilitati nostrae commoda detulerit, & quam constanter

[illegible]

A ſtanter eximius tuus amor noſtris mentibus adhaeſerit, non poſſumus, quin ſempiterna beneficiorum memoria tibi maxime obſtrictos profiteamur.

Interim vero ab immenſa tua caritate id nobis expetendum ſupereſt, ut praeteritas injurias, quibus te incredibili audacia laceſſere auſi ſumus, voluntaria velis oblivione delere, gratum enim pro tam ſingulari munere tibi animum polli- B cemur.

Largire, obſecro, ut oculi, qui tuorum geſtorum magnitudinem modo vident, tuae humanitatis excellentiam in perpetua gloria conſpiciant: aures, quae tuis vocibus, ac monitis patuerunt, ne quaeſo, horrendo tubae ſonitu obterantur: ora, quae tuis laudibus in Eccleſia perſonuerunt, digna effice, ut te frequen- C tiſſime celebrare aſſueſcant: linguas, quae te ſanctiſſimum profeſſae ſunt, ad tua praeconia compone: manus, quae ſacroſanctum tuum Corpus perſaepe tractarunt, ab impuritate, qua ſordeſcunt, tuo Sanguine abſterge: pedes, qui tuis in templis verſari conſueverunt, dirige, ut ad beatorum regionem expeditiſſime gradiantur. Huic demum coetui univerſo, qui te ſupremum numen obſequenter adorat, D tua auxilia uberrime impertire, & dulcis ille amor, quo hactenus nos mirifice complexus es, non modo confirmetur, ſed & in dies magis atque magis augeatur.

Pateant nobis tuae clementiae fores, ut miniſterium noſtrum ad te ingrediatur; illa tua in nos miſericordia effulgeat, quae occurrere ſolet ſupplicibus nulla E oratione evocata; ea videlicet opitulante noſtra omnia crimina expiabuntur. Quod ſi praeſtiteris, pro certo habe, omnem nos operam in hoc unum collaturos, ut tua ac totius Trinitatis dignitas, & amplitudo in omnium animis vigeat, & eluceſcat.

[illegible]

PARAENESIS LXXI.

F Clementiſſime Domine, tuas laudes loquatur os noſtrum, quoniam egregia tua virtute, hoſtem, qui omni prorſus momento noſtram infirmitatem adoritur, victum proſtratumque conſpiciamus.

Abſconditus es, Domine, in eſſentia tua, quae licet a creatarum rerum imbecillitate attingi nequeat, tamen in ea mortalium ſpes omnis poſita eſt & defixa, quum nullus iis patronus adſit, qui eorum incommodis tam liberaliter, tamque oppor-

opportune prospiciat. Mentem igitur noxiis cupiditatibus exue, ne vaferrimus hostis subdole sese insinuans, ipsam possit insidiis circumvenire.

Id nobis largire, ut qui hospites terram peragramus, nostrae peregrinationis cursum in tua voluntate conficiamus; quod quidem nobis e sententia accidet, si tuae caritatis subsidio nos foveas, & ab adversariorum insolentia acerrime tuearis. Induat per te, obsecro, genus nostrum armaturam fidei, ut quodam veluti inexpugnabili scuto probe instructum proditorem valeat superare.

Ex quo mens nostra hujusce seculi delicias expetivit, vitiata prorsus est, ac turpiter depravata. Tua iccirco gratia pristinam illi virtutem restitue, ut ad meliorem frugem redacta fructus virtutis atque honestatis exquisitissimos afferat. Nae ille beatus jure optimo censendus est, qui pro diuturnis beneficiis sibi divinitus collatis, gratias quas potest maximas referre studet.

Breves admodum sunt nostrae peregrinationis dies, neque ad tuam gloriam pro dignitate celebrandam sufficiunt. Divinitatis tuae praestantia omnem dicendi vim, atque copiam quam longissime superat, nec a Mundi sapientibus percipi aut investigari potest. Illud autem maxime mirum est, quod quamvis laudis & praeconii voces ab unoquoque nostrum illi debeantur, non ea tamen est, ut hominum injuriis lacessita excandescere possit, aut perturbari.

Hanc porro divinitatem, quae, ut modo ajebam, sub hominum sensum cadere nequit, pro nostrarum virium tenuitate praedicare obnitamur, & adorandum potius, quam temere perscrutandum Trinitatis mysterium obsequentissime veneremur.

At tu, Deus optime, nostra tibi ut officia gratiora sint, peccandi consuetudinem, in qua prope occalluimus, penitus reseca, & tua nos caritate accende, qua inflammati aeterna tibi laudis munera offeramus.

Tuae sanctitatis imaginem nostris cordibus infige, qua praeside, a noxiis omnibus eluantur. Tu nostri pectoris excubias age; tu effraenatae cupiditatis impetus comprime, & qui nullis animi motibus obnoxius es, nostram fragilitatem robora: tu nobis, & toti terrarum orbi in summo discrimine posito pacem atque otium impertire; & nostrum erit eo esse in te animo, ut in tuo amore, & gratiarum actione firmiter perseveremus.

PA-

[illegible]

PARAENESIS LXXI.

Quum tu, Domine, sapientissimus ille rerum omnium opifex sis, qui mortales e nihilo condidisti, ac proptetea lucem, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, tuae bonitati, clementiae, largitati referendum esse profiteamur, hoc nos potissimum in votis habemus, ut eam, qua hucusque in nos usus es, beneficentiam nobis deinceps etiam exhibere velis.

Primum hominum parentem Adamum ad tui gloriam procreasti. Is vero, quum tua jura temere violare ausus esset, praeterquamquod ab justitia, sanctitate, innocentia, in quibus constitutus fuerat, decidit, seipsum quoque omnesque posteros mortis legibus obstrinxit.

Porro ignominiam illam, qua summo cum dedecore notatus fuit, a vetiti fructus esu profecta est. Exinde vero infelicissima hominum natura tota coepit in pessum ferri, & squalore situque obsita, libertatem in servitutem, dignitatemque in labem atque infamiam commutavit; eo vel maxime, quod formidolosissimus serpens non minorem in homine decipiendo fallaciam, quam in accusando severitatem praesetulit.

Adam in ipsa sui creatione eximio decore, ac singulari elegantia enitebat, quam improbum illud monstrum quum in hominum genere patienter ferre non posset, Evam aggressus decepit, fefellit, in fraudem induxit, effecitque, ut primi illi terrarum incolae, qui erant ad imperium nati, mox ob extremam inopiam infelicissimis arborum frondibus propriam nuditatem tegere cogerentur. Tantae vero calamitati illud etiam accessit, quod haec nempe omnia tam brevi tempore gesta sunt, ut jure asserendum videatur, utrumque vix in lucem editum e patria pulsum esse atque dejectum.

Munificentissimus rerum Dominus communi omnium progenitori una cum lucis beneficio Sacerdotium, Pontificatum, Regnumque detulit. De hoc solummodo monitum cautumque voluit: *Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiae boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.* Hoc sane aequissimum praeceptum Adam, suadente Daemone, dicto citius detrectavit: quandoquidem ex vetita arbore decerptum pomum comedit. Quo absoluto facinore, se deliquisse animadver-

Genes. 2. 16. 17.

vertens, expavit, & nudum se esse perspiciens, latibula territus quaeritabat. Deus autem, cujus oculis nuda & aperta sunt omnia, *ad auram*, ut sacrae literae disertissimis verbis enunciant, *post meridiem deambulans vocavit Adam, dixitque ei: ubi es?* Ille voce ad miserabilem sonum inflexa, subdidit: *Audivi vocem tuam & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me; mulier enim, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Ecce enim (sic tacitus secum animo volvisse credibile est) omni prorsus ornamento exutus sum, triste posteris opprobrii monumentum futurus. Tuam, Domine, imploro clementiam, ut ad beatam illam terram, unde tam inhoneste depulsus sum, cum honore revertar, & quam omni posteritati peccando jacturam intuli, poenitentia, lacrymis, aegritudine mihi per te liceat emendare.

Hebr.4.13. Gen.4.8. Ibid.

PARAENESIS LXXIII.

PER *unum hominem*, ut sacrae literae perspicue testantur, *peccatum intravit in mundum*. Quum vero sit peccati stipendium mors, quid mirum si Adae praevaricationem mors consequuta sit, quae in omnes homines pertransiens, iisdem exitum nunquam satis deplorandum attulerit? Ex quo progenitor ille locum Diabolo dedit, ejusque fraudibus sese circumveniri passus est, eo mendicitatis nuditatisque devenit, ut nihil illo calamitosius, nihil egentius fingi, aut excogitari potuerit.

Reliqua, quae huc revocari possent, missa faciens, pauca de Dominici adventus die cursim ac veluti per transennam memorabo. Hunc porro celerem non minus, quam inopinatum fore apertissimis hisce verbis notatum deprehenditur: *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit & adventus Filii hominis*. Quod autem improvisus futurus sit infinitis propemodum sacrarum literarum testimoniis evincitur, quibus, Christum Jesum clam, aut tamquam furem in nocte venturum admonemur.

At quoniam supremo Dei judicio decretum est, ut in adventu summi Regis mortale hoc induat immortalitatem, ideo omnes, qui in monumento sunt resurgent incorrupti, gratias agentes Deo Patri, atque Unigenito Filio ejus, cujus virtute absorpta est mors in victoria.

Quae quum ita sese habeant, te, pie Jesu, magnopere quaeso, ut perditos tuorum fidelium animos recreare velis suavissimis

Rom.5.12. Matth.24. 27. I.Thess.5.2. Corint.15. 53. Os.12.14.

[illegible]

A simis illis vocibus : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* (Matth. 25.)

At proh miseram hominum conditionem, quorum mores dum ad disciplinae normam perpendo, tantam in iis corruptelam, depravationem, insaniam comperio, ut ipsi non ad beatitudinis solatium, sed ad Inferorum supplicia nati esse videantur! Quapropter mirari desino, B si mors iisdem tam acriter insultat, & tantum terroris affert, ut nihil supra.

Tu, Domine, qui mortis habes potestatem, tuos famulos ex impurissimis illius faucibus eripe. (Sap. 16,13.) Salutiferum Crucis vexillum ad aeternitatem omnes comitetur, ut tua spe freti placide ex hac vita decedant. Illud vero memorandum tui amoris pignus, tuum scilicet Corpus & C Sanguis, quo toties refecti sunt, in ipso mortis articulo ita fulciat, ut te duce in tuto positi, singulare tibi Patrique tuo & Spiritui sancto studium gratumque animum profiteantur.

PARAENESIS LXXIV.

[illegible]

Domine Jesu Christe, cujus est proprium supplicationibus precibusque D benigne annuere, id nobis praesta, ut quae per te Patri tuo obtulimus vota, hujusmodi referre compendia possint, quae precantium exigunt necessitates.

Quoniam tu in victimam electam pro Mundi reparatione immolatus fuisti, tuam efflagitamus opem, ut nostras velis apud Genitorem tuum delere maculas, & vulneribus, quae nobis inflixit Daemon, opportune mederi. E

Quia Adam vetitum in Paradiso comedit fructum, tu in Praetorio columnam complexus es; & quandoquidem immania ejusdem filii scelera perpetrarunt, tu diris Judaeorum flagellis & cruciatibus occurristi, ut nobis afferres omnibus securitatem, gratiam, & tranquillitatem.

Tuam igitur, Domine, clementiam F imploramus, ut quae nostri libertas arbitrii contraxit conflavitque debita compenses atque dimittas. Quemadmodum sacrosancto sanguinis tui pretio nos ab legis maledicto vindicavisti, ita tuis nos exemtos doloribus ab justitia tua severissima criminum vindice nunc eripito.

Absit, Domine clementissime, ut hominum protervia labefactare queat misericordiae tuae immensitatem, quia licet gravia sint nostra flagitia, tamen omnem ultra

tra modum ac limitem extenditur pietas & clementia tua.

Multa sunt, fateor, quae gessimus delicta, sed eorum multitudinem misericordiae tuae in infinitum superant; & quo major justitia tua suis librata ponderibus apparet, eo minor malitia nostra tuae comparata misericordiae videtur esse.

Quid? Num quisquam erit, qui pietatem tuam nostris cum sceleribus conferre audeat? Quisnam est, qui non intelligat montes expendi posse, misericordias autem tuas omnia excedere pondera, ac mensuras?

Praestantior siquidem clementia est tua, quam quo utimur ad spirandum aere; hic enim praestitutum attingit terminum, illa vero principio ac fine carens, nullis omnino finibus continetur; quamobrem eam etiam atque etiam rogamus, ut optatissimam nostris incommodis, malis, atque vulneribus consolationem afferat & salutem.

Nullus dubito, Domine, quin meis sceleribus tuam lacessiverim majestatem, quae quidem, quantum ab ira & indignatione abhorreat, nemo potest dicendo consequi, quia scilicet misericordia redundat maxima. Quapropter mira ejus serenitas nullis unquam nebulis perturbatur, veluti Sol, qui licet radios in terram immittat, ex ejus tamen sordibus nullum accipit detrimentum.

Benignitas tua, Domine, immensum est pelagus, quod nullis omnino spatiis circumscribitur; nostra vero flagitia quantacumque sint, quae certe sunt maxima, illius vastissimum purissimumque sinum nulla prorsus ratione exhaurire possunt. Et qui fiat, Domine, ut homulorum sordes clementiae tuae magnitudinem superent, quum Propheta apertis plane verbis testatum reliquerit, *Omnes gentes quasi stillam situlae reputatas esse coram oculis tuis*? (Is. 40. 15.)

Enimvero quum adhuc nobiscum versarere, nemo te perturbatum vidit; quum praeceptoris munus obires, nemini iratus apparuisti; nec enim mundus furorem tuum sustinere valuisset, si te pravis suis iratum moribus prospexisset.

Flagella tua sunt omni caritate referta; virgae tuae misericordiis conflatae; amor tuus denique, quos castigat, adjuvat atque sustentat. Justitiam, qua vales plurimum, in te benignitate novimus sic mirifice temperatam, ut alteram dum veremur, altera recreemur, quam esse scimus unam omnium optimam, & indigentiae

[illegible]

A tiae noſtrae iuterpretem, & eorum, quibus egemus, conciliatricem.

Non Judicis nobiſcum perſonam ſuſtines, ſed praeceptoris, qui duplici cum auditoribus ratione utitur, flagello ſcilicet, & doctrina. Aſſiduitatem, operam, diligentiam in docendo collocat, & diſcipulum multare quandoque ſolet, non quia illum odio habeat, ſed amore, cujus eſt auditoris optimam informationem ſtudiis omnibus procurare. B

In hunc plane modum, Domine, ſe nobiſcum gerit Majeſtas tua, quae nos optime, ut erudiat, & ſapientiam, & ſeveritatem exercet; utramque vero caritate temperat ſingulari, cui longanimitas & patientia comes eſt longe ſuperior noxis ac ſceleribus quamlibet inuſitatis. Itaque minime mirum eſt, te in maximis criminibus interdum connivere, aut eorum C gravitate non admodum commoveri. Tu ſcilicet naturam noſtram efformaviſti, nec eam perdere cupis, quam utique cognoveras, antequam conderes.

Quemadmodum moleſtos infantium mores ſuſtinere nemo libentius ſolet, quam quae eos in lucem emiſit, genitrix, ita mortalium procacitatem minus aegre non quiſquam patitur, quam qui eoſdem ex nihilo creavit Dominus. D

Mira porro Opifici noſtro ineſt facilitas in ſuarum creaturarum ferendis oneribus, quae ſi patienter ferre recuſaſſet, nec illas utique condidiſſet.

Qui fiat, ut Deus odiſſe poſſit, quem condidit mundum, quum nequeat mater oblivioni tradere, quem genuit filium?

Quae ſua videlicet in eſſentia inerant, E miſericordias manifeſtavit Deus, quum mundum in lucem prodidit, nec ſecus ac mater, quae ſuum edidit foetum, ipſe totum hunc orbem ſua ex voluntate pendentem videre cupit.

Quid ergo? Nunquid haec terrarum exſtructa moles, providaque ipſius conſervatio, & humanae levitatis, ac malitiae tolerantia non ſunt divinae beneficentiae F teſtes ſempiternae? Atqui teſtis materni erga liberos amoris eſt earum in iiſdem amplectendis, alendis, ſervandiſque cura ac ſolicitudo. Teſtis eſt ipſarum patientia, qua ſeſe ad puerorum ineptiam effingunt. Teſtis moderatio in puerilibus ſaepe morſibus perferendis: neque enim tot incommodis difficultatibuſque affectae, aut injuriis laceſſitae, alendae prolis curam abjiciunt; quum potius dici queat, eo majori eſſe in filios liberalitate, vigilan-

tia, ſedulitate, quo procacior ipſorum eſt inſolentia. Noſcunt enim gravi animadverſione ſe dignas fore, ſi infantulum, quo ſe vertat non habentem deſerant, eique neceſſarium ad vitam ſuſtentandam alimentum denegent.

His ita ſe habentibus ad divinam liberalitatem admirandam redeamus. Magnum profecto eſt munificentiae argumentum, ſupremum Opificem conditam hanc rerum univerſitatem tanta agrorum ubertate, fructuum varietate, florum ſuavitate exornaviſſe. Majus, Deum ipſum e Caelorum faſtigio hominum indigentiis ſublevandis intentiſſimum, iiſdem omnium rerum, quas natura deſiderat, abundantiam & copiam ſuppeditaſſe. Maximum vero, planeque admirabile, eundem nos inaudito pietatis ſacramento ad verae fidei lucem advocaſſe, & pretioſo Filii ſui Sanguine nutriviſſe.

Pergitedum, Fratres amantiſſimi, magnitudinem beneficii, quo nihil majus, aut praeſtantius fingi unquam poteſt, obſtupeſcere. Pater enim miſericordiarum Deus nullis aut precibus, aut meritis ductus noſtris, miſit Filium ſuum, ut eos, qui ſub elementis mundi erant ſervientes, ſua morte redimeret.

Galat. 4. 34.

Ecquis adeo impudens exſtitiſſet, ut Unigeniti Filii vitam a Patre poſcere non vereretur? Aut Filium de ſubeunda pro hominibus nece deprecari auderet? Res eſt in omni memoria omnino inaudita, ut Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, mortem perduellibus debitam ſubiret.

Jo. 1. 18.

Quum ergo Filio ſuo non pepercerit Deus, ſed pro nobis omnibus illum tradiderit, fierine poterit, ut ipſe ea deneget, quae cupit orantium neceſſitas impetrare?

Rom. 8. 32.

Hiſce rationum momentis permoti, Fratres cariſſimi, benignum largitorem adeamus, ejuſque miſericordiae foribus adhaerentes ipſum totis viribus obteſtemur, ut afflictis hominum rebus ſuccurrat, nec nos ſuae juſtitiae ſeveritate perterreat, quae eo facilius emollitur, quo frequentiori videt ſuas fores agmine obſideri.

Nec mirum ſane, ſi Deus hominum precibus placari ſoleat. Nam ipſius miſericordia ſi citra preces dimitteret hominibus noxas, hanc juſtitiae notam inurere videretur, ut illius homines timore poſito in infinita propemodum ſcelera prolaberentur; ſibi enim ſtolide perſuaderent, tam benevolo, tamque manſueto Judici flagella deeſſe; quare quiſquis propriae libidini

bidini obſcundaret, perinde ac ſi nullae eſſent inſipientibus poenae conſtitutae.

Ex quo ſequeretur, ut miſericordia, qua Deus nos erigit, in cauſſa eſſet, cur improbi deteriores quotidie fierent.

Quamobrem ut tantum Deus malum averteret, ſapientiſſimo conſilio miſericordiae ſociam adjunxit juſtitiam, ut quos impudentes lenitas redderet, juſtitiae metus coerceret; & quorum cervicoſam mentem virtutis amor flectere non poſſet, poenarum formido percelleret, & ad ſaniorem vitae rationem perduceret.

Haec ſi in hominum animis defixa haereant, quomodo, Parens optime, poterunt a laudibus gratiiſque tibi referendis abſtinere? Tu enim juſtitiae aſperitatem tam ſuaviter temperaſti, ut eadem tuae manſuetudinis naturam induiſſe videatur. Etenim quum ſis infinitus bonitatis theſaurus, neque ignores eam eſſe noſtrum omnium ſtupiditatem, ut ſublato poenarum metu nunquam a ſceleribus declinemus, iccirco ita nobiſcum & clementiam, & juſtitiam exerces tuam, ut vix alteram ab altera ſecernere valeamus.

Omni itaque ſtudio contendamus, Fratres, ut miſericordiam imploremus, cujus vi juſtitia novo quodam prodigio devios perditoſque mortales ad ſalutis viam adduxit.

Dei largitatem obſequentiſſime praedicemus, quae tum maxima in terris nobis beneficia confert, tum ſempiternam in Caelis dignitatem & gloriam praeparavit.

Igitur quotquot adeſtis, Fratres, regnum Dei, & ejus juſtitiam quaerite: neque enim regnum conſequi cuipiam, niſi per juſtitiam licet.

Juſtitiam colite: ad ipſam omni cum fiducia accedite, a qua ſi veſtrorum criminum veniam expetetis, eadem vacuos recedere vos non ſinet. Hanc omnium dominam & reginam virtutum, vitaeque magiſtram ampleᴄtiminor, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve.

Nunquam enim Deus graviſſimos montes juſtorum humeris impoſuit: abſit, ut rem de ipſo iſtiuſmodi ſuſpicemur.

Audite, quaeſo, quicumque ſalutis via inceditis, nihil prorſus vobiſcum ferte, quoniam Dominus rerum terrenarum ſarcinis impeditos aditu ſolet ad regna caeleſtia prohibere; propterea diſcipulos admonuit, ne peram, neque ſacculum portarent.

Quiſquis es, qui beatitudinem adſequi cupis, oportet, ut terrena omnia impedi-

pedimenta abjicias; nec enim, ſi recte ſapis, quiſquam in caelis ab ulla premitur neceſſitate, ut oporteat ſecum aliquid aſportare, quum tibi menſam exquiſitiſſimis quibuſque bonis abundantiſſimam pararit Deus, cujus ſi ſuavitatem primoribus dumtaxat labiis attigiſſes, ea tibi ſordeerent omnia, quibus abundant ii, qui vulgo in terris beati putantur.

Ergo quicumque a ponderum vinculis exemtus es, caelorum iter quamprimum ſuſcipe, & ſerio cogita, Deum ſe tibi ducem & comitem adjunxiſſe, qui convivam in aeternitate te optat ſuum.

Luc. 17. 21. Regnum Dei intra te eſt, o peccator; noli exra te cum labore inveſtigare quod in tuo pectore citra laborem poteris invenire. Reſipiſce itaque, & ad te redi, nec divitiarum amore implicitus huc illuc te rapi ſinas, neque ſtulte deperias hujus ſaeculi voluptates, in quibus nihil eſt ſtabile, nihil ſincerum; divitiis ac voluptatibus animi deſpicientiam oppone, qua carent ii, in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt.

Cave, ne inanes ac ludicrae te ſolicitudines premant:ne tumide de te ſentias & ſuperbe,ne imprudenter adames,quæ ſolis ſunt Regibus debita, ſed pro Regum divitiis manſuetudinem, juſtitiam, beneficentiam, miſericordiam, fidem, eaſque virtutes amplectere, quae & multum habent laudis in Regibus, & conſtituere te in regno poſſunt. Vide, ne quid admittas, quod non ſit inprimis honeſtum, maximeque decorum; excelſo animo magnoque deſpice quicquid mentem a virtute detorquet, una te demum probitas totum ad ſe convertat, & rapiat.

Reſipiſce, iterum dicam, & in te ipſo inhabita,hoc eſt in animo, ubi nullus ſit dedecori locus, ſi enim fuerit vacuus a vitiis animus planeque integer, in regno eris, cui nulla omnino aut ornamenta dignitatis deſunt, aut praeſidia ſtabilitatis. Ingredere igitur in intimam animi tui ſedem,ibique invenies regnum Dei, uti Evangelium egregium perhibet teſtimonium. Deus ſiquidem & regnum ejus, tamquam in ſua ſede, in caſto cujuſque animo reperitur, unde ait Chriſtus; *Regnum Dei intra vos eſt.* *Luc.* 17. 21.

Eja igitur, fratres, abjiciamus, quae nos implicitos tenent, pernicioſiſſimas hujus vitae ſolicitudines ac negotia, noſtriſque in animis regnum Dei ſedulo requiramus, neque unquam a precibus deſiſtamus, donec voti nos eſſe compotes cognoverimus. Porro ſi, quod unice optamus, regnum minime in noſtris cordibus inveniamus, tum

[Syriac text illegible]

A tum conversis ad Deum precibus exclamemus, *Pater noster, adveniat regnum tuum,* *Luc.* 11. 2. & veniet utique, si diu accurateque orationibus insistamus.

A divino bonorum omnium largitore regnum dumtaxat, & justitia enixe petenda sunt, reliqua vero omnia nobis etiam non petentibus largiter adjicientur.

B Infinitae Dei potentiae ac misericordiae injuriam facimus, si quicquam praeter regni gloriam ab eo poscimus, quum ipse apertissime in Evangelio promiserit, suum se nobis regnum ultro delaturum. Stulti sumus, & ipsis etiam canibus comparandi, dum panem solummodo aut quid ejusmodi exoptantes, nihil prorsus a Deo nisi panem, aut terrena commoda flagitamus. Alte spectare si volumus, intelli- C gemus, a Domino bona tantum caelestia studiis omnibus postulanda, quum certum exploratumque sit, cum caelestibus terrenas etiam divitias nobis larga manu impertiendas.

Aeternas igitur opes anxie conquiramus, & annonam copiosissimam impetrabimus; mensam bonis omnibus affluentem adsequi studeamus, & victus noster quotidianus augebitur; immortalium bonorum D desiderio flagremus, nec mortalia nobis unquam denegabuntur.

Non mediocri certe nota te afficeremus, Rex regum Deus, si panem a te unice posceremus, qui nobis nec poscentibus, neque id muneris cogitantibus panem Angelorum obtulisti, Corpus videlicet, & Sanguinem tuum, quo nihil suavius possunt Angeli exoptare. Panem er- E go, qui mutis etiam animantibus communis est, imbecillitati nostrae citra preces concede; votis autem nostris tui etiam regni amplitudinem impertire, donum scilicet, & majestati & largitati tuae apprime consentaneum, ut quemadmodum te Regem maxime misericordem, largum, beneficum, liberalem, quae vere sunt laudes regiae, praedicamus, ita abs te munus divina planeque regia liberalitate F dignissimum accipiamus.

Tuam ideo clementiam imploramus, ut horrendas gehennae januas a peccatorum te invocantium conspectu occludi jubeas, tum iis praesertim, quos assiduis in orationibus pervolutos vides.

Rorem clementiae tuae immitte adversus ignem nobis extrema omnia minitantem, neque sinas nos a te frustra aquae guttulam expostulare, sicut illi non ignoramus, cui sepulcrum infernus est, diviti

ti contigisse; ne permittas, quibus gloriam tuo Sanguine peperisti, eos flammarum incendiis absorberi, ubi nulla vel quietis spes est reliqua, vel salutis. Quoniam non petentibus, saepe etiam ne cogitantibus quidem, abunde nobis omnia elargiris, nostras nunc ratas effice petitiones, dum te & authorem cognoscimus omnium bonorum, utilitatumque nostrarum, & obsequio quanto possumus maximo tuam clementiam imploramus.

Tutum aperi nobis iter ad caeleste virtutis regnum, & coetum hunc, qui totus est certe tuus, utpote tuo olim Sanguine ab immanissima captivitatis tyrannide vindicatus, universum hunc, inquam, coetum ad regnum advoca, cujus quum lux, quae perfecta est, semel nobis illuxerit, tum felices, beati, ac stabiles perpetuo consistemus.

Te quaerentium animi prae gaudio exultent. Misericordiam obtineant, quicumque ejus opem exposcere consueverunt; inebrientur a domus tuae pinguedine, quotquot ad te piis precibus confugerunt, qui demum tum precationibus dediti semper fuerunt, tum mandatis tuis addicti, ii tecum omnes tuo in convivio collaetentur.

Nobis autem, qui tuum imploravimus auxilium, omnia concedantur; locupletemur in te, quia tu solus es indeficiens divitiarum thesaurus, nulli temporum vicissitudini obnoxius. Pietas tua se nobis adjutricem praebeat; fatiscentesque animi nostri vires gratia confirmet tua; salutaria item pharmaca, quae nostris medeantur cicatricibus, tuo ex thesauro suppeditentur: correptio tua, Domine clementissime, nostrum omnium nutrix fiat, dextera nos tua sublevet, ut ea ab eruditione tua lucra captemus, quae nobis plane fuerint conducibilia.

Ceteris posthabitis, te solummodo quaerimus, extra te nihil omnino petimus, quia, scilicet quisquis te quaerens invenit, cetera tecum omnia sibi abunde comparat; in te siquidem egenorum subsidium est, & tutela certissima: tu afflictorum corda mirifica laetitia perfundis, tu contritis corde utilia praebes medicamenta, moerentes demum incredibili afficis jucunditate. Tu regionum pax, tu provinciarum tranquillitas, tu frugum bonorumque omnium & abundantia es, & varietas, qui te fuerit adsequutus, nec fame, nec siti laborare unquam potest.

Nostras, clementissime, admitte preces, temetipsum nobis impertire, per te vitam

[illegible]

A vitam hauriamus; si te enim solum possidebimus, nulla jam nobis bona desiderabimus. Hujus porro mundi vanitas, nosterque in eum insanus amor nos in maximam abjectionem adduxit egestatemque, & quia ejus opes adamavimus, ideo ab illo pessumdatos nos esse cernimus. O insipientiam intolerandam! o nostri dementiam animi singularem! Siccine igitur B stulti fuimus, ut, quum impurissimus sit mundi amor, ejusque pulchritudo vanitas, tamen praeclare ab eo nobiscum actum esse judicaverimus, quod suos nos habuerit amatores?

Domine Jesu, qui caeco lucem reddidisti, pristinam nobis non tam arbitrii vim, quam mentis aciem restitue, ut caduca hujusce seculi blandimenta, prout sunt in se, perpendentes, ab illis semper C abhorreamus: obstinatae animi nostri aures, doctrinam tuam sunt aspernatae, quae si tuis obsequutae mandatis essent, haud utique nos rerum humanarum cupiditas decepisset; ad te pertinet nos in pristinum restituere, ut ne lato quidem ungue a tuis legibus discedamus, & quia per libertatem, qua nos donaveras, decus honestatemque reliquimus, ideo per gratiam tuam ad rectum virtutis tramitem D redeamus. Nec dubitamus, quin ita futurum sit, dum nobis lumen tuum affulgeat, cujus claritas eos etiam illustrare perfecte potest, quibus peccatum nihil consilii, nihil animi, nihil sanitatis reliquum fecit.

Quod si vulnera, quae nobis inflixit mentis libertatisque proclivitas, salutaria tua recusent pharmaca, te, quaesumus, Piissime, ut iis etiam praeter voluntatem E nostram mederi velis; nec vero istud a tua alienum est benignitate ac potentia, quae alias quoque ita se admirabilem praestitit, ut hominibus id minus cogitantibus bonam mentem reddiderit.

Energumenus videlicet ille caecus & mutus per te ad pristinam revocatus est valetudinem; nec tamen te requisierat, ut ad te accedens sanitatem peteret, nec oculorum lumine fruebatur, ut te cum turF bis intueretur deambulantem & fideliter sequeretur: obsurdescebat etiam, adeo ut nec posset ubique celeberrimam mirabilium tuorum audire famam; praeterea mens illius adeo a daemone extorquebatur, ut sui omnino impos existeret, ideoque sanitatem a te non poterat expostulare.

Nolentem igitur invisisti, non petentem sanasti, tui inscium curasti. O mirum

rum sane tuae misericordiae opus! quod scilicet ejus oculos a caecitate vindicaveris, obtusas illius aures a surditate liberaveris, tum illi reddideris rationis & intelligentiae, quo carebat, usum, omnemque illico morbum ab illo propulsans, perfectissimam illi elargitus fueris sanitatem.

Te precamur igitur, ut ita se nobiscum gerat clementia tua, depravatamque nostrum omnium libertatem respiciat, quae licet in flagitiis obduruerit, nec sanitatem mentis expostulet, nec debitorum dimissionem efflagitet, tu tamen a morbo aegram eximito, velut illum, qui pluribus erat sordibus naevisque contaminatus, cui etiam non roganti sanitatem dedisti cumulatissimam.

Jam vero alterum quoque mirari subit, quod erga Samaritanam mulierem operatus es prodigium; illi scilicet ne cogitanti quidem aquam vivam praebuisti; nec enim hoc a te beneficium requisierat, quin imo ultro illam, ut aquam vivam a te peteret, impulisti. Haec ipse mecum reputans, hilari laetoque animo ad te confugio, fons aquae vivae; neque enim dubito, quin mihi & sitienti, & exposcenti salutares aquas abunde ac largiter impertiaris, quum Samaritanae aliena penitus cogitanti ultro te exhibueris tanquam fontem aquae salientis in vitam aeternam.

Spem vero meam haec etiam cogitatio auget, quod quicumque tuam implorarunt opem, ii a te sibi maximas compararunt utilitates, adeo ut tum requisitus, tum non rogatus omnibus indistincte occurrens, illos ad pristinam revocaveris sanitatem; & sane, quia Dimas ille caecus visum abs te efflagitavit, lucem statim illius oculis restituisti; haud aliter contigit Hemorroissae, cui, obstante turba, opem tuam in fide roganti, confestim stetit fluxus sanguinis. Constat igitur, ut modo ajebam, quod tum te quaerentes sanasti, tum non te rogantes curasti, quia scilicet es inexhaustus gratiarum fons, qui supra omnium vota se praebet gentibus, ac terris omnibus salutarem.

En modo in nobis adsunt, qui tuam obsecrant majestatem, ut remissionem tribuas peccatorum; neque ex iis desunt aliqui, quos instar muti illius caecique hominis perfecta orationis conditio & modus latet: quamobrem tuam, Domine, clementiam orant, ut sibi, ceterisque omnibus aerarium tuum, quem-

[illegible]

quemadmodum consuevisti, aperias, & cuique sinas tuis ex opibus ea sibi captare compendia, quae illum efficiant tuae praeconem benignitatis: totus tu noster esto, ut nos pariter toti efficiamur tui; aequissimus enim Pater te nobis dedit, ut nostra per te vulnera sanarentur: a Patre tuo tu nobis datus fuisti, tu noster volens lubensque factus es, nobiscum igitur esto Emanuel, nobiscum, inquam, Salvator esto, quum Dominus noster sis. Quoniam in terris moram nobiscum trahere non dubitasti, nostras de caelo admitte preces; suscipe quas fundunt, lacrymas peccatores, eorumque piacula omnino dele: quandoquidem, Domine, a vulgari hominum consuetudine non abhorruisti, ut commoneres nullis esse orationibus ad te aditum interclusum, ideo te singuli deprecamur, ut aeterno Patri nostras tu preces offerens, stabilem in omnium animis constituas tranquillitatem pacemque tuam, cujus nomen suave est, res vero ipsa maxime opportuna.

Quidquid exstat sub Patris tui potestate, sub tua pariter ditione est; pauperibus itaque tua munera elargire, quibus possunt unice sublevari; quia victima pro nobis immolatus fuisti, nos ab omni labe, delictorum omnium amputatione libera; summus enim Pontifex pro nobis es constitutus, ut tui aspersione Sanguinis nos omnes a sordibus expurgares. Spem in te omnes habent tantummodo collocatam; fatiscentem itaque ac labantem animum consolidato, quoniam Sanguinem tuum nostris cicatricibus aspersisti, ut nobis per te liceret sanitatem recuperare. Aeterna redemtione inventa, sacrificium tuum super altare quotidie renovas, nostrisque labiis degustandum exhibes calicem salutarem: huic tanto beneficio ac muneri eam vim tribue, ut ejus gratia ab omni scelere liberati, quanta te possumus caritate maxima complectamur.

PARAENESIS LXXV.

Dicturus de tuis laudibus, Domine, initio dicendi terreor vehementerque commoveor. Neque enim me praeterit, tanti argumenti dignitatem profani esse hominis eloquentia praestantiorem. Quamvis autem mea mihi improbitas silentium indicere videatur, non ideo ta-

men ipſius conſilio parendum exiſtimo. Tua ſiquidem clementia praeterquamquod poenitentium laudes non dedignatur, ipſos etiam peccatores ipſarum praecones habere gaudet. Imo humanae illi laudes jucundae adeo accidunt, ut hac de cauſſa mutis hominibus loquendi facultatem reſtituerit. Haec quum ita ſint, tu modo, Deus beneficentiſſime, mihi de tuis laudibus pauca dicere meditanti, praeſto ſis, tuaque clementia meae ſtuporem debilitatemque linguae ad pſallendum diſpone; eo magis, quod diu intermiſſa laudabili iſta conſuetudine plane videar obmutuiſſe. Totus revera pudore ſuffundor, quum ſacras literas volvens, Aſinam loquutam, Zachariam vero, muti inſtar animantis, ſiluiſſe deprehendo. Gravius tamen exagitor, animadvertens homines rationem praeditos eo interdum inſaniae devenire, ut jumentis inſipientibus comparentur. Quare ne ipſe quoque hujuſmodi dementiae arguar, te, Domine, precor, ut mihi plane rudi atque omnino elingui tuae gratiae lux affulgeat, ut hiſce terrarum nugis contemtis, ad te ſolum ſpectet oratio mea, & de tuarum laudum praeconiis efflorefcat. At vero non tantum mihi ſumo, ut me poſſe arbitrer pro dignitate tuam praeſtantiam celebrare; id enim humanae naturae imbecillitas adſequi nullo modo poteſt. Tu, bone Deus, quod ingenium non valet noſtrum, tua humanitate perfice, illa ſcilicet ſingulari, qua ſublata, inanis eſt quicquid vel officii vel amoris ſibi ab humana fragilitate exhibetur. Ut autem in tuarum laudum exercitatione quotidie verſemur, nos ad tuum ſuaviſſimum jugum libenter ſuſtinendum acue. Tuae Crucis ſanctiſſimae imago noſtris infixa mentibus haereat, cujus ſi figuram in nobis tanquam in ſpeculo repraeſentatam Diabolus videat, illius ſplendore territus fugam e veſtigio capeſſere cogetur. Nobis, oro, totis inferni viribus oppreſſis, caeleſtium militum agmina ſubſidio veniant, ſuiſque viribus hoſtem tamdiu inſequantur, donec victus proſtratuſque diſcedat, qua inſigni parta victoria, tum inuſitata alacritate ac laetitia ad te laudandum excitabimur, qui humanae infirmitati intolerandam Daemonum potentiam ſubjeciſti. At vero quum jampridem de tyranno immaniſſimo non tam inſignia victoriae, quam victoriam reportaveris; quid de tuis

[illegible]

A tuis laudibus primum adſequar, quid poſtremum, niſi quod beneficiis omnibus jure arbitror anteponendum? Ratio, quae humanae mentis eſt quidam veluti Sol, maximis undequaque tenebris obducta erat, adeo ut & inſipientes errarent, & illi etiam qui multum ſibi ſapere videbantur. Exigua tantum lux in monte reliqua erat, quam ſequi mortales oculi nullo modo poterant, aut intueri. Venite, B (haec debuiſſet tunc temporis una omnium eſſe vox) venite, & quicquid eſt lucis reliquuum, ſin minus oculis, animo ſaltem, & inflammato ſtudio contemplemur. Sed proh pudor! quae hominibus eſt divinitus data ratio, ut praeſit, tunc libidini obtemperavit, atque ita quidem, ut maleficium admiſerit, quo acerbius poterat nec ipſa immanitas excogitare. Tu C enim, Domine, qui Salvator adveneras, tunc ligno affixus, tunc ſupplicio omnium teterrimo extinctus atque ſublatus es. Quid autem in tanto caſu tua pro nobis caritas excogitavit, quid amor tuus? Juſſit, ut Crux tua, quae ſupplicium debebat eſſe noſtrum omnium ſempiternum, nobis ipſis cumulum afferret bonorum omnium. Haec, haec eſt profecto divina vis, quae ut majeſtate praecellit, ſic parem in- D venire admirationem nequit. Quoniam vero ea pro nobis feciſti, Domine, quae facere praeter te nemo potuit, tam egregiae beneficentiae tuae hoc etiam adde, ut quem in cordibus noſtris malitia tenuit, cum nunc habeat caritas principatum, qua duce tum clavorum duritiem jejuniis, tum ſpinarum acerbitatem humilitate, & obedientia compenſemus. Quem E Prophetae currum in ſacris literis oſtendiſti, cum Crux offerat nobis tua, & quemadmodum myſtici illius currus, eunte ſpiritu, & rotae pariter elevabantur, ſic nos olim praeſidio Crucis auſpicatiſſimo in aeterna tabernacula rapiamur.

Ezech. 1.

PARAENESIS LXXVI.

F DEus immortalis, qui quondam iteratis Annae poſtulatibus obſecundaſti, optatiſſimam mihi nunc eloquentiam impertire, & quemadmodum illa ſe tibi gratam praeſtitit, quemque a te acceperat filium, altaribus focisque tuis devovit, ita quam ingenii vim, atque dicendi copiam mihi a te oblatam, atque conceſſam ſenſero, eo convertam, quoad anima ſuperabo mea, ut totus ubique verſer in tuis laudibus, ſin minus pro merito

rito exornandis, saltem pro animi obsequio enarrandis.

A te Anna petierat, quod tibi vovit; tibique consecravit, quod a te flagitaverat; per te obtinuit, quod tibi obtulit. Grata mulieris religio fuit, sed tua profecto bonitas admirabilior, cujus vi te mulieri beneficum praebuisti, ut haberet ipsa, unde sese probaret tuis altaribus liberalem. Tua igitur & in dato munere magna laus, & in accepto summa fuit gloria.

Sapientiae tuae thesauros nemo est, qui non esse incomprehensos noverit atque inenarrabiles, quorum in conspectu deficit mira quaelibet ad investigandum sagacitas. Haec autem divitiarum immensitas multo etiam praeclarior fit, dum quae mortalibus confers munera, eadem sinis, ut ipsi in hostiam tibi immolent jucunditatis.

Jucunditatem quum nomino, eam quidem intelligo, cujus magnitudinem explicare praeter te nemo potest. Dictu quippe incredibile est, quantopere in tuorum largitione munerum delecteris, & quam comiter ac benevole pietatem nostram excipias, quum eadem tibi offerimus, quae tua nobis liberalitas paulo ante concesserat. Et quis te satis valeat admirari, qui in dandis muneribus largitorem te esse praedicas, in iis vero non recusandis te mutuum accepisse declaras?

Sed jam ad Annam redeamus. Ipsa enimvero nimia angebatur cura atque solicitudine, dum prolem efflagitaret. Sed postquam voti compos filium in lucem edidit, eum illico Deo optimo maximo consecravit; exiliit prae laetitia, quum obtinuit, at multo magis gavisa est, quum illum Deo vovit, quia nimirum in illo vovendo omnia se recepisse bona existimavit.

O miram Dei benignitatem, qui sua Annae munera impertivit, ut eadem sibi ab ipsa restituerentur; nec enim Anna jucundius quicquam ab illo poterat obtinere, nec ipse quicquam ab ea percipere delectabilius; quamobrem summis est extollendus laudibus Deus, non solum quia sterili mulieri sua erogaverit dona, sed quia illa sibi reddita non recusaverit, imo etiam jucunditatis, suavitatisque plenissima existimaverit.

Jam vero quum tam propensa sit Dei voluntas in genus hominum tamque effusa benignitas, quis vereatur ardenti studio ad Deum accedere, & quasi filius carissimo

riſſimo Parenti, quid ſibi opus ſit, non dubitanter exponere? Nemo quidem ſubveretur a te, Domine, multa poſcere & flagitare, quae, ſingulari adhibito obſequio ac pietate, iterum tibi offerat largitori. Mortalium cupiditas eſt, non inficior, ſuis in petitionibus quandoque audax, ſed eximia certe ac incredibilis eſt facilitas & clementia tua, quum quicquid eſt ipſis impertita, rurſus benigne accipit, & ſibi mutuum homines reddidiſſe teſtatur.

At vero quae omnibus praeclara lux beneficentiae, ac benignitatis tuae oboritur, ea me quoque commovet, ut munera abs te pie & ex animo obtinere contendam, quae tibi oblatu digna exiſtimentur. Nec enim niſi a te impetrem, quicquam tibi exhibere poſſum; quod ſi tuae erga me liberalitatis teſtimonium habuero, quicquid mihi dederis, tibi referam: aliter enim ex meo tibi reddere nihil poſſum, quum totus ſim ego tuus.

Tuis ſcilicet ex opibus ego mihi, quod tibi offerrem, captavi; & ideo laudes tuas debeo ubique maxime celebrare. Ceterum ſi quae in nobis reperiuntur bona, per te mirum in modum augentur, quanto magis tua in nos collata munera auctum iri ſperare poſſumus?

Interim vero quum rudis cithara mea nequeat eſſe per ſe tibi grata; te obteſtor, Domine, ut, quae mihi largiter profuſeque impertiviſti, munera concinne illius tractent fides; ſic porro fiet, ut tuis ego auctus opibus, non ſolum meae vocis ſono tuos concinam pſalmos, quin imo ex intimis cordis mei ſenſibus tales eliciam affectus, qui bonitati tuae hoſtiam exhibeant jucundiſſimae laudis.

O quam ſuaviter Majeſtatis tuae aures permulcent voces gregis domuſque Praefecti, qui poſtquam tuo ex theſauro munera obtinuit, eadem tibi in praeclaram gratiarum actionem reddidit, & fuit a te laudatus, utpote qui tradita ſibi talenta fideliter cuſtodivit.

Ecquisnam erit, qui aerarii tui penetralia perſcrutari poſſit, quum quae in eo repoſitae ſunt opes, ſuperent omnium hominum captum, & divitiarum ejus affluentia non poſſit humanarum mentium intelligentiae ſubjacere, quum in eo ſint, quae theſauris nequeunt quamlibet inuſitatis, ac ſingularibus comparari?

Hinc ſolet nemo a te triſtis diſcedere; hinc particeps pro ſuis quiſque meritis beneficentiae evadit tuae. Igitur quemadmodum tuorum diſquiſitionem arcanorum

rum non iis negas, qui ad disceptationem multum ingenio valent, & cum aliis alia in distribuendis divitiis ratione uteris, sic mihi illas potissimum ex thesauris tuis opes, ut concedas, oro quaesoque, quae mihi indiserto planeque rudi celebrandi nominis tui facultatem impertiantur.

Per te idoneus evadam, obsecro, ut ore meo tuorum facinorum magnificentiam prædicem. Non me sane latet, tibi haud opus esse, ut mirabilium tuorum tropaea memorem, sed hoc a tua, Domine, efflagito caritate, ut eadem mihi sint novum te laudandi argumentum & tuae quidem gratissimum Divinitati.

Tu gradum, Domine, conditionemque orationis, antequam fundatur, & ad tuum perveniat solium, apprime cognovisti; nihilo tamen minus, quum quis in genua provolutus tuum precetur numen, aures tu illi praebes acsi nova audires.

Et quamvis quae facta, quaeque futura sunt tuae sapientiae vis tamquam praesentia intueatur; tu tamen ob eximiam in homines pietatem ab illis futurorum cognitionem omnino ademisti, ut suo tempore ea, ceu novissima intuereris, quae sunt tuae sapientiae clarissime manifesta.

Nec enimvero putare licet, tibi praesentia solummodo esse cognita, quum perfectissima tua cognitio occultissimorum quorumcumque seriem & eventum praevideat, sed ita nobiscum te agere voluisse cognoscimus, ut tuae nobis caritatis immensitatem declarares. Nam quum praeteritorum, praesentium, & futurorum callidissimus sis, ideo nobis mira quadam opportunitate provides.

Quocirca tuam, Domine, opem praesidiumque deposcimus, ne nostra decipiatur fragilitas, neque ullam, si fieri potest, jacturam faciat. Unicuique enim notissimum est, nihil infinitam tuam intelligentiam fugere, cui quum praesentes humanae indigentiae adsint, iisdem nullis precibus rogatus persæpe occurris, & nostra scelera non memineris, non modo vota excipis nostra, verum etiam & de nostro ad virtutem reditu gaudes.

Gratias ergo quam maximas tibi, piissime Domine, agimus, ob singularem tuam erga nos providentiam, quae ea parvulis nobis sapientiae tuae arcana patefecisti, quae nos coram te in celsissima honoris sede collocarent. Nobis etiam futurorum cognitionem subtraxisti, ut veras in te divitias unice conquireremus.

Omnium

[illegible]

Omnium igitur linguae, omniumque ora tuae sapientiae bonitatisque gloriam & magnitudinem certatim plausibus celebrent.

Quae hactenus, Domine, pro mentis meae tenuitate de tuis laudibus retuli, tuo me in conspectu gratum efficiant Sacerdotem, veluti Samuelem divino tuo munere ex sterilis Annae utero conceptum, cui patriam fuisse accepimus montem Ephraim; ex quo mihi nomen imposuisti. Has, inquam, laudes tanti apud te ponderis esse cupio, ut quemadmodum tua clementia mihi voluit, montem Ephraim quodammodo esse cum Samuele communem, ita me illi parem faciat, non quidem gratiae magnitudine, quod non ausim optare, sed ministerii praestantia ac dignitate.

ܡܐܡܪ̈ܐ ܕܦܪܕܝܣܐ
ܕܥܒܕܗ ܕܐܒܘܢ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ
ܐܦܪܝܡ ܣܘܪܝܝܐ.

SANCTI PATRIS NOSTRI

EPHRAEM SYRI

DE PARADISO EDEN

SERMONES DUODECIM.

SERMO PRIMUS.

A DIvina Moysis doctrina posteri profecere omnes : hanc ille gravissimis & certissimis monumentis testatam accepit, & Pentateucho complexus est, Hebraeisque suae disciplinae alumnis tradidit. Opus profecto venerabile, quod caelestium arcanorum aerarium jure appelles. Ab hoc fonte nobis manavit Paradisi B Eden notitia, de quo heic agendum erit. Magnum sane argumentum de cujus veritate quamquam ambigere nefas est, ab ejus tamen tractatione me semper absterruit Mysteriorum eo comprehensorum majestas, & Scriptoris in iis exponendis concisa & astricta oratio, circa ea praesertim, quae de geminis arboribus narrantur plane admiranda.

Haesi enimvero animi varius, quum C duplex affectus velut anceps aestus incertum raperet; amor quippe cognoscendi Paradisum, ad explorandas ejus naturam & proprietates trahebat; retrahebat contra avertebatque metus ob rei difficultatem & amplitudinem. Affectui utrique, quantum fas fuit, aliquid indulgendum statui, quae proinde per se arcana prodenda non esse ducebam, tacitus pie veneratus sum; quae autem clara & aperta D prostabant, accuratius expendenda suscepi; eam itaque disquisitionem mihi proposui, per quam rerum utilium cognitione

ܡܐܡܪܐ ܩܕܡܝܐ.

[Syriac text illegible]

[illegible]

A gnitione proficerem, illudque mihi indixi silentium, per quod officio & reverentia auctoris mihi demerer gratiam.

Equidem de Paradiso multa scribere mihi jucundissimum est, etsi pauca de ipso legere licuerit, quum multa sint, quae si quis examinare velit, operosum studium, curam longissimam deposcant; oculis igitur in ea, quae sibi subjecta erant intentis, animus ad sacratiora Paradisi adyta B transvolavit, in ejusque gloriam totum se mersit, non quod confiderem adsequi me posse qualis ille, & quantus sit, sed quod discere vellem, quae homini de illo scire fas esse putabam.

Paradisum oculo mentis vidi; in editissimo loco ille positus est, despicitque depressos infra sua pomaeria altissimos quosque montes; quamobrem affusae C orbi nostro diluvii aquae summis radicem ejus tantum rasere fluctibus, pedibusque ejus velut oscula libantes, aditum adoravere, subitoque recessu in circumjectos colles montesque defluxerunt. Generalis ergo illa aquarum alluvio calcaneum Paradisi innocenti affluxu lambit, reliquorum vero montium capita contundit.

Attamen etsi Paradisi altitudo im-D mensa sit, nec ideo arduus & difficilis est ejus ascensus illis, quibus tam præclara hæreditas obvenit, tales Paradisus sua pulchritudine allicit, & gloriosa luce ex interioribus adytis promicante, indeque spirantis odoris suavitate trahit. Clarae nubes tentoria componunt iis, qui illam meruere sedem, inde filii lucis in orbem nostrum delapsi, quum libuit, terras, in E quibus passi sunt, frequenter revisunt, insultant fluctibus maris, incolas nempe Paradisi reverentur freta, quae Simonem, quum esset Petra, submisso dorso sustinuerunt. Fortunatum illum, cui obtigit spectare suos illorum choris admistos.

Qui porro supernas obtinent sedes, infra posita cognatorum tecta respectant, & nubibus per aërem vecti, notas repetunt oras, quarum accolis recte vivendi prae-F cepta dederunt, & quasi principes & moderatores praesunt. Talium curruum ornatus & magnificentia laboribus pro Deo haustis respondet, & triumphi numero populorum, quos unusquisque erudivit. O vos beatos, quibus licebit videre Prophetas & Apostolos sua ducentes agmina, & singulos suis stipatos alumnis; ratum enim & certum est illud, *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.* *Matt.* 5.20.

Et quoniam Paradisi locus ab orbe nostro remotissimus hominem spectatorem non admittit, audendum nihilominus & illuc aditus, qua dabitur via, pertentandus; symbolis itaque & undecumque quaesitis comparationibus ad cognitionem, quae per se incomparabilis, enitendum. Qualem cernis orbem lunae, talem finge tibi Paradisum, in eam conformatum figuram, ut undique mare terramque ambiat, & intra se contineat;

Ex quo autem huc defluxit oratio, & dulce est de Paradiso loqui, alias praeter allatam imagines heic subjiciemus. Moyses pulcherrimum Tabernaculi altare corona cinxit, quam ex auro conflavit; simili quippe metallo splendebat, quod cingebatur, altare: talem commentare tibi Paradisum, diadema scilicet mira summi Opificis arte fabrefactum, Mundoque circumductum.

Quum autem peccasset Adam, Deus illum e Paradiso expulit, & in subjectam vallem ex gratia relegavit. Quumque ejus Posteri illic obdurarent obstinati in flagitio, dissipati sunt; & quoniam vicinas Paradiso obtinere sedes non meruere, inde rursus ejecti, Deo jubente, ab Arca in Cardoos montes deportati sunt;

Illic diviso contubernio geminæ duorum fratrum familiae ab invicem discessere; & Cain in terra Nud habitavit infra devexa montium, quos Seth & Enos cum sua stirpe jam ab initio insederant, qui & filii Dei nuncupati sunt, hæsitque ipsis cognomentum, donec relicto patrio solo, in planitiem descenderunt, indeque duxere sibi uxores filias hominum, nempe Cainitarum.

Heic porro mente consurge, & contemplare filios lucis in Paradisi arce locatos, indeque velut e sublimi specula horribilem Tartari faciem intuentes. Recole divitem ibidem detentum, & superos respectantem, atque in eorum ordinem Lazarum beata sorte cooptatum. Rogat infelix Abrahamum, ut afflicto ferat opem, at ille, quo certe non mitior alter, quique ut a Sodomitis miserandam cladem averteret, nil intentatum omiserat, severus tamen divitis casum miseratus non est, iniquum ratus misericordiam ei tribuere, qui fratri negaverat.

Interjectum porro immane chaos, sublata utrisque commeandi facultate, dirimit commercium, quod si daretur, amorem aliquando pareret, nec mediocrem justis de poena iniquorum animi aegritudinem. Qui enim fieret, ut illi cernentes in Tartaro

Tartaro filios, fratres, aut quavis alia necessitudine sibi conjunctos acerbissimis affectos suppliciis non commoverentur, si eos amarent? At enimvero ea est Sanctorum felicitas, ut nec pia mater de impii filii dolore perturbetur, nec aegre ferat hera miserabilem exitum ancillae, quam in schola fidei habuit sodalem.

Deridebunt justi persecutiones passi impios persecutores suos, torti tortores, & interfectores interfecti, Prophetae lapidibus obtriti, Apostoli trabibus suffixi tyrannorum capitibus insultabunt. Porro filii lucis ab illa gloriae atque felicitatis altitudine, in qua se positos aspicient, sontes tartareo carcere detentos identidem prospectabunt, animoque revolventes, quem illi vitae tenuere, cursum, mirabuntur, quî factum, ut homines mente & ratione praediti, abjecta salutis spe, & poenae metu, vitiis sese dediderint!

O quale paratur malum sceleratis, qui ea, quae in frequenti celebritate & clara luce committere erubescebant, tenebris occultari posse credebant, integumenta proinde quaerebant, quibus sua involverent flagitia, eaque non solum oculis intuentium subducerent, verum etiam audientium aures mendaciis illudere ineptissimis contenderent. Ego vero extra misericordiae tuae, Domine, gratiam alia velamenta non petam. In illa certe omnium maxima celebritate peccator digito monstrabitur, & ejus scelerum flagitiorumque notitia omnia inde secula pervagabitur.

Sed audaci ingenio meo haec commemorando indulsi satis; fortasse non deerit, qui dictis addere audeat, benigna Dei dispositione provisum iri, ut indocti ac rudes, qui ex insipientia legem violarunt, culpaeque taxatas poenas pependerunt, per loca Paradiso adjacentia distribuantur, alimenta statui suo convenientia inde petituri.

Haec tamen si exsistit regio alia Paradisi, perinde ac si non exsisteret, minime attenditur, ardentissime tamen appetitur a nocentibus in infima Gehennae loca relegatis, ejus certe prospectus ipsis exaggerat poenam, dum rivos per subjecta Paradisi prata salientes intuentur, indeque micat cor hausto istinc humore sitim sedare cupiens. Hasce, inquiunt, flagitabat aquas dives ille, incassum tamen; qui enim flammarum, quo is cruciabatur, ardorem utcumque mitigare vellet, neminem invenit. Sic miseri intrinsecus igne, extrinsecus aqua torquentur.

SER-

SERMO II.

NEmo felicior illo, qui Paradisum desiderat, vix alium extra istum Paradisus impensius amat, aut cupit ardentius, homini sic erga se affecto venienti in limine laetus occurrit, sinu complectitur, condit intra viscera, aversum autem & ab ipso alienum merito fastidit, abominatur, fugit. Janua scilicet Paradisi homines explorat & discernit, quamquam neminem non amet.

Age itaque, dumque vita manet, fabricare tibi clavem Paradisi, janua illa, jam audisti, te desiderat, tuum laeta praestolatur adventum, jamque praesenti jucundissime arridet, rationalis est, suum intrantibus commetitur ambitum, modo major, modo minor, ad staturam & dignitatem singulorum se conformat, suisque incrementis & decrementis signat illorum majores, aut minores in virtute profectus.

Quam isthaec omnia caduca sint, nemo aliquando tandem non agnoscet: periere divitiae, oblectamenta & voluptates evanuerunt, defluxit eximia oris species, & potestatis insignia ablata sunt. Ducta videlicet ultima vitae linea omnes in ignotam deportabuntur regionem, ubi recursante praeteritae fortunae memoria, praesentis status calamitatibus & miseriis ingemiscent; animadvertent opes esse somnia & ampla patrimonia umbram: quae possidebant bona, dolebunt amissa, quibusque carebant, malis se miserrime obrutos deplorabunt, potentiam inutilem, indiviosam opulentiam, quibus hactenus cohaeserunt, jam avolasse; quae vero nunquam non oderunt, egestatem & animi corporisque aegritudines jam adesse; quibus confidebant, praesidia defecisse, illisque repente oppressos, quae nunquam timuere, malis; hinc moesta ducentes suspiria, mirabuntur, quomodo victi, quomodo ex improviso capti spoliatique nec hostem, nec latronem praesenserint. Fefellit incautos falsa propriae fortunae gloria, quos vera commissorum scelerum poena premit: brevis felicitas defluxit, in aevum duraturae miseriae usque manebunt.

Tum vero justi clare perspicient umbram fuisse & plane nihil vitae transactae calamitates, quasque sustinuere pridem aerumnas jam nullas esse, quibusque conflictari solebant incommodis, jam datum finem: pia jejunia, quasque sponte susce-

pere

A pere poenas somnium avolasse, dissipata proinde rerum falsa imagine verae felicitatis sibi diluxisse diem, & quae regni caelestis propria est, rerum omnium copiam affluxisse.

Etsi Paradisus, ut dixi, ob immensam altitudinem extraneis inaccessus sit, facili tamen aditur clivo a justis; his enimvero se totum indulget impertitque. Universam ambit terram & magnum mare proximus caelitibus, suorum amicus, inimicus externorum. B

Vidi secus clausum subolescentes laeto proventu ficus, quarum foliis contextae coronae damnatorum capiti non male congruerent; ceterum etsi earum frondes expeterent fortasse alii suis spoliati indumentis, iis tamen in Paradiso vestiri neminem non puderet; nam etsi nudum C vestirent, rubore tamen & moerore suffunderent, quia nuditati tegumenta quaerere, quamquam alibi fieri debeat, in sacrario tamen sanctitatis vertitur in dedecus.

Fallitur quisquis capere se posse putat, quae Paradisum exornant decora; non enim hominis est comprehendere ejus constitutionem, praestantissimum magnae mentis opus; aut partium ejus di- D stributionem, earumque mutuam inter se habitudinem, aut domicilia, aut thalamos incolis amplissime ornatissimeque dispostita. Perennes rivi felicia ejus arva oberrant, qui etsi a natura loci suavissimum trahunt odorem, non servant tamen, uti nec saporem; mutant enim, postquam nostras attigere terras; nostri quippe soli qualitatibus imbuuntur, ut nostris aptentur usibus. E

Suprema igitur illa voluntas, cui cuncta parent, aquas, quae per Paradisi prata vagabantur, coëgit in fluvios, & per subterraneos meatus ad nos derivavit, scatebrasque eisdem distinxit, quo fere modo nunc illas extenuat, & in nubem concretas suo nutu, per aerem diffundit.

Age vero summus ille Artifex uti F Paradiso, quae ejus loci dignitas exigebat, ornamenta dedit, sic eorundem copiam & qualitatem distinxit, simul etiam variavit, ut ex ipsa ornatus varietate constaret differentia & series graduum ex eo quod inferioribus altiores amplitudine & splendore praestarent. Infimos conditionis infimae habitatoribus concessit, medios mediae, supremos supremis.

Quum ergo justi Paradisi instituti haeredes ad cernendam suam singuli haereditatem

tatem convenerint, magnus ille Judex unicuique propriis competentem meritis locum attribuet, intra quem se quisque continere debebit. Incolarum multitudini & varietati recipiendae graduum amplitudo & distributio statuta est. Pavimentum Pœnitentibus relictum est, mediam regionem habent Innocentes, & quae huic proxime supereminet Triumphatores, supremam Divinitatis thronus obtinet.

Ipsum hunc ordinem in Noëmica arca servatum fuisse inde colliges, quod Noë animalia per infimos Arcae thalamos distribuit, volucres per medios, ipse quasi Deus supremos sibi reservavit. Simili serie ad Sinai juga promiscuum vulgus intra vicinos campos se continuit, Sacerdotes circumstetere clivum montis, in ipso medio clivo Aaron cum sociis substitit, Moyses ad culmen progressus est, summum montis apicem insedit Deus.

Arca itaque & Sinai geminae sunt Paradisi figurae, in quibus nobis ejus conditor constitutionem ejusdem descripsit, indicavitque Paradisum fuisse locum deliciis, qua corporis, qua animi refertissimum, in quem quicquid ipse reliquis Mundi partibus contulerat, optimum congessisset, securitatem videlicet ob immensam suam altitudinem, ob florum & aromatum, plantarumque cujusvis generis copiam & varietatem sensibus gratissimam amoenitatem. Is fuit Paradisus, qui tamen Ecclesiae umbra & figura fuit.

SERMO III.

Sedenimvero Paradisum illum, Fratres, qui in summo positus est, ut modo ajebam, & in quo velut in sua sede moratur Deus, nobis profecto penitus interdictum est invadere, vel cogitatione apprehensum describere; quae enim mens adeo perspicax fingi potest, cujus aciem ille Paradisus non fugiat, aut discursum non antevertat, aut processum non prætervolet? Longe enimvero remotus est locus, & a nostris sensibus sejunctus, ejusque amplitudo & opulentia nostram plane superat intelligentiam.

Nota vitae arbor, opinor, innata luce Paradisum ubique collustrans, est ejusdem sol, ejus folia in modum speculi posita ac tersa universum horti ornatum repraesentat, circum satae arbores dum spirantibus impulsae auris verticem curvant, illam tamquam generis sui caput & reginam adorare credas.

Arbo-

A [Syriac text illegible]

B [Syriac text illegible]

C [Syriac text illegible]

D [Syriac text illegible]

E [Syriac text illegible]

F [Syriac text illegible]

[illegible]

A Arborem scientiae Deus in medio Paradisi plantavit, custodes dedit horrorem & metum, qui areolam, in qua posita erat, tuerentur. Duo sibi Adamus imperata praesensit in illo unico praecepto, quo ipsi & conjugi vetitae arboris fructus decerpere & comedere cautum fuerat; intellexit enim non modo eam arborem sibi esse magnopere verendam, B sed etiam ejus aream, nec proinde sibi fas esse eo pedem inferre.

Serpens, cui Paradisi ingressus negabatur, nec enim animalibus, aut volucribus eo accedere permissum, ab Adamo, dum hic e Paradiso egressus per ejus fines spatiabatur, didicit, quid rei Paradisus esset, quum callidus veterator eam notitiam ab Eva vafre percontando captaret.

C Quum autem execrandus ille subodoratus fuisset gloriam illius adyti, quod intra scientiae arborem condebatur, divinoque velabatur praecepto ea ferme religione, qua postmodum ostium Mosaici Tabernaculi subducto velo vulgi aspectibus subducendum fuit, simul conjectavit, ejus fructum clavem esse justitiae, qua eadem scelerum vindex scelestorum oculos recludere parabat, qui praeceptum violare D ausi fuissent tantisper, dum propriam agnoscerent stultitiam.

Protoplastorum itaque oculi simul aperti erant, ut obvia quaeque cernerent, simul clausi erant, ne gloriam, vel ignominiam viderent, ne scilicet adyti gloriam introspicerent, aut proprii corporis nuditatem: geminas hasce scientias Deus in arbore reposuit, eandemque quasi ju- E dicem inter eas sedere fecit.

Ut autem Adamus interdictam escam invasit, in ejus oculos involavere simul ambae, appositaque tegumenta detraxerunt. Tum vero gloriam interioris adyti perspexit, & contremuit, propriae nuditatis ignominiam sensit & erubuit, doluit, ingemuit. Quamquam geminae istae cognitiones ad poscendam exorandamque veniam postea magnopere ipsum juve- F runt.

Quisquis ejus arboris poma libavit, visum inde recepit, eoque a munere mirabilem hausit voluptatem, vel visum quidem recuperavit, sed contrario plane effectu, ut haberet, unde acerrime torqueretur; id nempe accidit peccatoribus, qui saturantur, ut doleant. Felices illos, quibus, quod habere non licuit, nec spectare contigit, contrarium diviti illi accidit, cui poenam acuit, & auxit vidisse pomo-

pomorum illorum putamina, nec impetrare potuisse, etsi esuriens ea vehementer appeteret.

Suam Adamo nuditatem velavit Deus, ut eam ipsi post transgressionis culpam detegeret, unde vehementer illum suae dementiae puderet; sed nec ei, quod dixi, adytum ostendit, ut majore gaudio post obedientiae meritum illum remuneraretur: ambo illa arcana texit, ut praemium conduplicaret, neve citra pugnam Adamus coronam consequeretur;

Constituitque Deus Adamum judicem inter utramque sortem, ut si arboris poma decerpsisset, mox ei honoris gradum, unde sua ipsum superbia dejecerat, manifestaret, nec non ignominiam crimini debitam poenam; sin autem, prostrato hoste, victor ex acie rediisset, tum eum gloria & magnificentia exornaret, ac simul edoceret, cujusmodi & qualis futura fuisset ejus ignominia, si ab officio discessisset; adeo ut corpore & animo sanus & integer, aegritudinis tamen & miseriae notitia non careret; ratione scilicet discerneret utramque, perfecta tamen valetudine & plena felicitate frueretur: sic enim quod possidebat, beneficium fuisset, nec inutile ornamentum, quod sciebat. Et vero si quis gravi morbo oppressus exactam tamen sanitatis scientiam haberet, utrinque cruciaretur, & quod morbi vim & molestiam sentiret; & quod sanitatis, cujus pretium non ignoraret, jactura torqueretur.

Si Adam invictus tentationi minime succubuisset, eum statum adsecutus fuisset, in quo felicitatem re ipsa possideret, miseriam specularetur, & in se ipso quidem quasi nobilis arbor nova in dies caperet incrementa, & ad discernendas rerum naturas mente intelligentiaque semper proficeret. Hunc serpens pervertit ordinem, exitium Adamo re ipsa intulit, solum veteris gloriae speciem memoriamque reliquit, ut ob id, quod invenerat, pudore suffunderetur, & de eo, quod amiserat, lugeret.

Mystici illius Tabernaculi ostium arbor fuit, poma velum; quo autem Adamus illa decerpsit, velum reduxit, quia praeceptum violavit. Continuo ex interiori adyto erupit lux, qua perculsus Adam expavit, fugamque arripuit, atque perfugium quaesiturus sub puras ficus foras procurrit.

Geminos porro sinus in arbore distinxit Deus, in superiore sanctum Sanctorum posuit, in inferiore sanctum. Adamus,

[illegible]

mus, quem postea Rex Ozias imitatus fuit, utrumpue adytum temere pertentans, repulsus est. Rex foeda luc, Adam ignominiosa nuditate punitus, ambo proprii corporis turpiter deformatam speciem erubuerunt, trepidique latibula appetivere.

Profecto si Paradisi arbores clarissima circumornatae gloria singulae suam habuere comam, uti suis seraphim alis, sic illae suis se texere ramis, ne proprium dominum nudatum spectarent; utrique Adami sensere pudorem, quod cernerent repente suo se decore spoliatos suum ei ornatum abstulit serpens, propterea que pedibus multatus fuit.

Quod autem Deus Adamum ab aditu interioris tabernaculi prohibuit, id porro fecit, ut ille suam operam in ministerio exterioris sanctuarii tantisper probaret, atque ibidem velut ejusdem aedis institutus Sacerdos incensum adoleret, praeceptum videlicet observaret, jussus istud thuris habere loco, dum se compararet ad ministerium interioris tabernaculi, quod ei tunc spectare minime licebat, mox in aspectum fugiente templo omnes fugientem sensus Deum adoraturus.

Paradisi antigraphum Moyses exhibuit, quando duo sanctuaria in illo discrevit, alterum simpliciter appellans sanctum, & alterum sanctum sanctorum, & ad illud quidem nunquam non patebat accessus, ad istud vero semel dumtaxat in anno, simili Deus dispositione interiorem Paradisum clausit, aperuitque exteriorem, & utendum Adamo concessit.

[illegible]

SERMO IV.

ENimvero quum ignorare non posset, Adamum ex sua in eum indulgentia audaciorem evasurum, ut si ei fraena laxaret, atrociora etiam ausurum, & quandoquidem repagula ei ante opposita leviora fuisse exitus docuerat, Deus, qui arborem ante voce dumtaxat, & praecepto munierat, postea aciem gladii opposuit, objecitque Cherubim propugnaculum inexpugnabile.

Protoplastus etsi propria immunditia prohiberetur, intrare tamen obstinavit in sancta sanctorum, cui utique placere non poterat, qui similis ei non erat. Et quoniam interdictum sibi sacrarium immundo pede temerare est ausus, ab exteriore etiam templi aditu sibi alias per-

[illegible]

permisso repulsus est : ea est natura maris objecta undecumque sibi cadavera rejectat.

Simili lege postea populo Hebraeorum cautum fuit, ut si quis in castris lepra correptus fuisset, inde foras protinus abigeretur, tantisper dum, miserente Deo, purgata cute, mox hyssopo, sanguine & aqua elutum, Sacerdos mundum jam esse declararet, eaque ceremonia expiatus, communi contubernio propriaeque haereditati restituebatur.

Adamus quidem Paradisum mundus & integer intravit, in ea tamen munditiae sede lepram contraxit omnium foedissimam proprio scelere & serpentis halitu corruptus. Sed Paradisus omnis impatiens immunditiae inquilinum turpissime deformatum e sinu statim excussit, & longe procul a se abjecit. Hunc tamen miseranda clade fractum, projectumque conspicatus Altissimus, ille Sacerdotum Princeps, & Deus, majestatem suam ad ejus usque curam deduxit, detersaque hyssopo cute, Paradiso illum restituit.

Nudus Adamus decorus erat, vestem conjux manu sua elaboratam ei adcommodavit, vestem scilicet sordidam, & omni sorde culpa pejore foedatam. Lapsum Protoplastum vidit Paradisus & luxit casum, cui ipse caussam dedisset. Vestem Maria aliam latroni quaesivit aptavitque, & addito promisso in spem fortunae melioris erexit. Hunc item Paradisus vidit, & effuso sinu complexus est, sedem ab Adami relegatione vacuam ei assignavit.

Moyses eo, quod circa divini promissi effectum aliquantisper titubasset, ingressu terrae sanctae multatus fuit, citra Jordanem subsistere jussus. Adamus post lapsum Paradiso ejectus diu profugus & exul erravit, reditum prohibente Cherubim ; utrumque divino consilio actum ac dispositum fuit, venit tandem illa dies, quando ambo ab exilio revocati, Moyses promissionis terram intravit, Adamus Paradisum revisit.

Atqui fatendum est, neminem ea dicendi facultate pollere, ut adumbrare sufficiat vel interioris aditus excellentiam, vel exterioris apparatum describere, quando nec simplicem ornatum, qui Paradisi pomoerium illuminat, explicare pro dignitate cuipiam concessum sit ; nemo sane exponere queat, quales Paradisi indigenarum oculos oblectabant laetissimi colores, quos naribus profundebant odores, aromata, flores & herbae ? quanta

gustatui

[illegible]

A gustatui manabat ex saporibus voluptas? quae tandem fuerit omnium ejus partium dispositio pulcherrima, & venustissima species?

Quemadmodum igitur nullius tantum est flumen ingenii, tantaque dicendi copia, quae Paradisi thesauros adumbrare valeat; ita neque excellentiam, qua ipsius pomoerium praestat, quisquis satis enarrare potest. Nam etsi ornamenta illa & B opes, quibus pomoerium hoc abundat, cum superioribus Paradisi deliciis conferri nullo modo queant, si tamen cum terrestribus divitiis contentio quaedam & comparatio fiat, perspicuum profecto erit, nihil adeo magnificum ac singulare in toto terrarum orbe reperiri, quod ab earundem praestantia quam longissime non superetur.

C Quae quum ita sint nolite, precor, audaciae succensere meae, qui meis viribus majorem tractare materiam mihi sumserim. Res magna est Paradisus, ut qui illum laudare contendat, ejus laudes deterere videatur, quum aequare non possit. Atenim si speculum invenire non licet, quod ejus imaginem repraesentet, nec adsunt colores, quibus penicillus inimitabilem ejus imitetur formam, equi- D dem reprehendendus non sim, qui ex hujusmodi argumento qualemcumque tandem utilitatem mihi vobisque afferre studuerim.

Paradisi nempe cogitatio moerentem solatur, erudit parvulum, sanctum ad profectum accendit, humilis atque egentis inopiam spe sublevat. Utinam unam mihi singuli minam, minutum saltem E unum conferant quicumque Paradisum adepti sunt, & universi pro me orent, similemque contingat exorare sortem mihi, qui pro mea tenuitate ista de Paradiso disserui.

Te, Deus optime, cui omnia patent, precor, ne meum damnes consilium, aut meum arguas in his disquirendis arcanis studium, tu, qui abditus & retrusus omnium mentium intelligentiam F superas; nec enim de aeterna tua generatione disputare sum ausus, quam quis enarrabit? Quoniam vero ad tantum, & impenetrabile secretum attonitus haesi & tacui, adorandum conceptum partumque admirandum reveritus; Paradisi me, quaeso, colonum decernito, quum te super omnia diligam, & incomprehensum tuum numen laudare non cessem.

Es. 53.

[illegible] SER-

SERMO V.

SUmmi Opificis dictum mihi ejus effecta consideranti visum est simile Petrae populum per deserta vagantem consequentis, quae etsi nullum in se contineret humorem, aquarum nihilominus torrentes fundebat rivos; dura scilicet silex suapte natura cujuslibet liquoris expers referentia pelagus fluenta eructabat; sic Dei sermo e nihilo cuncta molitus est.

1. Cor. 9. 10.

Moyses Mundi Opificium volumine descripsit, ut Conditoris potentiam natura & scriptura loqueretur, & illa uteremur, & ista erudiremur: ambae omnes pervagantur locorum regiones ac temporum spatia, per singula se nobis offerunt momenta; quam oppido id factum bene, ut qui Conditorem esse negant, totumque hunc orbem ejus numine natum, propriae perfidiae praesentem haberent ubique reprehensorem.

Quum in eo, quod saepe laudavi, volumine, lineas & elementa diligenter expenderem, ac versuum seriem & ordinem explorarem, quae prima legenti incidit, periocha me peramanter deosculata ad sequentem pertraxit, sic deinceps ab altera ad alteram deductus ad illas pervasi, in quibus occurrebat Paradisi descriptio, ea statim me rapuit, & a codice in illius sinum conjecit.

Exarati versus quasi porrecti a nostro continente ad Paradisi usque ostium pontes, oculis mentique locum spectare avide cupientibus expedivere trajectum. Oculus mentem legendo praeverterat, oculum mens speculando ab ea cura mox relevavit: oculum requies, labor mentem excepit.

Enimvero postquam ex codice didici vada, & ostia Paradisi, continuo interjectum fretum trajeci; utque ad locum ventum est, oculus quidem substitit ad limen, mens & ratio introgressa interioribus adytis involitare coepit, quae scripta non legerat, indagatura. Eden scriptura vocat editissimum locum, amoenissimum, mira luce nitentem, visu pulcherrimum, & omnium bonorum complexione copiaque beatissimum.

Illic spectare datum tabernacula justorum, & ipsos gratissimum balsami odorem exspirantes, floribus pomisque intexto serto redimitos; rerum gestarum claritati tabernaculi dignitas respondet, & aliud quidem videre erat humili structura depressum, aliud vero in sublime assurgens

assurgens splendido instrumento ornatum, quaedam specie non admodum decora, quaedam forma ad miraculum exculta.

Sedenimvero etsi Paradisi species magnopere me recreabat, praecipue tamen oblectabat tranquillitas & pax, quae velut in sua sede illic consedisse videbatur. Pulcherrimus Paradisus est ab omni sorde purissimus, pacatissimus item est, ubi metu solutus animus ab eventu non pendet.

Ducem sciscitabar meum, utrum qui ante oculos versabatur Paradisus, omnibus justis suffecturas sedes haberet in promtu? Quae scripta non erant percontabar, per ea, quae scripta erant, me ille docebat: Cogita, respondit, notum illum Energumenum, quem daemonum legio invaserat, in eo erant, in eo esse nemo videbat; adeo vel animam immundi spiritus subtilitate praecellunt, quum unius animae corpus tantam multitudinem daemonum capere potuerit.

Atqui centuplo magis defoecatum & subtile e sepulcro emicaturum est cujuslibet justi corpus immortali jam vita donatum; sic ut menti, quae ipsum informat, evasurum sit simile, similisque ei accessura sit in sua membra potestas tanta, ut eadem pro libito vel intendat & amplificet, vel contrahat & colligat, sique astringere placeat, intra puncti spatium cogat; sin contra explicare velit, omnia loca permeet pervadat & penetret.

Perge porro, occurrent statim exempla, unde, quae modo audis, plane intelligas. Quanta unum conclave radiorum copia, sole intrante, subit, quanta in unum viridarium, adulto vere, confluunt ex floribus & herbis odores? nullam tamen odorum numerus confusionem parit, aut obstat, quominus omnes per exiguam areolam sese diffundant. Talem imaginare Paradisum, etsi enim corporibus plenum statuas, ordinatissimam tamen distributionem admittit, non tam ex loci amplitudine, quam ex ipsorum corporum conditione.

Cor item scis rem esse minimam, species tamen nec fine, nec numero circumscriptas capit & superat. Ex his facile colligas fieri posse, ut Paradisus opus summi Artificis praestantissimum intra se receptet corpora spiritibus affinia, etsi tot esse fingas, ut ea suis calculis numeralis scientia adsequi non possit.

Eam admiratus Paradisi amplitudinem & ornatum, Conditoris majestatem summopere laudavi, jamque reditum cogitabam,

gitabam, quum subito emissae ab adyto voces aures pepulere meas, audivique chorum cantantium, concinentibus tubis notum mihi hymnum: *Sanctus Sanctus &c.* atque intellexi, quibus divinitas intra Paradisum laudetur modis. O felicem illum, qui Paradisum consecutus est, seu id ei ex merito, seu ex gratia obtigerit, sive uti praemium labori repensum, sive uti beneficium ex mera liberalitate collatum!

Me contra miserum, quem e Paradiso egressum dux reliquit me meus & retrocessit. Ut enim fines terrae hujus spinarum altricis attigi, excepere me in ipso aditu calamitates & aerumnae, luctus & dolor, expertusque didici orbem nostrum carcerem esse & publicam facinorosorum custodiam.

Atqui si res sic est, cui non videatur miraculum, homines ejusmodi ergastulo inclusos suam inde flere dimissionem, adeo ut ipsi vel pueri suum inde exitum plorent, etsi ad lucem e tenebricoso carcere educantur, & ex angustissimo loculo eductis detur caelo liberiore frui? Talis profecto videri debet in hunc orbem relegatis mors, novae videlicet nativitatis typus & imago, fletur tamen mors, quae morientes a terreno domicilio miseriarum aerumnarumque cloaca in caelum verae felicitatis arcem evehit.

Te, summe, precor, dominator Paradisi, in ejus pomoerio mihi commorari concedito, & inde victum quaerere, quandoquidem ultro commeandi mihi omnis facultas adimitur. Quae intra conduntur obsonia sanctorum mensas instruant, fruges in ejus agro sponte nascentes velut inde cadentes micae peccatoribus annona fiant; nec enim nisi tuo munere vivere possunt.

SERMO VI.

Divinae literae scientiae claves sunt, quibus instructus casu oblatum volumen evolvere coepi, occurritque statim antiqui foederis arca, legumque codex, quibus perlectis ad primum divinae scripturae librum totum appuli animum; summi quippe Opificis existentiam docet, ejusque operum descriptionem continet, apparatum & ornamenta velut oculis conspicienda proponit.

Liber illud Paradisi me adduxit ostium, quod nactus apertum, continuo animus a materia defoecatus invasit. Heic enimvero

A vero loci apparatu perculſus obſtupui ; haeſitque velut in ſalebra mens : nec enim ulla rationis humanae facultas, nullus ſenſus Paradiſi divitias comprehendere poteſt , aut ſapores diſcernere , aut colores , aut ornamenta aeſtimare , aut explicare naturam & proprietates.

Omnia ille felicis inquilini membra complectitur, & afficit voluptatibus non labentibus & fluxis, ſed immortalibus B atque perpetuis , & oculos quidem rerum ſpecioſiſſimarum aſpectu , auditionem liquidiſſimis cantibus , olfactum & guſtatum ambroſiis & odoribus. Diſce laudare Bonum , qui ad hoc beatiſſimum domicilium vocavit homines vigiliis & jejuniis exercitos, ut pro talibus poenis ſponte ſuſceptis immenſa voluptate fruantur , prataque omnigenis referta deliciis poſſideant.

Paradiſum adſpiciens in ſublime fe- C ror , ipſum cogitans dives fio , & paupertatis obliviſcor meae; ſuo ille anhelitu temulento ſimilem me fecit, deſii eſſe qui fui , mira rerum in eo ſpectandarum varietas , & concurſus adeo me rapuit , ut mihi naturam mutaſſe viderer , & animus beatis pulſatus undis anceps fluitaret. Hic locus ille fuit, qui velut ſuccenſa fornax Adamum corripuit & ſpoliavit. D At at meam quale vinum mentem ibidem merſit , meorumque mihi maleficiorum memoriam abſtulit?

Hoc ſpectabam , cum repente in altum abripior, & qui fluctus, in quos me Paradiſi aſpectus conjecerat , ſuſtinere non poteram , alius me Paradiſus illo E auguſtior ad contemplandam rerum praeſtantiſſimarum ſpeciem tranſtulit. Heic porro mecum cogitabam , ſi , quem vides , hortus tanta venuſtate nitet , quali decore fuiſſe putas vivam tanti Opificis imaginem Adamum , vel quo ſplendidiorem affulſuram Crucem , quae Dei filium portavit?

Non enim propter Paradiſum factus eſt homo , ſed propter hominem Paradi- F ſus unice creatus eſt. Paradiſi proventu pretioſior eſt amor , ejuſque pomis longe praeſtantior hymnus , ſermone ſapidiores fructus nullus gignit ager, nulla ſpecies cum fide comparabilis eſt, neque caritati aequanda aromata.

Pulcherrimum Deus Paradiſum molitus eſt, quando ſanctam aedificavit Eccleſiam, arborem ſcientiae in illa ſevit , arborique mandatum affixit , ampliſſima homini praemia propoſuit; attamen quod mirere , nec ei illa conſequendi deſide-

 rium

rium injecit, horrenda supplicia intendit, nec ad ea cavenda metum incussit, disciplinam in Ecclesia instituit magnis refertam promissis, unaque saevis armatam minis, edixitque omnes perituros, qui illam contemnerent; neminem contra, quem illa cautiorem faceret, salutem non consecuturum.

Paradisus itaque Sanctorum coetum adumbravit: in eo, Fratres, divinus carpitur fructus per omnes dies, omnibus aptus perennem impertire vitam, quotidie e mystico racemo exprimitur merum immortalitatis pharmacum. Serpens pedibus multatus maledicto simul devinctus jacet, salutari suppressum silentio os Evae ad suum Opificem ducitur.

Neminem in eo populo videre est nudum, quia omnes gloriam induerunt, nec foliorum integumentis involutum rubore suffusum, quia omnes, favente Domini gratia, stolam Adae noxa deperditam recuperarunt. In hunc porro cooptati coetum aures tersere suas veneno serpentis olim infectas, cui auscultantes nostri generis auctores novam & candidam vestem fecere atram, continuoque deposuerunt.

Aeternum numen & divina vis, quae nec laborem sentit, nec defatigari potest, alium Paradisum plantavit, quem liberum hominis arbitrium studio operaque sua omnigenis frugibus ditavit, adeo ut amaenitate loci delectatus rerum ille supremus Conditor sibi in eo sedem fixerit; sic enim hominis voluntas hunc Paradisum Dei cultui addixit, uti Deus alterum hominis utilitati voluptatique aptaverat.

Enimvero strenui & fortes proventum arvorum suorum secum ferentes, suum ecce intendunt iter ad Paradisum illum omnis generis frugum divitem, suis illi profecto tropaeis speciosissimum illum hortum superant. Sentiet ille justorum opibus suarum plantarum splendorem obscurari, suaque ornamenta illorum dotibus minora.

Qualem te dicam beatum, cui obtigit Paradisi pomaria visere ejusque speculari poma! inde reor, compertum tibi quantum ejus loci proventibus praecellant justorum foetus. Virginum certe & Sanctorum lilia & rosas quum aliquando vidissent Paradisi flores, retrocesserunt, victique dedere manus; talibus confertae floribus coronae Mundum Mundique Opificem delectant, & ab utroque quibuslibet arborum foetibus anteponuntur. Omnia

[Syriac text — left column]

A Omnia naturae decora vincit illa in animo pars, qua ratiocinamur & intelligimus; hujus porro tanta vis est, tanta item liberae voluntatis est dignitas, & intelligentium facultatum amplitudo, ut si in altera ponantur paradisus, arvorum proventus, terrenaque omnia, ne appareant quidem. Admirare & lauda illum, qui ad hanc gloriae altitudinem Adamum evexit. B Quamobrem si quae de Paradiso prodita sunt cum Sanctorum actis conferas, statim intelliges, ut haec, illis penitus exclusis, totam sibi vindicent aestimationem.

Paradisi exemplis se justi ornarunt, amplissimeque ejus loci decora ipsi in se transcripserunt. Arbores ergo praetereamus, Heroum victorias prosequamur, haeredes, non haereditatem laudemus.

C Profecto si Paradisi speciem admiramur, quam opido admirabilior videri debet magna virtute quaesitus animo decor! illa quippe naturae, hic liberae est voluntatis opus. Humana voluntas ea, qua pollebat arbitrii potestate hortum Eden aemulata est, protulitque flores, qui Paradisi splendorem suo fulgore hebetarunt.

In ea porro admirabili, mentisque D oculis perjucunda regione locati quicumque coluere justitiam ad sua nos vocant subsellia, suos cupiunt nos esse, fierique socios, fratres, & velut unius corporis membra. Quid igitur, Fratres, cessamus? quin trepidi eo contendimus, ut si quidem eorum contubernales fieri nequeamus, circa eorum tecta moremur.

Beatus sane praedicandus est, qui E tales consecutus est opes, vel certe tenui licet rore inde meruit aspergi. Te, magne Deus, precor, dignare, me magnae illius haereditatis portiunculam obtinere. Videat me adversarius meus, invidiaque disrumpatur, sua spe dejectus, ratus me ocyus compingendum in eum, quem mihi destinavit carcerem: cernat ille me potius in ea regione locatum, quam mihi tua liberalitas & munificentia paravit.

F Felix, cui obtigit videre stolam Sanctorum, & loquentem sapientiam auscultare, beatas aures illorum vocibus saturas, & fortunatos ipsorum in eadem felicitate socios? Euge, qui primos adsequi contendis, vah quem piget postremos sequi.

Periculum evasit, cui tales in divino judicio obtigere deprecatores, caussa cecidit quisquis tales offendit actores. Paradisus illorum receptat amicos, inimi-

Luc. 10.12.

cos hauſit infernus. Conſtat in die illa A Sodomis remiſſius fore, quam illi civitati, cujus pulverem e pedibus excuſſerunt ſuis. In qua oravere domo, mortuus revixit, cuique pacem adprecati ſunt, omnem ademere metum.

In Aegyptum recepti fuere periclitanti ſuccurrerunt: horribilem ſolitudinem ingreſſi, accenſa in modum columnae face illuſtrarunt, quodque ſubiere mare aequum & jus docuere virga & B verbere, quod mente ſenſuque careret; in ardentem fornacem conjecti, infuſo rore reſtinxere flammam, in quem detruſi fuere lacum, deſcendit Angelus, docuitque jejunare feras.

Sal terrae illorum Eccleſia eſt, terram condivit, ut incorruptam ſervaret, eo Mundum Conditoris dextera aſperſit, ubicumque is habitabilis eſt; ſic nempe C ratum ipſi fuit, ut ſicut coetus ille, quum ſit Adae proles, aliquid undique decerpſit, viciſſim ubique in communem orbis terrae utilitatem diſſeminaretur: diſperſus tamen ille ſe collegit, collectuſque ſe diffudit, ut e rebus omnibus tractum bonorum ſuorum in ſe reciprocaret, unde mox pleniore alveo ad eoſdem redundaret.

Juſtorum doctrina poſitas ad ortum D gentes illuminavit, inde lucem accepere, qui occaſum ſpectant populi, illorum opera boreales revixere nationes, & auſtrales ipſorum imbutae diſciplina ſapientiam didicerunt. Quum Caelum conſcenderent patuit via, quum in pelagus deſcenderent, ceſſere fluctus, ſiccata ſunt freta. Myſterium, quod Apoſtoli parabolis involutum accepere, cunctis expoſue- E re gentibus, claramque ejus notitiam per omnes diſſeminavere regiones: Mundus Evangelium complexus eſt, vitam ſibi ab illo ſpondens opem & ſalutem.

Quum aliquando ex eo, quem dixi, coetu quidam curru vectus aetherem tranſcenderet, rei novitate excitati confluxere caelites, alienigenam in decretas ſibi regiones translatum ſpectaturi. Obſtupuere hominem luto argillaque fictum, caeleſti F nunc lumine circumfuſum per aerem vehi. Quem ergo dices illorum ſenſum fuiſſe, quando rerum Dominus noſtras miſeratus aerumnas ipſis videntibus deſcendit in terras, corpus induit, mox nube receptus homo Deus caelum conſcendit, atque ſuperis inferiſque jura dedit?

Angelos ex igne ſpirituque delibatos obſtupefecit Elias, eo quod gemmam in limum demerſam ſuaviſſimo nihilominus

[illegible]

A hilominus odore ſpirantem geſtaret, quamquam longe majore admiratione perculit Opificis ſapientia, quae ejuſmodi formaverat margaritam; haec proprio vocabulo virginitas appellatur, quae noſtram nobis ſortem gratulantibus Angelis, genus noſtrum extulit, & caelitum ordines ad admirationem traduxit. Magnum paratur virginitati certamen in terra, nec porro minor in caelo corona.

B Caritas & ſcientia, comite veritate, mentem ſurſum elevant, eique novam foenerantur lucem, cujus ductu alta arcana ſpeculari aſſueſcit. Paradiſum deſideravi, doctus comperi, portum eſſe paratum enavigato mari, & hoſte debellato illuc appellentibus. Magne Deus, qui mihi Paradiſi notitiam tribuiſti, acceſſum, quaeſo, ne deneges.

C

SERMO VII.

QUicumque vitam ducitis miſeram, divinis animum confirmate promiſſis; non enim ad illa praeſtanda fiet impotens remunerator, cujus aerarium majus eſt, quam ut de ejus conſtantia cuipiam ambigendum ſit. Filium pro ſalute noſtra nobis tradidit, ut pro D certo haberemus, & corpus ejus apud nos manſurum, & datam fidem nunquam ab ipſo deſerendam. Corpus dedit, dedit cum corpore theſaurorum ſuorum claves, profeſſus eos nobiſcum habere communes, nobiſque proinde repoſitos.

Sol occidit, incumbentibus tenebris quiſque ſe ſomno dedit, redit poſtera dies, omnes diſcuſſo ſopore ſurgimus; E myſterium eſt, unius videlicet noctis ſpatio noſter a nobis Judex dirimitur, ſtatim ac diluxerit, ipſum jam adeſſe ſenties. Solicite rem veſtram agite, Fratres, neve torpori, & inutili otio vos ipſi dedatis, exiſtimantes longo vos adhuc diſtentum iri certamine veſtrumque proinde judicium diu protrahendum. Noſtra nos fata ecce premunt, noſtriſque obverſatur oculis ſupremae diei ſpecies, F ut in proſpectu illa eſſe videantur.

Quicumque in moerore luctuque jacetis, veſtram ſuſtinete ſortem tantiſper, dum a Paradiſo, quo tenditis, abeſtis. Quum indictum iter emenſi eo appuleritis, peregrino, quo locus perfunditur, rore veſtrae tergentur ſordes. Felix in eam ſtationem appulſus vos ad eam, quam dolor ademit, jucunditatem evocabit, conceſſa requies terminum laborum ſtatuet, corona beabit. Eſuriem depel-

depellent poma sumentem purgantia, sitim restinguet nectar depulsor errorum.

Felicem pauperem, qui in illam respectat oram circum undique fartam opibus; uniones & lapides pretiosos, quos nostra fert regio, ejus loci dignitas non admittit, sua adyta putat talibus inquinari quisquiliis, ut si quis gemmas & margaritas illuc importet, terram puram & sanctam profanis & immundis mercibus temerasse videatur.

Viri foeminaeque pura prodibunt amicti luce, praesens gloria veteris nuditatis ignominiam obliterabit, turpes membrorum motus subsident, concupiscentiae lutulenti fontes obstruentur, excutietur iracundia, & anima lolio depurgabitur, quasi triticum in Paradiso voluptatis satum.

In beata illa regione exsultabunt virgines; Eva laeta videbit exterminatum serpentem, qui venenum ejus auribus olim infudit; illam porro conspicata ficus ovabit, tuam retracta, dicet, insontem pueritiam; memoranda dies illa vide, ne mente excidat, quando nudata perfugium quaerens, in sinum te meum conjecisti. Euge nunc lauda optimum, qui te, qua nites, purpura contexit.

Illic illustres juvenum acies victoriam sibi mutuo gratulabuntur: Josepho plaudent, qui impudicitiam in insano pectore ferventem caute vitavit, & feliciter elusit: macte animo juvenis, qui aspidem in proprio cubili elisisti, quando Samson ille leonum terror a vipera prostratus jacuit, capillorum insuper abscissionem passus, & Nazarenis insignibus spoliatus.

In illa baetissima regione foeminae conjugalis vitae incommodis periculisque defunctae respirabunt, quali putas gaudio triumphaturas, quum post puerperii dolores, & exantlatos in educatione natorum labores, aspicient parvulos suos, quos pridem extinctos tanto cum luctu, acerbissimaque comploratione extulerunt ac tumularunt, modo vivos veluti teneros agnos per Paradisi areolas oberrantes purpura nitentes, sublimi gradu locatos, & factos omni detersa labe Angelorum cognatos?

Laus sit pio Domino & gratia, qui subolescentes pueros in primo aetatis flore decerpsit, velut postremos senescentis autumni fructus, quos mox in primos transmutaret, hortoque suo transcriberet; novum vides spectaculum, poma sibi congeneres fructus legunt, & agri primitiae ab

A ab agris demetuntur sui similibus, adeo decerpti decerpentibus sunt puritate pares.

Ad Paradisum appellite animum, senes; confidite, afflante Paradisi aura, effoeta vobis repubescet aetas, annis labefacta species reparabitur, ejusmodi metamorphosim adumbravit in sua facie Moyses, quando detrita senio oris venustas refuso divinitus vigore reviruit, quo quale aptius symbolum exhiberi debuit, un-B de intelligeremus victi corporis reviviscentem in caelo decorem?

Justi sine labe nitent, quia omni noxa vacant, nullo aguntur furore, quia nulla inflammantur ira, neminem fallunt, quia simplices & ingenui sunt, nec laedere, nec laedi possunt, odisse nesciunt, quia nec invidere norunt, neminem calumniantur, quia neminem accusant;

C In ea positi altitudine felicitatis atque gloriae torti pro fide Martyres, & ad fidem conversi tortores, statum & locum corporum suorum repente mutatum spectabunt, & obstupescent, suavissimo placidissimoque otio perfruentur, extrinsecus clara voce, intra animi puritate nitebunt, corpora patente animae lumine clarescent.

Quibus pedum, aut manuum vitio D nec incedere, nec reptare prius licuit, jam per aërem volitant; sed & o qualis caecos, ac surdos manet illic felicitas, quibus astra videre, & audire sonos eatenus negatum fuit! qualem enim putas, quam solidam, quam liquidam voluptatem eos hausturos a natura loci deliciarum refertissimi, qualis oculos figurarum venustissimarum species exhilarabit! qua-E lis aures musicorum instrumentorum concentus recreabit?

Probus quisque, qui nefas sibi esse putavit maledicta conviciave in quemquam jacere, hunc enimvero Paradisi pia vota & adprecationes celeri sequuntur pede: cui semper displicuit lascivia & contumacia oculorum, huic admirabilis pulchritudinis aspectus reservatur: qui animi sui acerbitatem mitigare stu-F duit, hujus membra suavissimi liquoris rivi influent.

Puella caducam perosa coronam in eo, quem praeoptarunt justi, thalamo clara micabit luce; lucifuga namque opera & ipsa fugit, sed & virgines, quae a virorum colloquiis sequestratae solitudinem pie coluerunt, caelitum consuetudine epuloque fruentur gratulantibus Angelis, Prophetis exsultantibus, & plaudentibus Apostolis.

Qui

Qui legumina sibi in victum quotidianum delegit, Danielis imitatus exempla, quem iccirco Reges, deposito diademate, submissaque cervice adorarunt, huic Paradisi arbores, quae Prophetae praestiterunt Principes, obsequia deflexis ramis testabuntur, ipsumque sua amoenitate ad suavem sub illarum umbra quietem invitabunt, matutinum rorem suis exceptum frondibus, pomaque e suis pendentia ramis offerent.

Qui pedes Sanctorum lavit, illo perfundetur rore, & illos colliget fructus dextera egentes sublevare sueta. Paradisi flores aegros invisentis coronare pedes certatim ambient, & deosculari plantas.

Sobrietatis temperantiaeque studiosos Paradisi palmites spectant, & istis suos singuli racemos offerunt. Quod si virginitatem abstinentiae adjunxerunt, tales in suum contrahunt sinum caelibes, qui jugalis thori luxum & delicias continentiae castitatique postposuerunt.

Martyres illic suas praeferent coronas praeterito certamine partas, quando pro Domino, tyrannorum aspernati minas impavidi strictis gladiis rogisque ardentibus occurrerunt. Quasi micantia sereno Caelo sydera fulgebunt septem fratres filii lucis, quorum magna triumphi pars ad gloriam Matris redundavit; omnes quippe pari virtute tyranni furorem, decretaque risere supplicia.

Felices oras, in quibus piae foeminae a servitio Sanctorum fatigatae recreabuntur. Ibi videre erit viduam Eliae hospitam in hortum deliciarum receptam, & Paradisi arbores corvis substitutas, subductisque hydriae lecythoque, alimenta ministrantes ei, quae pauperes aluit.

Nullum illic olus inutile, omnes feraces sunt plantae, talibus pasti cibis repubescunt, tali odore afflati reviviscunt. Ejus nempe flores legentibus mortis pharmacum profundunt inexhaustum thesaurum. Nemo illic fatigatur, esurit nemo, nullus rubori locus, nullus errori adest nec poenitentiae, unde abest peccatum, & aerumnis, incommodis, belloque pax, & beata successit quies. Non illic senectus, non mors, non funera, ubi filiorum procreatio cessabit.

Nulla heic animum mordet cura, nullus laniat membra dolor, nullus concutit agitatque terror, nullae instruuntur insidiae, nullus denique tergo incumbit hostis, ubi pugnam diremit palma. Ipsi sibi mutuo bellorum finem sine fine gratulabuntur,

[illegible]

[illegible]

A tulabuntur, redditamque coronam & pacem sempiternam.

Quum oculis forte meis Paradisi species incurrisset, haesi subito moerore profligatus; inde mecum ipse revolvens miserandam cladem meam, meique similium communem vicem lamentabar: En, ajebam, defluxere dies mei, quasi dies una, transacti sunt & evanuerunt, repente raptus raptum non sensi, tot scilicet malo-

B rum concursu perculsus dolori succubui meo: en periere mihi omnia, corona, nomen, gloria, dignitatis insignia, lucida domus, & regalis mensa. Nae ille solus beatus, cui obtigit talibus potiri bonis.

Vos, precor, filii lucis, casum meum videte; vestris, oro, lacrymis unam hanc redimite animam, unde mihi nova acce-

C dat caussa laudandi illam majestatem, cujus dextera ad utrumque porrecta manet, poenam juste repetens, & gratiam misericorditer tribuens; mihi, precor, contingat, ut ingenua erga me utens clementia, misericordiae mihi suae profundat thesaurum.

Illam intrare regionem prohibetur quisquis amari non meruit; nec ego me tali honore dignor; mihi si dabitur per-

D fugium in Paradisi pomaerio, majora non appetam. Paradisum esse dico magni divitis mensam, poma caduca legam, eaque extra Paradisum ex gratia comedam, ut in me illud compleatur: *Catelli comedent sub mensa dominorum de micis.* (*Matth.* 15. 27.)

Tum vero intelligam, quod in actis noti illius Divitis legi, qui decidua a

E prandio panis frustula inopi esurienti negavit: cernam item appositas Lazaro in opulenta mensa dapes: ignea contra fame tortum immitem divitem; inde fiet, ut tua ab extra fremens me terreat justitia, & ab intra spirans gratiae tuae aura reficiat.

Te summe Deus, precor quaesoque, meis fave votis, & jube me in pomaerio considere, ut ejus regionis incolis pro-

F pinquus fiam, & invidiosus externis. Spectare quis potis est gaudium & Paradisum? Merces repensa justis receptis me meae ignaviae redarguet, poena inflicta relictis iniquis quanta in me usus fueris clementia declarabit.

Qui oculi loci aspectum sustineant, vel quae aures ferant voces inferum superumque resonantes, modo iniquos contra aequissimum Judicem in Gehenna vociferantes, modo justos immensas pio remunera-

neratori gratias agentes? respectabunt scilicet se mutuo partes, & manifesta fient singulorum opera, tum bona ad laudem, tum mala ad ignominiam & probrum.

Ne mea, quaeso, acta in illa luce exponantur, qua quidem in parte despicabiles admodum sumus, & despiciendi, dum crimina nostra tibi manifesta aliis occultare conamur. Me miserum, qui personarum rerumque privatarum respectum mihi feci Deum! Averte malum, precor, & propitius praesta mihi, ut te timeam, reverear, & colam, quia benignissimus es.

Quem tu tibi fecisti Deum hunc erubescis, si tuus ab illo deprehensus fuerit error, hunc times, perpetrati criminis conscius. Hujus notae homo laudabile etiam opus laudis appetitione corrumpit; quisquis hoc vitio laborat servorum servum se facit. Bonus impedimenta sustulit, quo minus id quod placebat facere possemus: ipsimet concessam libertatem alieno subjecimus arbitrio. Quid hoc est consilii? Siccine Majestati tuae, Deus, quem ipsi creavimus Dominum, anteferemus?

SERMO VIII.

QUum ea, quae in actis noti illius Latronis leguntur, ad aures meas pervenissent, gaudio cumulatus sum maximo, & anima praesertim mea, quae prae vitiorum multitudine in luctu ac squalore jam pridem versabatur, quaeque malorum consolationem nullam inveniebat, spem concepit maximam in eo, qui Latronis adeo misertus fuerat, unice collocatam, confidens scilicet, se olim, ut Latroni concessum est, Paradisum esse adsecuturam, cujus me vel nomen mirifice recreavit, & omnes, quibus angebar, curae solicitudinesque consedere. Quamobrem remissis animo habenis ad Paradisi felicitatem liberius contemplandam lubens contendo.

Tabernaculum ibi lucis, sedesque splendidissimas prospiciens, auribus accepi vocem, ter beatum fortunatumque Latronem, quod Paradisi claves gratis sibi comparaverit, praedicantem. Hunc proinde inibi praesentem adesse rebar, sed mecum reputans, non posse animam a suo vase ac receptaculo, corpore videlicet, sejunctam Paradisi delicias sensu percipere, in ipso loco jucunditatis laetitiaeque pleno tristitiam cepi maximam, quod arcanorum scrutatio omnis irrita mihi esse atque imprudens videbatur. Latro-

[illegible]

[illegible]

A Latronis itaque ſtatus mihi quaeſtionis faciundae occaſionem praebuit : ſi nimirum anima abſque corpore videndi audiendique vi polleat , cur eadem in illo incluſa detinetur ? Si vero ſeorſim a corpore ejuſmodi ſenſu careat , nec vivere poſſit , cur illo pereunte non moritur ?

Equidem anima ſine corpore videre non poteſt ; id enim peculiare corpori B eſt , ut ſi hoc luminibus orbetur, illa etiam aſpectum amittens , dubiis veluti manibus viam cum eodem praetentare cogatur . Ex quo ſane evincitur, alterum alterius exigere conſortium ; ſicuti enim anima corpus indiget, ut vivat ; ita & corpore anima , ut videndi audiendive munere fungatur .

Rurſus ſi corpus obmuteſcit , anima C quoque ſine voce conſiſtit, ſique illud ex diuturna aegritudine delirare contingat , deſipit & anima, quae etſi a corpore ſejuncta in ſe etiam ipſa recte valeat, corpori tamen unita , conditionem ipſius ſequatur , neceſſe eſt , eo plane modo, quo infans in utero materno conſtitutus parentem conſequitur ; ex eo potiſſimum , quod diſcretionis expers eſt atque ſermonis .

D Si ergo in corpore pueruli anima inhaereſcens tum ſui ipſius, tum ſocii corporis cognitione caret, eo magis ab eodem ſejuncta debilior ad percipiendum erit intelligentiaeque inops , quum ex ſe nullos, quibus utatur, ſenſus habeat, & nonniſi per corporis ſpecies atque inſtrumenta videat, audiat, cogitatumque proferat .

E Equidem laudata deliciarum ſedes nullam rerum patitur inopiam , ſed plane cumulateque perfecta eſt , unde animae ſoli ſenſuum cognitioniſque experti , cui propterea quam multa deſint vides , illuc ingredi non licet , niſi in Reſurrectionis die , quum ſcilicet corpus omnibus ſuis expletum ſenſibus ad abſolutionem perfectionemque perducetur.

Praeterquamquod , quum ſapien-F tiſſimus Mundi Conditor Deus ad nominis ſui laudem corpus humanum veluti organum effinxiſſet, nullius id ſane vocis, aut ſermonis compos fuit ante inflatam in ipſum animam , quae ubi cantus movit , vocem dedere fides , per quas & ipſa ſermonem auditu facilem obtinuit.

Adamum itaque perfectum expletumque omnibus ſuis numeris & partibus Deus in Paradiſum tranſtulit : neque enim ſine corpore anima, vel corpus animae expers illuc

illuc penetrare potuit; sed ambo simul omni scilicet ex parte perfecti integrique sedem illam, in qua nihil ad recte beateque vivendum desideres, adivere, quemadmodum & una sordibus affecti inde excesserunt, atque adeo liquet ambos simul in die resurrectionis illuc rursus ingressuros.

Adamo namque haud solicitam Paradisi custodiam agente, limen fraudulentissimus praedo intravit, pomisque ejus loci, quae alioquin homines cursim surripuissent, minime curatis, ipsum pomarii custodem, atque colonum rapuit perdiditque, quem Dominus noster ad quaerendum egressus in Inferos descendit, repertumque inde eduxit, admisitque in Paradisum, hoc est, in mansiones optatissimas, quae in ejus pomaerio occurrunt, ubi justorum animae consident, & amica sua corpora expectant, ut, quum aditus sibi in Paradisum patefiet, suis conjunctae corporibus clament: Hosanna benedictus qui Adamum ex inferis eduxit, & in Paradisum una cum pluribus intromisit.

SERMO IX.

Job. 7. 1. *Militia est vita hominis super terram*, & in Eden corona gloriae adservatur; nobis scilicet resurgentibus, caelum terramque renovabit Deus, creaturas eximet in libertatem, easque nobiscum exhilarabit: Terrae siquidem communi mortalium parenti, quam propter peccatores non semel ignominia atque execratione affecerat, optimus ille, justorum caussa, benedicet, & cum filiis nutricem instaurabit.

Calicem miscuit diabolus, sua omnibus mortalibus pocula porrexit, laqueos tetendit & retia, ut pios & probos perderet, spinas seminavit & noxias herbas. Bonus in Paradiso succos amaros in dulces servis suis convertet, coronas reddet splendidas, & quia Crucis improperium portarunt, praeteritam ignominiam gloria compensabit.

Si tibi forte sedit, arborem vitae conscendere, en illa tuis occurrit pedibus, submissisque ramis, & curvato vertice ad ascensum invitat, pulvillos capiti component floribus vernantes rami, humilis est, flectitur & contrahitur, hospites fovet & mulcet, non aliter quam uterus maternus infantem.

At tu cuinam credes visum in arbore triclinium omnigenis instructum dapibus, aut

[illegible]

aut opſonia undique certo ordine importata aggeſtaque poma famis ſitiſque remedia roris pixides, florumque ſtromata lavantibus opportuna? tenuis & parvus eſſe non poteſt magni Principis theſaurus, cujus numine rerum copia a principio nata uſque vireſcit.

Renidente Caelo, & ſereno ſub aëre incolae in pomariis convivia agitant: Prata gramen, poma arbores, cataſtromata roſis ac liliis intexta pavimentum ornant. Quiſnam talia vidiſſe, aut audiſſe ſe meminit, umbraculum pomis ſtructum in modum nubis capiti obtenſum, aut floribus tapete textum, inſtar catepetaſmatis, pedibus ſubſtratum?

Aequabili conſtantique amoenitate notabiles fluvii totam circum regionem alluunt, quorum alter te venientem ſtatim excipiet, mox inde digredienti alter occurret, tuo praeterea adventu laeti incolae, alter pomorum calathos, nectaris alter calicem offeret, alius vas rore plenum; alius opobalſama porriget, abluet ille, iſte te unget: ſpecies odoratae heic ad narium oblectamentum uruntur, illic ad aurium voluptatem funditur ſuave melos; mirare & lauda Protoplaſti Conditorem, qui ad tantam felicitatem ipſum condiderit.

Spirantes aurae lenes undique Martham & Mariam repraeſentant, dum ad miniſterium diſcurſant: illud quippe triclinium convivis vacuum nunquam fuit; intelliget enimvero Martha, cuinam olim domeſtici miniſterii laborem aegre ferens obſtrepere auſa fuerit, eum videlicet eſſe diſcet, qui convictores ſuos vocat ad epulum, ubi famuli citra laborem miniſtrant;

Aurae quippe conglobatae aliae cibum, potum aliae ſuppeditant, quod illae miniſtrant, opimat, quod iſtae fundunt, ungit ac lavat. Rem novam audis, flatus exculenta, & poculenta ferentes, fundentes rorem & oleum; inepte tamen rem certam negabis. Quas enim audis, auraè ſpiritus ſunt, nec ſubſtantias a concretione corporea ſecretas corporeo modo afficiunt: quamobrem nec mirum ſi ab ea epulari accubatione longe diſtat labor, ſique nec manus fatigantur, nec dentes, neque ſtomachus gravatur; ſingulare eſt, & admirabile epularum genus, ubi cibi potuſve copia faſtidium non generat, nec officit jucunditati largitas; conſtat nimirum ſine cibo ſaturitas, & ſine potu hilaritas, ubi omnia ſpirituum miniſterio transfiguntur.

Jam

Jam satis istuc arcanum in arvis planè descriptum habes. Terra sparsum semen excipit, mox diffundit, ventus herbescentem ex eo viriditatem fovet, adultam culmoque erectam suo vapore alit, donec gravidata frugem pariat & fundat. Quidni idem praestent aurae benedictionis segeti ratione praeditae & a materia secretae? Quod enim a corporea concretione remotum est, hujus cibus corpus esse non potest.

Aurae igitur intelligibiles intelligentium mentium alimenta sunt; in hunc sensum dicta accipe, quod audis tibi odores suaves parari, opobalsama odorata, opiparas dapes; indeque intelliges, Paradisi cives nec ore, nec manibus ad cibum potumve sumendum indigere; torrens nimirum intelligibilis voluptatis illis cibi, potus, & vestis sustinet & supplet vicem.

Rem oculis repraesentat tritici spica, quam nostra profert terra maledicto subjecta & sentibus horrens; frugem illa, ut supra tactum est, a vento concipit, supremo id rerum Moderatore jubente, vitalis aura lactat utramque, & quasi porrecto ubere nutrit & perficit, unde haberemus ob oculos imaginem epularum, quibus beatissimae mentes mortalis concretionis expertes sustentantur.

Et sane quum frumentum nostro datum corpori alimentum, inque retrimentum magnam partem excernendum videas ambientis aëris utique incredibile videri non debet, fieri posse, ut substantiis incorporeis cibi naturae suae congeneres & liquores subtilissimi ex adyto Paradisi per puras auras subministrentur & adfluant.

Aër alit ignem, & respiratio aëris omnia; sique objicias aëri impenetrabiles esse abditissimos terrae recessus, disce aëris influxum & vim insinuare & pervadere intimos quosque terrae sinus; aetherea nimirum aëris natura communis est rerum parens, se tota totum quicquid est, lactat & nutrit, ab illa suspensa sunt omnia, ipsaque ab illo, ex quo nata sunt omnia.

Errorem jam damnasse suum Chaldaeos credo, quod astra tanti hactenus fecerint, ut ea esse animam Mundi aestimarent, eorumque vi vivere agique omnia. Credimus enim ab aëre, seu aethere contineri, alique solem & reliqua lumina, pecudes, & homines, plantas, & semina, quum, sicut mox ajebam, videamus aëris ductu ali ignem siderum cognatum.

Age

A [Syriac text illegible]

B [Syriac text illegible]

C [Syriac text illegible]

D [Syriac text illegible]

E [Syriac text illegible]

F [Syriac text illegible]

[illegible]

A Age vero, Anima utique aëre noſtro non indiget, praetervolat enim: eadem eſt corporis columen, quod totam ejus ſuſtinet compaginem, alimentaque altori noſtro ſuppeditat, & noſtrum foecundat agrum. Qualem animam eſſe dixiſti, talem imaginare Paradiſi aetherem, ſeu aërem ſubtilem & defoecatum; hic ſubſtantiis a materia ſecretis congruentem miniſtrat victum & ornat convivia: Per B hujuſmodi aëris regiones cogita beatiſſimas meare mentes, & in eundem ſe immergere; immenſae quippe voluptatis eſt interminabile pelagus.

Paradiſi exhalationes per ſe ſolae medicantur eſuriem, uti ſitim, inde expirantes aurae; tanta porro eſt animi voluptas, ut in ſubjectos ſenſus redundet, eoſque infinita rerum jucundiſſimarum C varietate delectet. Quos ergo ea gaudii copia beatos facit, nulla perturbat cura; majeſtatis namque admiratione capti ad ejuſdem contemplationem perpetua mentis contentione feruntur.

Dum praeſens agitur vita eſuriem corpora patiuntur, & appetunt cibum; quum autem vivere deſierint, exanima ſine ſenſu jacent, ut anima eorum famem induere videatur, omne tamen alimento- D rum aſpernata genus de illo unice ſaginari petit, quo omnia aluntur & vivunt, cujuſque claro intuitu ſe quandoque beandam confidit.

Corpora modo in materiam immerſa ad puritatem tunc & candorem animae aſſurgent; Noſtri vero pars melior anima facultates ſuas ita expolitas accipiet, ut mentem nobiliſſimam hominis E partem plane aſſimilet, & ipſa mens perturbationibus nunc obnoxia, perfecta & conſtanti pace potiatur, divinae facta ſimilis naturae.

Praeſtat corpore anima, & ipſa excellentior eſt mens, & mente incomprehenſa Divinitas. Sua corpori anima accommodabit ornamenta; cum anima ſuas mens communicabit dotes, mens ipſa ad Majeſtatis archetypum conformabitur.

F Quum audis corpus ad animae dignitatem promovendum, & animam in mentis decorem aſſurrecturam; mentem vero in divinam transformandam naturam, diſce tuos moderari motus, amorem praecipue ac timorem, & ubique tenere modum, ut otium otioſum tibi non ſit, nec ſine utilitate labor.

Quocirca ſi forte cibi, potioniſque voluptate caperis, intemperantiae tuae ſugillatorem ſenties Moyſen, qui montem

tem ſubiturus nullam reficiendi curandique corporis cogitationem ſuſcepit, ut & a potione remotus formoſior evaderet, & deficiente cibo, mirabiliter ſaginaretur. Vidiſtin' unquam hominem, qui ſtomachi vacua compleret ſimplici oculorum obtutu, indeque ori incredibilem venuſtatem conciliaret, quive ad humoris explendum deſiderium, curandumque cutis nitorem adhiberet cantum? Moyſes hic fuit, qui pſalmorum concentu vires corpori, ori claritatem procuravit & auxit.

Quid iſtuc eſt? in quod tandem excernitur, quod gulae conceditur, ejus certe recrementis oculis nil foedius, naribus nil gravius, onus alvo nil moleſtius, & exceſſu vix aliud corporis valetudini infeſtius. Ceterum ſi epularis te exhilarat accubatio, & lautus ciborum uſus pinguem te facit, qualem reris oblectationem hauſturum animum ex eo deliciarum pelago, in quo ejus facultates ab ubere Sapientiae lactabuntur, vel quantam voluptatem redundaturam puram cernentibus lucem a Patre per Filium diffuſam, & quam jucunda ſpectacula exhibenda juſtis? nec enim talia quis unquam vidit: hi ſcilicet ſunt, quos audiſti laboraſſe, vigilaſſe, cum vitiis decertaſſe, & omnes exorbuiſſe difficultates, ipſi modo epulantur ſplendide, & inebriantur torrente voluptatis defluente a claro Divinitatis obtutu.

Sic enim illa ſe diffundit, ut nihil ipſi decedat, ita omnia complectitur, & velut theſaurus comprehendit. Omnibus proinde pro cujuſque modulo ſe impertit, & velut redacto velo ſe conſpiciendam offert. Clariſſima & puriſſima lux eſt, amoris ſui abundantia omnia colluſtrat: ipſe quidem in ſe pleno orbe nitet, exiguum tamen eſſe oportet quicquid extra ſe rebus, quae vere magnae eſſe non poſſunt, diſpenſat. Non habet Genitor extra Unigenitum, qui ad immenſae ſuae gloriae radios non conniveat.

Attamen qualem quiſque, dum vita manebat, ſuis oculis perſpicacitatem comparavit, talem moriens feret ad cernendam Divinitatis Majeſtatem, quales heic nactus eſt aures, talibus utetur illic ad audienda ſupremae Sapientiae oracula, qualem heic adeptus fuerit altitudinem mentis, cordiſque amplitudinem, talem illic inveniet magnis cumulandam beneficiis.

Summus ille rerum Dominus ſua dona cum ſuſcipientium qualitate metitur, vultus proinde ſui lumen noſtris attemperat

perat oculis, & auribus ſuas admodulatur voces, & quibus ſe laudari modis velit ipſe docet; ſed & quibus ad beatitudinem ducimur, auxilia ab ejus gratia nobis affluunt; ipſa vero gratia celſa ſublimis nullius ſe mancipat ſervitio, permeat ſapores & condit, odores acuit, colores illuminat, animae facultates verſat, laudum ejus buccinatores habet Caelitum choros, quos alit cantus, lux veſtit, & Divinitatis fulgor illuſtrat, divinae gratiae chariſmata illorum corda meditantur, eructant fauces, ipſorum quippe ora ſunt ſapientiae fontes, & pectora ſedes pacis, oculi veritatis teſtes; nec citra periculum eſt illorum rationes diſquirere, nec eorum praedicare laudes ſine quaeſtu.

Utinam, Domine Deus, mihi meiſque contingat invenire relicta gratiae tuae fruſtula. Dilecti tui obtutus beatitudinis eſt fons, ut quiſquis in eum ſe merſerit, omnium inde ciborum oblivia trahat; quiſquis enim te aſpicit, aſpectu tuo ſaturus nihil extra te appetit: ea eſt immenſae pulchritudinis tuae vis.

SERMO X.

NOn tibi ſi adſit ſumma dicendi facultas, Paradiſi magnificentiam enarrare queas, nec ſi lingua diſertiſſimus ſis, ejus ornamenta deſcribere, ſed nec ſi mente perſpicaciſſimus ſis, adhuc ineptus es ad conſpiciendam ejus pulchritudinem. Quum itaque oculis impenetrabile ſit, quod intra Paradiſum conditur, quae extra poſita ſunt, pervagabor admirabundus, quo tandem intelligam, quam longe abſim a ſummo.

Aër a proximis ſuapte natura mutabilis, omnes in Paradiſo induit anni tempeſtates, ſic, ut quod habent optimum, ab ipſis accipiat; quamobrem non ibi triſtis alget Februarius, ita vim omnem hyemis retundit jucunda Caeli temperies, & perpetuo renidens ſolis fulgor in Majo menſe quatit; ſed nec illic gelu torpidus riget December aſper horridus, ſed Auguſto menſi ſimilis pomis ubique vernat; talis item Junius, qualis Aprilis, lenibus auris calores ſuos Julius mitigat, uti ſuos copioſo rore September, reliqui menſes injucundi & horribiles miteſcunt continuati junctique aëri Paradiſum ambienti, ejuſque ſuaviſſimo halitu ſuffuſi.

Per omnes anni menſes ſoli fertilitas ſe movet, plenoque ſinu flores effundit, quibus per omnes anni tempeſtates corol-

las intexit Paradisi pedibus, caput attingere non ausa. Non illuc furentes venti, non turbines grassantur, quippe ac pacis & tranquillitatis sedes turbulentis flatibus impenetrabilis est, illorum impetus elidente, qui Paradisum obsidet, vapore, ne videlicet ipsorum contagione inficiatur purissimus aether, cujus aura mortalibus vitam profundit immortalem.

Quam enim spiramus, auram foeminae quidam similem esse dixerunt duodecim nuptae viris; totidem namque annum componunt menses, a quibus illa opprimitur & gravidatur.

Talis certe non est sacra & purissima regio Paradisi, nec tales patitur congressus; infoecunda tamen non est, sed suas profert fruges, suis congeneres floribus, aestuant in beatissimo illo solo fontes, factoque gurgite lato gremio patescunt in flumina vini, lactis, butyri & mellis. Commissum December diffundit semen, & elicit herbescentem ex eo viriditatem, subsequens mensis spicas effert maturas, insilit mox Februarius, & adultam arvorum gloriam, demessa segete, aufert.

Quatuor temporum mutationes divisi in totidem spatia menses efficiunt. Ver primas mittit fruges, aestas maturat segetes, autumnus postremos anni foetus educit, relaxat curas gaudium, hyems annum coronat, quietem & otium parit.

Luna mutabilis multa mutat: ea nascente flores erumpunt: eadem adulta, plenoque jam orbe nitente, augescunt & pubescunt: mox illa senescente ac demum nulla, illi flaccescunt & extinguuntur. Mensium exitus signat, & eorum proinde interitum & ortum Kalendae, est luna quasi clavis, uterum naturae aperit & claudit.

Paradisi stirpes & plantae suas singulae habent proprietates, implantantur tamen aliae in alias. Florum duas ecce vides propinquas species odore, calore diversas. Jam si surculum ab altera resectum diffisso alterius ramo implicueris, continuo insitus surculis alium a caule seu a caudice florum speciem profundit; idem in pomiferis quibusve stirpibus accidit; procedente namque insitione continuo apparent aliae frondes, alii flores, & alia poma. Paradisi plantas foecunditas nunquam destituit, nec frugum interdicitur messis: heic primis foetibus proximi succedunt secundi ac tertii, secundi primorum velut terga premunt, gemelli quales alter alterius apprehendit plantam.

Hu-

[illegible]

A Humanae heic fobolis propagationem & perpetuam feriem agnofce. Vides fenes, juvenes, & mediae aetatis homines, vides heic fœtum jam editum, alios illic prope edendos. Qualem frugum in Paradifo periodum audifti, curfum talem in noftro genere obferva; per omnes videlicet aetates decurrit, perque omnes hominum claffes, fenum, juvenum, puerorum & infantium. Parvuli ab ubere pen- B dent, foetus in ventre formantur; fimili, ut dixi, fluxu feruntur, feriores fuccedunt praecoquis & permifcentur Paradifi fruges, perinde ut unda undam tradit, & cum illa fe mifcet.

Beatum ipfe mecum dicebam reum; fiquidem ad confinia Paradifi delatus in Patronum incideret, qui in ejus pomaerio humile tectum, & parcum victum ei qua- C licumque conditione tranfigeret; quum talia cogitantem perculit metus, ne quid perperam agerem dubitando, num vita functos medius inter Paradifum & ignem locus exciperet, eoque detenti carcere punirentur fontes? Hic erat hac in re fcrupulus, quum audio talia monentem, quin tu aequiffimum illum fupremum rerum Dominum laudas, qui donorum fuorum profluentem ex toto nunquam in- D tercidit, quominus etiam ad peccatorem excurrat, ejufque rigent nubes utilibus imbribus agros? Quidni ergo tanta bonitas illum ignem pio humore perfundat, ejufque acerbitatem fuo rore refrigeret?

[illegible]

SERMO XI.

Paradifi aura fuaviffimus fons eft, Ada- E mus lac inde fuxit natus, eoque alimento crevit, inde animo voluptas robur corpori, ori decor & pulchritudo manabat. Quum autem violaffet mandatum, continuo incubuere reo luctus & dolor, aerumnae & calamitates, poftremum heu quam gravis farcina fenectus?

A Paradifo abfunt ifthaec omnia, nec voluptatis hortum infeftant frigus & F aeftus, & quae temporum viciffitudines triftia vehunt. Quum ergo ad eum portum appuleris, illic te omnium bonorum complexio feliciter excipiet, audies fidicines cytharis, & tympanis mutuo certamine colludentes, & ovantium fociabere choris, carmen triumphale Hofanna canentium, & laudantium Deum.

Otium fecuritas, ac tranquilla quies ubique regnat, muros & pomaeria aeterna pax obtinet. Cherubim Paradifi

custos tibi occurret, domesticis affabilis & comes, terribilis contra externis, iis scilicet, qui locum sanctum, & purissimum impuris manibus despicatum habuerunt.

Sincera sunt ista, nec illita fuco; sed nec admista materiae, nec enim corporea sunt. Cave, ea condemnes, quae mortalis Judicis cognitioni non subsunt. Quamobrem etsi indoctis ad obviam vocum significationem haerentibus terrenus videatur Paradisus, hujusce tractatus subjectum, reapse talis non est, terreno quamquam adumbratus, sed locus purus, & a materia secretus. Vocabula quidem utrique Paradiso communia sunt; at tu sacrum a profano excernito. Nec enim res arcanas, & a sensibus abstractas pingere cuipiam licet, nisi a conspicuis & patentibus colores mutuetur.

Enimvero si Paradisi Conditor ejus magnificentiam nostris non vestiret vocabulis, qua arte illius natura, proprietates, & ornamenta exponenda forent? Quisquis ergo ad hunc, quem dixi, scopulum haesit, & propriam verborum significationem, quae suprema Majestas ad ipsius captum profectumque usurpavit, inepte attendit, ejus auctoritati detrahit, ostenditque sibi haudquaquam satis compertam magnam summi Dei benignitatem, qui sapientiam ad nostrae infantiae modos demisit; quum enim mortalis natura ab ipso immensum distet, nostra nobiscum agens vocabula adhibet, ut nos ad suorum conceptuum intelligentiam promoveat.

Ne tuam ergo mentem animumque perturbent vernacula illa, quae in exponendis Paradisi deliciis adhibui, nomina; id enim factum crede, non quod terrenis ille symbolis, aut comparationibus egeat, quibus expressa ejus pulchritudo atque suavitas fit profecto perfatua, & admodum vilescit; sed quia rudis adeo atque hebes est nostrorum ingeniorum acies, ut tantam Paradisi praestantiam citra corporis species adsequi non valeat: neque enim caelestes ejus radios infirmis mortalium oculis intueri licet; quamobrem ineffabiles Paradisi voluptates nostrarum Deus arborum figuris expressit, nominibusque ficuum & foliorum nuncupavit, utque spiritualia ipsa, quibus Paradisus constat, nostro captui accommodarentur, ad corporeorum quodammodo rationem traduxit.

Caelum vides, indeque micantia astra admiraris? atqui illius terrae flores isthaec suo splendore occultant lumina, numeroque etiam superant. Odorem, quem Paradisus

[illegible]

A radisus exhalat, morborum alexipharmacum esse deputa ad nostram terram transfusum, veteri maledicto profligatum, ejus scilicet loci exhalationes antidota sunt veneni, quo Serpens totam naturam infecit & corrupit.

Bonus aurae bonae vapor expiratus Caeli inclementiam temperat, expiatque terram veteri delicto contaminatam, suo idem spiritu Mundum laborantem recreavit, B quando ei vitale pharmacum effudit.

Spiritus namque Apostolorum coenaculum concussit, mentesque nactus idoneas suo odore perfudit, inde suos instituit praecones, quorum opera ad erudiendos & convocandos, quos suo convivio destinaverat, convivas uteretur; gestit enimvero videre suum multos celebrare triclinium : C ea est Dei in hominem bonitas & amor.

SERMO XII.

OBsecro quaesoque, Domine, tua me bonitas tuis praestet dignum beneficiis; aromatum ea est & odoratarum specierum myrotheca; me misere esurientem illa reficiet, ejus spiritu cuncta vivunt, D & cui eo afflari contigit, hausta inde voluptate omnem cibi appetitionem penitus extinxit : ea est regalis mensae vis. Illum laudare memento, qui in Paradiso tale convivium parat.

Inde mihi incidit cogitatio, incessitque anxia cupido sciendi, quod ignorabam, quod scire autem verebar, quod puderet haberi impudentem, quod ille meae E inspector mentis comperiens, quaestionem mihi natam scite vestivit & explicuit; dicenti fidem habui, quod enim volebam, totum expressit & exposuit.

Id porro erat, quo indice serpenti, qui protoplastum decepit, occulta veritas patuisset? Tum ille serpens, respondit, arcanum didicit, quod tamen ipse sibi ex ingenua sua sapientia compertum credi volebat, audivitque Deum Adamo caventem, F ne arborem scientiae boni & mali contingeret; hujusmodi praeceptum audivit veterator nequissimus, & probe intellexit, indeque incauto agricolae fraudem machinatus est, suasitque, ut immaturos fructus carperet; inde factum, ut poma, quae maturo tempore decerpta vitalia & salutaria fuissent, perverso temporis ordine sibi mortifera evaderent. Veritatem callide texit, quippe qui non ignoraret suis contraria promissis eventura proto-

protoplastis mandatum violantibus. Beneficium scilicet, si eo praeter legem utaris, maleficium fecisti.

Oziam regem sequere templi penetralia impie temerantem, Pontificatum infelix quaerebat, regnum amisit. Adamus quaestum meditabatur, sua conduplicavit damna. Agnoscite, Fratres, expressam in adytis templi arboris vetitae aream, & in thure ab Ozia incenso pomum ab Adamo decerptum; lepra punitus Rex, ignominiosa denudatione protoplastus. Scilicet inde malum erupit utrique, unde velut ex publico aerario magnas sibi uterque opes somniabat.

Interea parabatur nostris medicina malis, quam ille demum attulit invictus bellator, quem Diabolus intuens iis indutum armis, quibus olim instructum Adamum ipse dejecerat, novum hostem derisit, nec intellexit quocum adversario negotium ageretur; quod enim Diabolo terribile & maxime pertimescendum fuit, latebat; palam prostabat, quod ejus alebat spem; sed a sua miser opinione falsus, qui de victoria quasi jam parta triumphabat, conserta pugna victus succubuit.

Geminas rerum Conditor sevit arbores in Paradiso, arborem vitae, & arborem scientiae, binos videlicet omnium bonorum fontes. Duae nimirum sunt res, quae hominem Deo similem faciunt, vita morte immunis, & ab errore libera sapientia.

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAEM SYRI DE DIVERSIS SERMONES DUODEVIGINTI.

A SERMO I.

UTinam fortunatis illis temporibus vixissem ad hominum reparationem divinitus praefinitis ! Utinam diem auspicatissimis Christianae Reipublicae fastis notandum , & ad annunciandam universo Mundo felicitatem designatum vidissem ! Utinam factum foret, ut Caelesti militiae Deum magnifice laudanti socius adjungerer ! At quoniam indignus plane sum , ut tantum mihi honoris tribueretur, hoc mihi nunc saltem detur, ut illuc me caritatis ardore conferam , ubi nova ista lux caecis mortalibus eluxit ; atque Angelos comitari , eorumque gaudii ac voluptatis participem fieri , tum aliqua de Incarnati Verbi laudibus , majori qua fieri potest, animi puritate contexere liceat.

De Nativitate Domini.

B

C

Quem Prophetae multo antea venturum promiserant , suis tandem cytharis celebrarunt : quem Pontifices ardentissimis expectaverant votis , plaudentes magnificaverunt ; Reges , e quibus continuato generationis ordine descendit , coronas & sceptra detulerunt formosissimo virginum Regi , e Virgine genito , qui quum Rex Regum sit , regno omnes donavit ; quum summus sit Pontifex, veniam omnibus impertivit; quum Dei Agnus , mensam fidelibus exquisitissimam praeparavit.

D

En , Domine Jesu , regales Urbes certatim confluunt tibi coronas aureas oblaturae. Bethleem , Cana, Nazareth, Bethania , Sichem , & reliquae civitates , quae te excipere promeruerunt, te prae cunctis Regem consalutare gestiunt.

Prima

A Prima tibi coronides ab ea, in qua editus es Urbe decernitur. Duo tibi dat diademata, quae te genuit mater, quaeque te excepit spelunca. Reliquae deinde Urbes, quas tenent coronas ad pedes abjiciunt tuos. Quod enim supraemae tuae Majestati deferunt munus, id a te acceperunt; unde nihil sumis, quod non prius impertiveris.

B Tua te adoret Genitrix, tuoque capiti diadematis ornamentum superimponat, ceu Salomoni propria quondam imposuit mater; etsi hic ceteroquin Ethnicam pravitatem sequutus, suae honorem dignitatis depresserit. At tu Davidicam, ex qua profectus es sobolem amplissime decoravisti: tu ipsius thronum magnifice elavasti, familiam longe lateque propagavisti, & ejus citharam ubique provexisti.

C Eadem tua Parens inclyta in omnium ore diutissime vigeat: qui te gestavit uterus benedictione repleatur. Josephum nemo digne laudare poterit, quem tu, vere & naturalis aeterni Patris Fili, patrem adoptivum habere non recusasti; tu, pastor amantissime, missus ad quaerendas, quae perierant, oves tamdiu laboravisti, donec inventas ad ovile reduceres.

D Quod tantum conceperim filium, sic enim Virginem Mariam secum alloquutam fuisse credibile est, id me prae omnibus, qui salutem adepti sunt, mirifice recreavit: quod ipsum genuerim, me supra omnes sanctitate eminentes viros decoravit. Ingrediar modo in virentia Paradisi pomaria, ibique Deum laudabo, ubi Eva misere concidit. Hoc fortasse non parvi momenti erit, quum in matrem me elegerit, seque mihi in filium esse dignatus

E fuerit, quoniam ipsi prae omnibus aliis mulieribus placui.

Bethleem tibi gratias agat, quas potest maximas, quandoquidem in ea Urbe nasci voluisti, & coronam Micheae vaticinio jampridem praenunciatam tibi innectat. Huc Prophetae, Regesque adsint, festumque diem solenniter agant; ac prae ceteris & Moyses gaudeat, qui insignem

F hunc partum subobscuris aenigmatibus adumbravit, & Esaias, qui laeta mysteria detexit, & Salomon, qui Parabolas posteritati reliquit.

Quem in lucem edidi infantulum, ex invisibilis Patris sinu prodiisse, eumque esse, quem tot praeclarissimi asseruere viri, constanter profiteor, meque supra omnes Angelorum choros collocandam confido, ut scilicet in sublimi Caelorum vertice illius perpetuo laudibus vacem, cujus

cujus gloria Caelos replet, & cujus Majestatem, modo sub praesepii humilitate attenuatam, universus orbis circumplecti non valet.

Hujus itaque partus magnitudinem infimis pecudum custodibus Angeli nunciarunt. Te novum aquae vitae fontem superi sitientibus mortalibus aperuere, quem tamen siccis eorum labris oblatum ne leviter quidem attigerunt. O fontem uberrimum dulcissimumque ab Adamo minime degustatum, qui novissime in duodecim rivulos discissus est, per quos salubres toti humano generi defluxere humores!

Tibi interim, speciosissime Puer, coronam aliam justus cordatusque conjux Josephus porrigit; ille nimirum, quem olim dubium haerentem exagitatumque Angelus eidem in somniis apparens confirmavit; ille, qui te ex Aegypto subduxit; dignus propterea, cujus dignitatem amplifices; eo vel maxime, quod summa hominis integritas, praeclarum dedit divinae tuae innocentiae ac sanctitatis testimonium.

Optarem, Deus sapientissime, ut mihi, si liceat, indicares, quonam pacto, quave de caussa ex virginali utero egressus sis. Certe, ni fallor, tuam nativitatem Adae compactio praefiguravit; Iste siquidem de intacta, & nondum aratro exscissa terra formatus fuit; tu pari prope ratione ex intemeratis filiae David Sponsae Josephi visceribus, secreto virili commercio procedere voluisti.

In sacra Regum Geneseos Historia sola virorum exprimuntur nomina, quin ulla foeminarum mentio fiat; quum nullo pacto consentaneum foret, ut earum genealogia describeretur. Qua de re puerum sub matris nomine conscribi non decuit.

Filius David Joseph Davidicam sibi desponsavit filiam, ex qua prolem fine semine habuit, quae Mariae pariter proles fuit, licet ipsa nunquam virum cognoverit; & sic ex utroque Tribus ipsorum sobole ditata est augustissima, quae *Filius David* in laudata Regum Genesi apposite nuncupatur.

Turpe profecto erat, Christum ex viri semine procreari; nec honestum, ut idem ex femina citra conjugem nasceretur. Edidit Maria infantem, qui non sub ipsius, sed sub Josephi nomine scriptus est, licet ex hujus semine non derivatus. Ortus est sine Josepho Josephi filius, qui Davidis filius simul & parens exstitit.

Quum de tam sublimi mysterio sermonem Moyses institueret, sponsam Virginem

ginem uxoris vocabulo appellavit; sponsum vero, qui ab ipsa religiose abstinuit, conjugem dixit, ne videlicet quis Davidicum genus extinctum suspicaretur; sine viro enim quî fieri potuisset, ut Christus filius Davidis haberetur? Quare conveniens fuit, ut virginis sponsus conjugis personam gereret. Ipse pariter Dominus ex progenie David se ortum fassus est, dum ejusdem filius vocari non repugnavit.

Jamvero si Christus, viri a sua stirpe longe dissiti, filius nominatur, eo quia in ipso sibi Deus complacuerit, quis veram Jesu Christi secundum carnem nativitatem in controversiam adducere audeat, dum Christus ex filia David conceptus, & in gremio filii David enutritus, in Civitate David adoratus fuit?

Haec omnia dum tacitus contemplor, improviso quodam studio rapior sciendi quidnam egerit, aut in quo occupata Virgo fuerit, quum Dei Nuncius Gabriel ipsam adiit. Eam quidem orantem invenisse verisimillimum est, quemadmodum & Danielem identidem orantem reperit. Orationem fausta solent nuncia subsequi, quibuscum conjunctissima familiaritas cognatioque intercedit, qua sese mutuo recreant & inflammant. Id quam constet, clare conspexerunt pauci, quos Noaci Arca excepit, viri, quibus columba, orationis gratia, prospera nunciavit. Abrahami fiduciam oratio auxit, & Ezechiae tribuit, quod assiduis suspiriis postulaverat. Eadem spem Centurionis inflammavit. Ipsa Simeon voti compos factus est, & Zacharias in ipsa thuris oblatione desperatam prolem se obtinuisse accepit.

Fausta quaeque in oratione, veluti tutissimo in portu conquiescunt, quum sit eorum omnium basis & fundamentum. Quare Angelica annunciatio in Mariae oratione gaudiorum omnium caussam deprehendit. Hinc Gabriel, ea salvere jussa, inquit: *Ne timeas*. Animadvertendum vero est, Archangelum sub venerandi senis forma missum esse, ne tam casta, tamque verecunda puella juvenili turbaretur aspectu, nec timore ullo corriperetur.

Ad binos optimos senes, & ad Virginem delegatus legitur Gabriel, quorum ingenia erant arcte inter se connexa, & in voluntate prope simillima; Virgo nempe, sterilis Zacharias, & fidelis Daniel. Hic postremus nasciturum brevi Dominum prophetica prius mente concepit; alter vocem clamantis in deserto edidit, Maria denique Dei Altissimi Verbum ad lucem produxit.

SER-

A

[illegible]

SERMO II.

De Christi Passione, & Resurrectione.

FElix, qui praesens adfuit, spectavitque stupens Josephum dimicantem, & vincentem, quum scilicet insanientis mulieris speciem declinavit, ipsiusque blanditias ad libidinem incitantes aurium obstructione delusit; quo factum est, ut fatua mulier eum ipsum, cui pallium detraxerat, summis laudibus cumulare vel invita cogeretur.

B

Felix, qui Arcam ingressus est, mutuam ibidem amicitiam contemplatus. Leo siquidem & taurus, agnus & lupus, serpens & columba, avis & accipiter concordissime inter se & amica societate conjunctissimi vivebant. Hinc etsi propria cujusque animantis natura nullam passa fuerit immutationem, ipsorum tamen appetitio maximam variationem sensit. Benedictus qui ligando & solvendo se omnium Auctorem, Conditorem, & Dominum esse declaravit.

C

Felix, qui Ecclesias ingressus, idem consensionis vinculum fideles inter admiratur, quod fuit in Arca muta inter animalia; neque ullum superbia, dissidiis, aut scissuris a gratiis Deo persolvendis abalienari videt, ita ut homines velut membra ejusdem corporis, & mulieres velut sorores, seu potius ejusdem viri conjuges appareant. Servetur, obsecro, & inter nos sancta societas, perpetuae pacis conservatrix, illique benefico, liberali, optimo laus sempiterna statuatur, qui tot sacra mysteria in Noaci Arca ad nostram utilitatem praefiguravit.

D

Age itaque, aliqua de Dominicae Resurrectionis gloria breviter proferamus. Tria sunt, quae mense Aprili, in quo nempe Unigenitus Dei Filius devicta morte exsurrexit, homines insolita hilaritate recreant; Terra scilicet variis circumvestita floribus; Aër fulgido avium colore distinctus; Caelum splendentioribus depictus radiis; Idque evenit non temere, nec casu, sed virtute & consilio. Nam sicuti elementa ista in sui Creatoris funere luctum tristitiamque praetulerunt, ita decet, ut in ipsius triumpho sanctissimum faustissimumque diem majori, qua fieri potest pompa, venustiorique apparatu celebrent.

E

Annus quoque omnium mensium dierumque parens, cum horis & momentis omnibus, quae ab ipso pendent, mortis Victorem per filium suum Aprilem adoravit, quemadmodum Rachel per Jacobum

F

cobum coluit Josephum, quem Dei filium graphice exprimentem Sol, & Luna anni moderatores adoraverunt.

Agnus in plenilunio Aprilis Aegyptiacam tyrannidem subegit, Deique populum e servitute, sub qua tandiu gemuerat, in libertatem vindicavit. Huic populo ignea columna in nocte, & nubes in die, fidae itineris sociae, viam indicarunt. Agnus autem veritatis in eodem plenilunio Aprilis cruenta sua immolatione solem obscuravit, ut nimirum ostenderet, luce omnino indignos esse, qui debitis cum divina justitia contractis tam nefaria & inaudita crudelitate satisfecerant.

Uterque igitur paschalis Agnus longe disparem exitum habuit in Aegypto ac in Sion; in Aegypto enim, sublatis gentibus, Hebraei salutem, in Sion vero, Judaeis extirpatis, gentes filiorum Dei dignitatem obtinuerunt.

In plenilunio Aprilis hilaritas quaedam insolens in omnium fronte renidet ex paschalibus resultans gaudiis; nam quem luctum ob pristinam obscuritatem induerant, eum modo deponunt, exultantque inter se populi, quorum solennitates modo sunt Deo jucundissimae.

Mense Aprili Dominus Adami debitum solvit; Aprili sudorem pro frustraneo ipsius Adae sudore effudit; Crucem pertulit, ut per arborem eriperet, qui per arborem ceciderat. Agnus Feria sexta immolatus occubuit, quia videlicet hac ipsa die Adam peccavit, eademque die Latro oblatam sibi beatitudinem excepit. Mensem, in quo Adam praevaricatus est, Aprilem fuisse probabile est, nam quum dies diei aptissime quadret, nihil obstat, quo minus mensem itidem mensi vicissim respondere existimemus.

SERMO III.

De laudibus Dei Genitricis Mariae.

Quicumque, Fratres carissimi, miram illam, ac prorsus inauditam rationem, qua Unigenitus Dei Filius nostrae reconciliationis mysterium peracturus, novem integris mensibus virginea in alvo delituit; quaque fragilis nostrae mortalitatis natura ad immensam Divinitatis gloriam gestandam fuerit roborata humanae imbecillitatis viribus perscrutandam sumat, cogetur profecto tanti facinoris excellentia perterritus obmutescere.

Divinorum propterea arcanorum missa vestigatione, dum pauca de Sanctissimae

A mae Dei Genitricis laudibus dicere aggredior, primo in limine maxima ipſius verecundia occurrit, quam Deus olim Moyſi in Monte Horeb ſub Rubi imagine praemonſtravit. Nullum iſta detrimentum paſſa eſt, ſive quum Verbum in illius uterum deſcendit, ſive quum expleto novem menſium curſu ad lucem prodidit.

Exod. 3. 2.

In hac Chriſti Domini nativitate duplex prodigium admirari ſubit; Chriſtus B ex virgineis viſceribus nullo hominis commercio labefactatis egreditur; Chriſti Praecurſor Joannes praeter communem naturae ordinem naſcitur. Virgo Deum parit; ſterilis Virginem. Mariae uterus divina praeſentia ſanctificatur; exultat Joannes de Chriſti praeſentia, qua adhuc in utero clauſus fruitur.

Luc. 1. 41.

Qui Caeli nequit latitudine commenC ſurari, en modo exiguis jacet in cunis: qui mare pedum veſtigiis concludit, en brevibus praeſepii anguſtiis continetur; qui Caelos ſuae gloriae magnitudine complet, nunc totam in ſpecu Majeſtatem contraxit.

Hujus faciem Moyſes olim videre geſtiit; ipſam tamen perfecte intueri non potuit. Huc modo adſit, eumque arctis ſub faſciis vagientem intuens obſtupeſcet. D Nemini mortalium tunc temporis fas erat videre Deum, & vivere; nunc vero qui ipſum viderint, triſtem interitum evitabunt.

Occultiſſimum Moyſes Rubi myſterium ſtupens mirabatur; id Magi Regem gloriae proni adorantes manifeſtiſſime declararunt.

Vox e Rubo Moyſi perlata ipſum adE monuit, ne calceatis ad ſacrum collem pedibus accederet; ſtella vero Magos ad praeſepe Dominicum tacite invitavit.

Moyſes etſi Deum facie ad faciem alloquutus fuerit, non ideo tamen divinae naturae praeſtantiam intueri potuit; at Magi Deum ſub mortalibus exuviis clare conſpexerunt.

Quemadmodum ergo diverſae inter ſe ſpeluncae, invicem quodammodo coF haerere dicuntur, ita & Moyſes Magis Perſidis Principibus aequiparari non immerito poteſt. Id qui fieri valeat, ex Deo, uti ſapientiſſimo myſteriorum auctore petendum eſt. Satis hoc dixiſſe erit, quod niſi eos Dominus ſuae magnitudinis promulgatores ſtatuiſſet, nunquam ex impuris eorum manibus obſequia, ac munera ſuſcepiſſet.

Moyſes myſteria adumbrabat, eadem Dominus implevit. Inſolitus Moyſi ſplendor

dor ex divina allocutione resultavit, suamque faciem velamine contexit, ne in ipsam vulgares omnium oculi libere defigerentur. Pari quoque ratione Dominus noster carnem assumsit, ut sub corporearum rerum symbolis hominibus appareret.

Signum magnum apparuit in terra nostra; in ipsam etenim universorum Conditor delapsus est: mortalem Deus formam accipiens, communem nobiscum vitam agere voluit; Supremus omnium Dominus se ad vilem servi conditionem effingens, quod a suae Majestatis dignitate abhorrebat, idipsum sibi imponere non recusavit.

Quis ergo Angelorum Regem non in aedium regalium magnificentia, sed in humili pastorum stabulo, muta inter animantia natum contemplans, admiratione non corruat? Non sunt haec, Fratres carissimi, non sunt captiosa quaedam humani ingenii sophismata, aut inanes eloquentiae ostentationes, de quibus ambigere aut suspicari liceat.

At vero operae pretium me heic facturum existimo, si hujusce praeclari operis seriem paulo altius repetam, ne quid gloriae Mariae Virgini debitae silentio praetermisisse arguar. Illuxerat jam laetissimus ille universo orbi dies ad humani generis reparationem praefinitus, quum extemplo Dei nuncius Gabriel ad Virginem delegatur; ad quam ingressus, ipsi Dei verbis prius consalutatae legationis negocium declarat. Rei novitate perculsa Virgo primo perturbatur; deinde, timore posito, ab Angelo querit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Cui Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quibus illa cognitis, ne diutius divinae voluntati obsisteret, subdidit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.*

Luc. I. 34. 35.

Ib. 38.

Ex quo itaque Maria Virgo supremis Dei decretis obtemperavit, Verbum statim in ipsius uterum descendit, quin virginalis pudor frangeretur, aut minimus corpori dolor accederet. Quapropter speciosus in splendore suo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, exinanivit semetipsum, ut quod Adam per inobedientiam destruxerat, ipse per humilitatem resarciret.

Eccl. 48.12. Jo: I.

Sileat quicumque audit Dominicae Nativitatis Sacramentum, & Angelicam legationem devota fide veneretur, non curiose vestiget; neque enim divinae omni-

[illegible]

omnipotentiae difficile fuit Reparationis opus pro nobis susceptum ex nobis inchoare.

Maria ergo hodie Caelum pro nobis facta est divinitatem portans, quam Christus absque eo, quod a paterna gloria recederet, intra angustos uteri limites conclusit, ut homines ad altiorem dignitatem extolleret. Hanc solam ex universo virginum coetu elegit, ut nostrae esset salutis instrumentum.

In ipsa terminum habuere Justorum, ac Prophetarum omnium vaticinationes. Ex ipsa splendentissimum illud Sydus prodiit, quo duce populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.

Diversis Maria nominibus potest aptissime nuncupari. Ipsa namque templum est Filii Dei, qui ex eadem alio plane modo egressus est, ac fuerat ingressus; quum enim ingressus esset in uterum sine corpore, corpore indutus erupit. *Ef. 9.*

Ipsa est mysticum illud Caelum novum, in quo Rex Regum tanquam in sua sede inhabitavit, ex quo in terram delapsus est, terrenam quandam speciem & similitudinem praeseferens. *Apoc. 21. 1.*

Ipsa est vitis fructificans suavitatem odoris; cujus fructus quoniam ab arboris natura admodum discrepabat, necesse fuit, ut suam ab arbore similitudinem mutuaret. *Eccl. 14. 13.*

Ipsa fons est de domo Domini egrediens, ex quo sitientibus fluxerunt aquae vivae, quas si quis primis dumtaxat labiis gustaverit, non sitiet in aeternum. *Joel. 3. 18.*

Errat autem, dilectissimi, quisquis hodiernam Reparationis diem cum altera Creationis comparari posse arbitratur. Initio namque terra condita est; hodie renovata; Initio ob Adami crimen maledicta est in opere suo, hodie vero pax illi & securitas restituta. Initio protoparentum delicto in omnes homines mors pertransiit; hodie vero per Mariam translati sumus de morte ad vitam. Initio Serpens Evae auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit; hodie Maria ex auribus perpetuae felicitatis assertorem excepit. Quod ergo mortis fuit, simul & vitae exstitit instrumentum. *Genes. 3. 17* *Rom. 5. 12.* *Jo: 3. 14.*

Qui sedet super Cherubim, en modo muliebribus brachiis sustentatur; quem totus non capit orbis, Maria sola complectitur; quem Throni, Dominationesque metuunt, puella fovet; cujus sedes in seculum seculi, en virgineis genibus insidet; cujus pedum scabellum terra est, eandem puerilibus premit vestigiis. *Ps. 44. 7.* *Ps. 109. 1.*

O fe-

A O felicem fortunatumque Adamum, qui, nascente Domino, amissum decus splendoremque recuperavit! Felicissimos mortales, qui quum essent vasa irae apta in interitum, proprio vestem figulo contexuerunt! Felicissimos iterum dicam, quibus cordium nostrorum ignem fasciis involutum licuit intueri!

Rom. 9. 22.

B Tanta fecit Deus ad unius hominis stultitiam corrigendam. Quia servus propria superbia deciderat, Dominus eum sua erexit humilitate.

Agamus itaque, Fratres carissimi, gratias Deo Patri, qui ut servos redimeret suum tradidit Filium. Jesum quoque summis laudibus celebremus, qui altas hominum cicatrices tam feliciter sanavit. Utriusque demum Spiritum pie veneremur, qui datus est nobis, ut vitam habeamus, C & abundantius habeamus.

Jo: 10.10.

SERMO IV.

Divinae dispositionis contemplatio Prima.

ME, Domine, de mira dispositione tua concionem habiturum tuae gratiae torrentes inundent: indue me lorica inexpugnabili, qua duce, ratio calcitrantes stimulos retundat. Auge, Deus Optime, largitatem tui muneris: me infirmum adjuva, ut convalescam: terge D maculas, & da mihi, ut debitum solvam, quod exsolvere nonnisi ex aerario possum tuo.

Quum ditissimus esses, nulliusque rei inops, paupertatem adamasti: nulli obnoxius aut sensui, aut dolori, doloribus, acerbissimisque cruciatibus subjici dignatus es: perfectissimus, ac aevi integer, puerili instar, educari, teque circumcisio- E ni, ac legi subdere voluisti. Tu fortis radix Jesse, qui stas in signum populorum, cujus & potestas est, & imperium, & in cujus arcu sagitta electa; tu, inquam, Paradisum te diligentibus, & Gehennam te contemnentibus praeparasti.

Es. 11. 10.

Omnes semitae tuae pacificae; Tuam in humilitate gloriam reposuisti: tuam credentibus promisisti beatitudinem: Tu F omnium moderator e sublimi Caelorum vertice descendisti. En copiosa tua Reparatio perpetuam nobis asseruit felicitatem. En tua Crux corona est victoriae nostrae. En tua caritas justorum decus est & ornamentum.

Proverb. 3. 17.

Tui vultus praestantia fundamentum est gloriae nostrae, quam probi omnes obtinebunt. Nam legitime certantes, & lumbos praecinctos habentes, quoniam socii

A socii fuerunt Passionis tuae, sic erunt & Resurrectionis ; unde ad regale Agni convivium laetissimi accumbent. Brevissimum sane erit certaminis tempus, sed aeternum victoriae praemium.

Tua bonitas speculum est ; beatus fortunatusque, qui in ipsam obtutum frequenter defigit. Nam quum immensa sit hujus amplitudo, ideo ejus suavitas uberrimam orationis segetem praebet. O B ter felicem, qui eandem debito cum obsequio contemplatur ! In ipsa quippe Dei Patris gaudia degustabit, perque ipsam Filii similitudinem induet, quae divitias solet suas in pauperes spiritu large effuseque conferre.

Coronidem tuis nectis digitis, qua ornabitur quicumque de hostibus triumphaverit. Justitia tua victorum labores aequis- C sime consolatur, de quibus compensandis dum agitur, abundantissima est. Haec vero in praemiorum distributionibus aequitas ad improborum interitum fatalis erit, quos aeterna privabit beatitate. Tunc enimvero quam peccatores criminibus impleverunt mensuram, eadem tota in ipsorum gremium effundetur.

Quis nunc, Domine, tuam dimetiatur magnitudinem ? quis Divinitatem com- D prehendat ? Omnes quantalibet scientia praediti nihil omnino sunt coram te. Horum enim scientia futilis est, & angustis limitibus circumscripta. Angeli ipsi, qui tuam propius imaginem exprimunt, quum res creatæ sint, tuam nequeunt increatam substantiam comprehendere.

Desipit profecto quisquis te attigisse putat, quique sua hac stultissima opinio- E ne ductus de se elate nimium sentit, seque magnifice ostentat. Temerariam esse ipsius arrogantiam, ex humanae naturae fragilitate satis aperte constat. Quam quidem naturam Deus signis quibusdam, doloribus nimirum, morbis, incommodis, esurie, aliisque innumeris aerumnis notavit, ut qualis est hominem ostenderet, ne videlicet, perspecta suae conditionis humilitate, inaniter intumesceret.

F Nostra, Domine, ratio exilis est & angusta, atque ad tua gesta enarranda prorsus inepta. Tu occultissimos animi nostri recessus penetras, quin tuorum nos arcanorum divitias investigare possimus. Insulsis indignisque modis nosmetipsos extollimus ; & gloria nostra omnis in vanitate & erroribus innititur. Prudens is est, qui in omnibus bene se gerit, nec comparationes instituit, nisi proficuas ac salutares. Idem tempus tacendi, in quo

 solum

solum Deum alloquatur, sapienter discernit; nec propterea tempus illi deficit ad comparationes faciendas, & ad rudes animos informandos, & ad fratres juvandos suos.

At quoniam prudentes non sumus, omne tempus in supervacaneis curis insumimus. Nunquam nobis fragilitas nostra succurrit, ideoque ad interitum quotidie accedimus, illuc abituri, quo majores abierunt nostri. Mors nobis terrorem insinuat, quia peccavimus, nec mores poenitentia correximus. Pulvis in terram, unde exivit, revertetur, & Infernus domus nostra erit. Omnes quotquot semper victuri vivitis sepulcrum audite clamans: Quantocius huc venietis.

Te, Domine, laudare non desinam, quamvis levissimum mearum laudum pondus esse sentiam, quum peccator sim. Te solum dignae sunt laudes illae, quae ab justis tibi hominibus exsolvuntur, quorum optimi fructus optimam arboris naturam indicant. Sequitur proinde, ut pura sint, tibique gratissima, vana vero tuisque auribus ingrata oscitantium praeconia. Nihil est tamen cur peccatoribus sit a tuis laudibus abstinendum; quum idipsum potius eos peculiariter deceat, utpote qui delictorum acceptam veniam totam clementiae debent tuae.

Quae quum ita sint, excipe exiguum, quod tibi offero munus, quod quamvis ad justitiae lancem expensum minus sit, tua tamen misericordia pondus augente, erit & magnificum, & perfectum. Per te sincera sit mea peccatorum confessio, quamvis exigua in se, & prorsus inutilis: efficax mea sit poenitentia, licet ex se tenuis, atque levissima; dolor, quo flagitia detestamur, tua humanitate leniatur ac mitigetur.

SERMO V.

Divinae dispositionis contemplatio altera.

JEsu Fili Dei, qui ab aeterno existis, cujus aeterna generatio omni principio caret, in tuo nomine gloriabor, & in Patre tuo tutissimum quaeram perfugium. Tu primogenitus ante omnem creaturam, primogenitus in tempore esse voluisti. Temporale principium ex Davidica sobole sortitus es; aeternae vero generationis nullum agnoscis caussae initium. Utraque ergo sanctissima Generatio omnium linguis ac sermonibus celebretur.

Eccl. 24. 5.

Homo ego vulgaris sum, abjectus, & tuae magnitudinis inelegans indisertusque praeco; immensa vero & infinita est

[Syriac text — illegible]

est magnitudo tua, per quam nequit obscura hominum intelligentia permeare. Exigua nimis est mentis nostrae acies, quae in te, veluti aquae stillula in Oceano, tota disperditur. In vastis tuae sapientiae adytis sola veritas emicat; dolus vero, fumi instar, obscuratur & evanescit.

Decem maledictiones comminatus es, Domine, totidemque benedictiones, ac beatitudines promisisti, facta hominibus potestate, ut quas vellent, pro libito eligerent. Horum plerique vitiosis operibus maledictionem, & detrimenta elegerunt; perpauci vero fuere, qui saniori consilio oblatas benedictiones beatitatesque amplecterentur. Maledictiones, de quibus loquor, illi sibi ut plurimum inferunt, qui nimium audacter altiora se quaerunt, non ii, qui divina quaeque omnia devota fide profitentur.

Ceterum non omnes, qui vulgo sapientes putantur, sapienttes reipsa sunt. In hoc sita est vera sapientia, ut heic aetas nostra sese ad aeternam felicitatem disponat, & optimum sortiri exitum contendat. Qui doctrina sapiens errat moribus, nequicquam sapit. Hoc adeo verum est, ut inter sapientissimos jure habitus fuerit Josephus, quod pudicitiam innocentiamque suam ex impuris Aegyptiacae foeminae unguibus incolumem traxerit; Salomon vero, qui doctrina sapientissimus, ut egregiam ipsius Parabolae fidem faciunt, concubinis alienisque uxoribus adhaesit, ex sapientum albo erasus fuit, & inter insipientes merito annumeratus.

Jamvero, Fratres carissimi, si viri alioquin doctrina celeberrimi desipiunt, quinam perfecti erunt, quos consulamus, sapientiae magistri? Nullum esse scio, qui sapientiae magisterium sibi vindicare valeat, praeter divinum Praeceptorem, quem unice vobis omnibus audiendum propono. Ille nos scientia, qua plurimum abundat, augere potest; illius praeceptis Beati, qui in caelo sunt acceptam referunt quam obtinent felicitatem. Omnes tantum adeamus Magistrum, qui est ipsa aeterni Patris sapientia, miro divinae foecunditatis Sacramento, seclusa omni vel temporis, vel numeri mensura, genita; cujus Majestas sub hominum & Angelorum linguis posita vilescit; quum sublimis ista materies non sit humano captui congruens, nec valeat citra temeritatis notam pertractari.

Tuam, Domine, divinam hanc Generationem, una cum temporali illa pro nobis suscepta colimus & admiramur: & stupo-

ſtuporem conſequitur admiratio, ut immenſa tibi reſultet laus. Affulgeat, quaeſo, lux patens tuae humanitatis, luceatque latens tuae Divinitatis ſplendor, atque ita, utraque in unam coëunte luce, juſtitiae Sol apparebit.

Quatriduanum e ſepulcro mortuum evocaſti, quo tuae vocis imperio obtemperante, ingens prodigium omnes ſunt incredibiliter admirati. Clamavit Caecus, eique lucem reſtituiſti, ut hinc mortalium fiducia in te augeretur. Audivit te Caecus, & viſum recuperavit, audivit te mortuus, & ex tumulo ad vitam emerſit. Quod dum mecum ipſe animadverto, mihi ſuccurrere ſolet tua illa terribilis vox, quae mortuos aliquando excitabit. Quare, Domine, quemadmodum Lazarum, ac Caecum, duplici tuae potentiae miraculo adjuviſti, nos etiam denſa caligine obrutos, & jam omnino extinctos adjuva, ut heic tuae voci aſſueſcamus.

Tua voluntas ſibi perfectiſſime conſtat, quum tua ipſa natura ſit. Quamvis autem omnia velit, & omnium ſit cauſſa, una tamen eſt & immultiplicabilis, quam nullus hominum judicare valet, & reprehendere. Tua voluntas eadem eſt cum tui Genitoris voluntate.

Id a te modo enixe poſcimus, ut quemadmodum nos, noſtraque omnia nullum praeter te principium agnoſcunt, nullumque Deum ac Dominum, ita noſtra tuae obſequatur voluntas, quam ut in omnibus regas ac dirigas votis omnibus imploramus. Et ſicuti menti noſtrae cogitationum omnium dominae ſenſus, ceteraſque omnes tam interiores, quam exteriores corporis facultates ſubjeciſti, ita mens ipſa ſub tua poteſtate ultro libenterque maneat. Noſtros itaque, compoſita prius mente, compone ſenſus, quos veluti odoratas frugum primitias tibi mens offerat.

Voluntas noſtra mundam animi conſcientiam, tuae gratiae ope, tibi exhibeat: cor ad te erigat noſter hic Coetus, ſuaque crimina aperte atque ingenue confiteatur. Et ut gratae tibi ſint precationes noſtrae, noſtram dele turpitudinem. Grex iſte tuus tuam bonitatem aſſidue laudet, & ad tuam gloriam praedicandam peculiari quodam ſtudio ac voluptate pertrahatur.

SER-

[illegible]

A

SERMO VI.

De Dei Justitia, & Misericordia.

TUam, Domine, justitiam laudamus mortalium omnium parentem, quippe quae dum humanissima ac liberalissima est in augenda filiorum dignitate, est & in ipsorum vitiis puniendis acerrima.

Tuam pariter commendamus Misericordiam vitae magistram, quae etsi virgam teneat ad objurgandam discipulorum B socordiam tarditatemque, eorum tamen diligentiam praemio vacuam esse non patitur.

Hoc tuae Justitiae proprium esse gaudemus, ut non alia ratione improbos exterreat, quam ut fugiant a facie arcus, & in misericordiae sinum, tanquam in portum sese recipiant. *Ps. 59. 6.*

Hic autem portus etsi latissime patet, tamen perpaucos defendit, si pru- C dentes exceperis. Ipsi enim soli misericordia sapienter utuntur; primo quidem, quia pravitatem oderunt; deinde vero, quia si forte erraverint, ipsis etiam errantibus poenitendi locum relictum esse vident. Hoc illis insuper gloriae tribuitur, ut quum persuasum sibi habeant stultissimi hominis esse divina ad peccandum abuti clementia, exinde crimina evitare, & vitam laude dignam gerere apud semet- D ipsos proponant.

Id contra adolescentibus videtur esse a natura inditum, ut ubi misericordia eorum memoriae subeat, rationem bono consilio ab immortali Deo datam in fraudem convertant; ex quo fit, ut gravissimam sibi criminum sarcinam imponant. Proh miseri atque infelices, quippe qui salutari medicina gratis tradita ad propriam perniciem impudentissime utuntur!

E Nunquam satis commendari potest divina Providentia, quae duo impiis remedia praescripsit, miserationes videlicet, & poenas, ut quos misericordia audaces reddit, poenarum metus coërceat.

Eadem singulorum hominum mentem libero arbitrio donavit. Quod ubi depressum jacere novit, illud sua celeriter gratia elevat; ubi vero extra ratio- F nis septa egredi insolenter videt, illud idem justitiae viribus in officio continet.

Qua de re jure homines Justitiam reverentur; quandoquidem haec calamum & atramentum ad improborum flagitia notanda in promtu habet. Illi sceleribus scelera contexunt, ista describit. Quis autem non metu corruat, si Justitiae ingens volumen contempletur, in quo singula aut ore

ore prolata, aut opere completa designantur? Quis hujus rigorem sustinere queat, dum vel unicam lacrymarum guttulam, vel minimum oculorum obtutum in quaestionem vocabit?

Huc agite, auditores carissimi, & mea verba attento animo dum accipitis, timorem, si licet, excutite. In eo Codice relatum est quicquid manus, oculi, aures, & pedes egerint, quicquid animus aut cogitaverit, aut concupiverit. Quumque Justitia judicium instituet, nihil inultum praetermittet, & nihil obliviscetur. Qui autem aliter crederet, gravissimam illius perfectioni injuriam faceret.

Ob eandem quoque rationem Misericordia laederetur, si nostris ipsam sceleribus cedere, aut debilitari opinaremur; finita enim res tanti non est, ut quodlibet infinitum exhauriat.

Quae quum ita sint, dum Justitiae rigorem mecum ipse memoria repeto, in luctu versor, in quo hoc uno solatio utor, quod nimirum, ut mox innuebam, divina nequit Misericordia ab hominum malitia defatigari.

Igitur, Fratres amantissimi, quamvis formidanda Justitia sit, magnum tamen solatii argumentum vobis est, Misericordiam habere vestrae salutis conservatricem, ad cujus consilium nutumque singula vere poenitentium flagitia condonantur, & perpetuae mortis, infamiaeque sententiae abrogatur.

Ne tamen hoc ipso, quod effugium vobis Misericordia praebet, audaciores fieri velitis; quandoquidem nullis fas est veniam in judicio sperare, quin prius ab improbitate decesserit, suamque mentem mutaverit. Vos admiratione compleri oportet, dum Justitiam, ac Misericordiam durissimas simul ac suavissimas esse audieritis, improbis scilicet severitatis, probis vero suavitatis plenissimas.

Quidni igitur, Deus optime, gratias Misericordiae tuae maximas agere debeamus, quae Justitiae severitatem tot condimentis humanitatis mitigat, ut parentis amantissimae potius, quam ultricis ac vindicis vices gerat? Gratias etiam Justitiae referimus, quae Misericordiae lenitatem ita moderatur, ut depravatorum hominum morum correctioni inserviat.

Nos, Domine, tibi in perpetuum summo beneficio obligatos esse profitemur, qui diversissimos hosce auxiliorum fontes omni laude dignissimos invicem copulasti, ita ut Misericordiam ab Justitia, Justitiam a Misericordia divelli minime sinas. Meae

Meae, quaeso, fortunae utraque misereatur, dum me macie tabeque confectum videt, ut in me divinum illud effatum impleri sentiam: qui leprae morbo totus laborat, mundus fit in lege tua. Et alterum illud : *Ubi abundavit delictum, ibi superabundavit gratia.*

Rom. 5. 20.

SERMO VII.

Cur aliquibus Deus petitionibus annuat, quasdam vero rejiciat?

MIrum sane videri cuiquam potest, Zebedaei filios ad suas Christo preces porrigendas verborum subsidium emendicasse, quum non ignorarent, penitiores cordium latebras ipsi luce clariores esse. At non mirum si hujusmodi preces nullam apud eum vim obtinuerint; quod quidem ideo accidisse credendum est, ut compertum nobis foret, quae fundimus vota, minimi haberi, nisi prius ipsorum naturam studiose perpendamus.

Enimvero quum Deum infinita sua virtute ac potentia omnia facere posse juventus quantumvis infantissima perspectum satis habeat, hinc fit, ut ineptissimis eum obsecrationibus importune, si ita loqui fas est, obtundat, quum illud minime animadvertat, Deum omnia miro quodam ordine & consilio regere, & quamquam facere quaecunque possit, tamen ea tantummodo efficere, quae magis expedire intelligit.

Quia discipuli nullo consilio postularunt, iccirco sapientissimus Praeceptor vacuos summo cum dedecore tristitiaque his verbis dimisit : *nescitis quid petatis.* Qua gravissima objurgatione ostendit, quamlibet imprudentem petitionem supplicibus moestitiam parere, animique tranquillitatem perturbare.

Marc. 10. 38.

Quamdiu a petendo discipuli abstinuere, facilem illum ac benevolum senserunt, omnibus nempe congrua expetentibus benigne annuentem. Ex quo vero immoderatam, qua flagrabant, cupiditatem manifestarunt, eos severe corripuit, quo videlicet exemplo nos monitos voluit, ne nobis, si minus consentanea postulemus, res prospere eventuras blandiamur.

Quod si Dominus noster futura probe sciens discipulis restitisset, quum nondum orationem absolvissent, asserendum videretur, januam nostris ipsum vocibus obstruere. At modo manifestissime patet, supplices ipsos sibi repulsam consciscere ob preces non minus imprudentes, quam detestandas.

Hujus-

A Hujuſmodi vero eorum in primis orationes ſunt, qui inter preces innumeris ad purgandam malitiam ſuam utuntur excuſationibus, quas nemo poteſt brevi verborum circuitu comprehendere. Is enim Oceani latitudinem profunditatemque dimetietur, qui certorum hominum ſtultitiam in orando valeat dicendo conſequi. A recto ſiquidem virtutis tramite declinantes ea perſaepe poſtulant, B quae ſi Deus concederet, concitatis ad interitum pedibus properarent.

Sed redeamus unde digreſſi ſumus. Divinus animarum Medicus animadvertens filiorum Zebedaei mentem ſuperbiae veneno vitiatam corruptamque, ſua ſtatim occurrit antidoto, ne ſi diutius medicina protraheretur, in reliquos diſcipulos virus ſerperet, qui de tam perniciosa facilitate jure conqueri potuiſſent. C Itaque maximum illud diſcrimen, in quo ceteri etiam poſiti forent illico avertit, & peſtiferum morbum radicitus amputavit.

Hinc tu, quiſquis es, qui preces nimias adhibes, diſce, antequam Largitorem adeas, tuae petitionis conditionem mature expendere, ſitne inutilis, an vitioſa; ſi enim cauſſa, ex qua oritur, arbor ſit exitiales germinans fructus, D nihil eſt ad tuam ſalutem accommodatius, quam ut fatalis iſta arbor, ea, quae Zebedaei filios ſanavit, dextera excidatur.

Age vero Chriſti providentiam ac juſtitiam ſerio conſiderandam tibi propone, quum id non minus aequitati, quam rationi conſentaneum ſit. Ille quamquam praeſtare omnia poſſit, a ſua E tamen dignitate alieniſſimum judicat, ea, quae vel minimo cuiquam detrimento eſſe poſſunt, concedere. Poteſt profecto debita gratis omnino dimittere; verum ab hoc ejus juſtitia quam longiſſime diſtat. Poteſt veniam rogatus denegare, at ejuſdem miſericordia non patitur.

Quae quidem etiam os noſtrum, F ex quo voces effluunt omnes, timore ſimul & amore dirigit; timore quidem, ne turpia effutiat verba; amore, ut caute, verecunde, prudenter loquatur. Quemadmodum enim divinae juſtitiae metus nos ab imprudenti elocutione abſterret, ita lenitatis amor ad honeſte dicendum allicit.

Os autem illud, quod nec juſtitiae, nec amori pareat, indomito ac refractario equo aptiſſime comparatur, cujus ferocitatem niſi eques fraeno coërceat, facile

A facile est, ut ambo in praeceps caeco impetu corruant. Quamobrem praeter fraeni moderamen calcaria etiam stimulique adjunguntur, ut equus non quo itur, sed quo eundum est, sine ulla offensione gradiatur.

Unum eundemque Dominum nostrae petitiones respiciunt, cujus est proprium admittere, quae commoda humanae saluti sunt, noxia vero rejicere & B repudiare; ideo si quis aliqua cum vero bono pugnantia flagitet, non impetrabit.

Quae recta petuntur fide, felici exitu non carent. Per ipsam enim vota oblationesque implentur; per ipsam humana mens omni prorsus diffidentia liberatur, qua de medio sublata, facile quicquid a Deo poscimus, obtinemus.

C Incredibilis porro est vis petitionum, quae ab integro sinceroque animo eliciuntur; de quibus hoc unum satis dixisse erit, has Deo summopere in deliciis esse, qui si aliquando illas exaudire aequissimis rationum momentis distulerit, non ideo dolendum nobis est. Nam sicuti messorem non piget tamdiu expectare, donec, quas seruit fruges, plenam maturitatem attigerint, ita nec nobis quidem aegre D ferendum est, si nostras Deus preces nondum maturas ad opportunius tempus protraxerit, ut sua nobis munera tempestive largiatur.

Beneficentissimus Dominus precum conditionem temporum circumstantiis metitur. Quemadmodum enim fructus praeposteris temporibus excerptus valetudini officit, sic & petitio intempestive oblata E pro auxilio detrimentum parit. Hoc in caussa est, cur Divinus Largitor, antequam supplicum preces exaudiat, moras solet utiles interponere.

Quum enim Deus infinita sua sapientia preces ceteroquin honestissimas, aliqua ex parte, aut ad salutem parum utiles, aut petentibus obfuturas deprehendat, beneficia sua in aliud tempus differt, quamquam id nobis displicere F sciat; eo plane modo, quo in infantibus alendis se gerit Nutrix; haec siquidem puerorum necessitati, non cupiditati sese accommodat, & si lacte opus esse videat, ubera ipsis admovet, sin minus, licet interruptis illi vagitibus lac inhient, provida tamen mulier adduci nequit, ut incautis eorum studiis obsequatur.

Justitia est veluti fluctuosi hujusce maris portus, ad quem preces omnes appel-

appellunt; hoc tamen discrimine, quod optimae in eo quiescunt, imprudentes vero tanquam in scopulo confringuntur. Et jure quidem; nam si omnes promiscue supplicationes admitterentur, hoc inde enorme incommodum sequeretur, quod supplices oratores sese mutuo contemnerent, & infausta sociis saepenumero per invidiam precarentur.

Itaque laudibus illum extollamus, cui praeterquamquod cuncta innotescunt, etiam precum conditionem sedulo intuetur, quas, ut modo ostendimus, si perfectae sint, exaudit, si vero dolosae respuit; in illis enim vita, in his autem mors continetur.

Cujus rei veritas magis elucescet, si sacrum Evangeliorum codicem attentius pervolvamus. Quis, amabo, illa Simonis verba notatu dignissima, *absit a te, Domine, non erit tibi hoc*; quibus scilicet divinum Praeceptorem a perferenda morte avocare conabatur; quis, inquam, verba illa fraudem redolere suspicaretur? Quis prima fronte non eum laudandum existimaret, ut fidelissimum amatorem? At vero blandae illae voces nonnisi stupidas aures demulcerent; Christus vero, qui postulationis pravitatem apprime noverat, eam despexit, & Simonem satanae vocabulo nuncupavit.

Matth. 16. 22.

Gratias igitur divinae clementiae majores in dies referamus, quae nobis salutaria concedit. Studio etiam, quo fieri potest maximo Justitiam veneremur, quae insanissimae hominum voluntati parere refugit. Hoc autem certissima fide teneamus, Deum, qui bonorum omnium inexhaustus fons est atque thesaurus, nunquam sua contrahere dona. Quod si interdum accidat, ut supplices videatur repellere, id ab eo hujusmodi ratione fit, ut nimirum & donum in pretio sit accipienti, & ut idem sit orationi assiduus. Nam si statim vota impleret nostra, fortasse laudabilem orationis usum praetermitteremus.

SERMO VIII.

Omnia a Deo disponi ad hominum salutem.

Deus, qui in consiliis ditissimus suanobis aliquando auxilia contrahit, aliquando vero largiter profundit, nos aeque diligit, quum errantes quaerit, ac quum quaerentes fugit. Dum fugit, sui desiderium in hominum mentibus altius imprimit. Quemadmodum vero qui quem-

A quempiam ſtudioſe quaerit, ſe procul ab eo vivere non poſſe oſtendit, ita & Deus nos inveſtigando de noſtra abſentia ſolicitum ſe eſſe aperte ſatis declarat.

Optimus ſiquidem ille aliquando a nobis fugit, ut noſtra imbecillitas ipſius pulchritudinis cupiditate intenſius inflammetur, adeoque ſolertiores prudentioreſque evadamus. Haec enim vera prudentia eſt, haec ſaluberrima deliberatio, B illius nimirum, ſi recte ſapimus, bonitatem, quae latiſſime patet, ex animo proſequi atque adamare. Nam ſi noſtrum erga ſe ſtudium imminui, aut prorſus elangueſcere animadvertat, ſua ſtatim gratia nobis occurrit. Quam quidem non minus impertitur, dum noſtram vitat conſuetudinem, ac dum nos oberrantes inſequitur, quum certum illi ſedeat, quoſ- C libet, vel invitos in tutum perducere.

Minam a divite non petit, nec talentum ab inope. Si dives talentum ipſi offerat, benigne accipit; ſi pauper unius drachmae munuſculum, aequa benignitate ſuſcipit. Si vero dives leviſſimum quid tribuat, humaniſſimus ille non improbat, dummodo a cordis ſimplicitate, ſinceroque ſtudio proficiſcatur.

Vidit Deus omne hominum genus, D pecudum more, ad hoſtias olim daemoni immolandas ferri. Ut igitur illos vel minus opinantes ſibi devinciret, hoc prudenti uſus eſt conſilio. In eam omnes opinionem adduxit, ut putarent ſacrificia ſibi pergrata eſſe. Id autem etſi veri ſpeciem praeſeferat, nullam tamen reipſa habet. Neque enim humana Deo ſacrificia placent, ſed tantum immaculati Agni obla- E tio victimarum cruore deſignata vim apud ipſum maximam obtinere valet. Quocirca illorum abominationem toleravit, eo ferme pacto, quo ſolers medicus ſe ad aegroti inſaniam accommodat, non alia certe ratione, niſi ut obductam cicatricem ſanet.

Quin & ipſi daemones immundiſſimi nullam ex victimis delectationem, aut utilitatem capiunt; non enim eſuriunt, F ut exſaturari poſtulent, quum ſpiritualis eorum natura nullo indigeat nutrimento. Solum itaque hominem praedari concupiſcunt, ut nempe ſervum poſſideant, qui ſibi dominum novit divinitus conſtitutum. Quapropter dicendum eſt, ſapientiſſimum Dominum homines per ſacrificia ab Ethnicorum ſuperſtitionibus deterrere voluiſſe.

Divinorum ſermonum virtus optimo jure ceteris morborum curationibus comparari

parari poteſt. Nam ſicuti iſtae ſpecie diverſae ſunt, fine autem, id eſt ſanitate, invicem convenire dicuntur, ita divini ſermones, divinaeque hiſtoriae aptiſſime inter ſe cohaerent; quamvis ſi eaſdem litigioſi homines ad propriam libidinem extorqueant, mutuo ſibi contradicere ac reluctari videantur.

Lanam etiam diverſis coloribus imbui poſſe nemo inficias abit. Hujuſce vero naturam variabilem eſſe quis afferat? Haec proprium nunquam amittit colorem, licet ad omnes recipiendos indiſcriminatim ſe habeat. Unica ergo eſt, & multiplex; unica, ratione naturae; ratione colorum, quibus poteſt circumveſtiri, multiplex. Sic & veritas, quamvis unica revera ſit, tamen ad plures voces, diverſaſque ſignificationes traducitur.

Porro petulantia non deſunt ingenia, quae individuam veritatis vim temere dividunt, & eam ſibi adverſari compellunt. Veritas in veridicis hominibus quietum jucundumque, in doctis ſanum ac integrum locum obtinet, in contentioſis moleſtum intolerandumque, quum ipſam interpretando ſibimetipſis invicem convenire non poſſint.

In auditu ſano concordant ſani ſermones; unde ſapientem illum virum dixeris, qui, ingenioſi opificis inſtar, ſuum ita aedificium nectit expolitque, ut nihil ad perfectam ejus elegantiam deſideretur. Qui vero artis imperitus omnino eſt, audientium plauſus delicatis voculis aucupatur, ne latentem dolum excludant.

Sacri oratoris ac egregii viri praeclara munera quis omnia referat? Ipſe ſiquidem optimus interpres eſt & conciliator earum ſententiarum, quae ſtultis diſſonae apparent. Illas enim vel conſonas explicat, vel diſſentientes ratione conjungit, & concitatas auditorum mentes componit. Quod ubi praeſtiterit, ſtatim & ſermones inter ſeſe firmiſſimo concordiae vinculo copulantur.

SERMO IX.

Praetereuntis hujuſce ſeculi deliciae a perpetua beatitate animos avocant.

Deus optime, cujus infinita bonitas ſummis mortales beneficiis complectitur; cujus munificentia gratis omnibus conſulit; cujus clementia ſupplicibus ſponte occurrit; cujus comitas nulli gratiam denegat; cujus denique pietas tam gratam humanis languoribus medicinam affert, ut vitioſas potius ſanet partes, quam exſecet, vide, quaeſo, quo nos levitas ſtultitiaque rapuit noſtra: praeſentis ſeculi

A seculi dominationi cervices supposuimus: otium, deliciae, oblectamenta nobis imperiose praesunt, & immoderatum nostri studium nos vel invitos pro libito circumducit. Prava consuetudine attracti in mala scientes ruimus: cuncta in miserias insultant nostras; & dum voluntas firmo amicitiae foedere cum corpore consentit, ambo ad interitum concitatissime gradiuntur.

B Nihil heic perpetuum adesse, & omnes res istas creatas in confusionem veterem demergendas esse nemo sanae mentis inficiari audet. Quod tamen communi sapientum testimonio reprobatur, id nobis solus Daemon suadere nititur. Fallax iste hominum adversarius fugacia mundi commoda tam vivis spirantibusque coloribus depingit, ut non qualia sunt C videamus, sed qualia ab ipso venditantur. Nos interim blanda eorumdem specie deliniti, puerorumque instar elusi, aeternam beatitudinem nauseamus, & umbratili contenti solatio immarcescibilem gloriae coronidem amittimus. Latum ille spatiosumque unicuique monstrat callem, quem plurimis identidem offendiculis obserit, nobisque tandiu insidiatur, donec laqueis undique circumplicemur. D Si forte in aliquem incidat, quem superare vi nequeat, tunc ad artes confugit, eumque voluptatis illecebris felicissime expugnat. Illecebrarum vi permulti sanctitate celebres viri non semel cesserunt. Testem habeo sanctissimum Regem Davidem, qui voluptate pertentatus misere concidit. Testem habeo inclytum Moysen, cujus lingua corrupta est. Qua de E re illi, qui Daemonis jugum subeunt, intolerandis oneribus opprimuntur.

Justis, qui ipsius imperium execrantur, levem primo imponit sarcinam, ut sensim graviori assuescant, donec & ipsi communem cum aliis molem perferant, qua ad collum suspensa in mare projiciantur cum iis, qui puerorum innocentiam scandalis evertunt suis. Quas vero inani aura inflatas videt mentes, F has in sua ambitione magis ac magis confirmat, ne forte providiores experientia factae, humilitatis virtute curentur.

Judicum detorquet linguam, ne judicium ex aequitate pronuncient. Auditorum aures hebetat, ne salutaria excipiant monita; easdem interdum acuit, ut pravis colloquiis obscenisque cantiunculis pateant. Omnes sive aetate, sive dignitate praestantes pessime loquuntur. Qui

Qui minor est majorum vestigia persequens, laudat quae sunt vituperationem dignissima. Plurimorum annorum spatio Prophetarum oracula siluerunt, quia tacuit Esajas, nec suorum temporum vitium digne satis correxit. Jamvero si justus nimio silentio dissimulationeque erravit, quid dicendum de iis, qui dissolutionem in laude posuerunt?

Qui meridiana luce clariores exterius apparent, horum interiores recessus atra nox, nigrorque densissimus obcaecat; latentia nimirum crimina divinae gratiae radios effuderunt. Juvenem Giezim extrinsecus nescio quis splendor illustrabat, in pectore tamen furcifer ille cupiditatem fovebat, interiores maculas exterior lepra detexit.

Christus, & Elisaeus duo clarissimi praeceptores, Judam & Giezim duos discipulos infamissimos habuerunt. Judas tenebris ipsis tetrior, ad nitidissimum justitiae Solem accessit, ad eum nempe, qui in fine mundi peccatorum dissolvet nebulas, a quo impius ille consumtus est ac dissipatus. Giezi leviori consperus nota exiguam, si cum priori conferatur, lucem adiit, cujus tamen claritate illustratus ad pristinam formam rediit.

Turpiter profecto Judas aberravit, quum non animadverterit, quod si Giezi Propheticam animadversionem effugere nescivit, multo magis ipse in manus Dei viventis incidisset. Deliravit etiam proditor, putans se Christum fallere posse, dum id frustra in hominem tentaverat Giezi; eo vel maxime, quod licet Naamanum Elisaeus a lepra mundaverit, ista tamen virtus longe minor ea erat, quam ipse Judas unacum ceteris discipulis a Christo accepit, quum a Christo Jesu missi sunt ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus.

Luc. 10. 1.

SERMO X.

De humani ingenii inconstantia.

DA, quaeso, bone Deus, veniam levitati ac malitiae nostrae, quae tot malorum caussa est origo. Quot illa concipit cogitationes, totidem latentia sunt brevi eruptura ulcera, exteriora autem opera patentes sunt morbi, qui ab ipsius corruptarum partium dispositione coalescunt, ex qua etiam primum omnium quotquot exstiterunt, & futuri deinceps mortales sunt crimen promanavit. Dele, purissime Domine, voluntatis nostrae turpitudinem; ex ea quippe omnia, quibus obsidemur pericula ac detrimenta oriuntur.

Angor

Angor enimvero vehementerque commoveor quoties noſtrae voluntatis calamitatem intueor ; quae quidem quum ſuapte natura valida ſit & conſtantiſſima, ſuam ipſamet virtutem debilitat , quum ſit domina, ſeſe ad ancillulae conditionem deprimit , quum aequiſſima plurimis vult debitis torqueri , quum ſoluta, nullique imperio ſubjecta, ſervitutem pati gaudet, ſuique mancipium paciſcitur. Quinam dementiae non arguat ſcribam , qui proprio digito ſuorum debitorum chirographum obſignat ? Illi gloria ſit immortalis , qui nos Angelorum eſca in libertatem vindicavit , ſuoque Sanguine noſtrorum criminum ſyngrapham expunxit.

Noſtra voluntas facile jacturam patitur ; & qui in ſublime animum erigit ſuum , eum plerumque ſolet daemon invidus perturbare. Oportet ergo , ut cogitatio omnis noſtra ducem habeat caritatem , in qua mirifice delectatur , ſicut in rore floſculi ; contumelias vero , & ea omnia, quae caritati opponuntur, capitali odio vitat , quum iſta ſe habeant ut foenum , quod viriditate ſub aeſtivis Solis radiis deperdita cito areſcit, breve flammis futurum pabulum. Laus ſit, Domine, voluntati tuae, quae noſtram quotidie poenitentiam procurat.

Qua de re immortali honore digni ſunt juſti, qui vel multa paſſi, in ſententia firmiſſimi perſtiterunt , nec ut Luna mutabiles , ſed Solis inſtar conſtantiſſimi ingenitam ſibi divinae gratiae lucem perpetuo retinuerunt. Nec enim eorum mentes inſtabiles adeo erant , ut modo plenae, modo vacuae conſpicerentur . Omnia tormentorum genera expertae illae ſunt , nec defecere. Honos itaque Deo ſempiternus habeatur, qui eorundem certamina , ac triumphos ſummopere illuſtravit. Non illos inanis extulit rumor, nec invidioſa obtrectatio depreſſit. Gratiſſimum ſemper ſuavitatis odorem ſpirarunt, quin ipſe unquam deficeret ; cujus fragrantiam ad alienas etiam mentes eorum caritas derivabat. Hinc Dominus mercator optimus pretioſa hominibus aromata obtulit , quae divinum afflantia ſpiritum audientium delectavere animos, & ſalutem diſcipulis attulerunt. Gloria ipſi tribuatur , ex cujus aromatum theſauro bona eorum opera prodierunt.

Haec tam ſalutaria caeleſtis Medici pharmaca inſaniſſimorum virorum culpa humanam auxerunt aegritudinem potius, quam ſanarent. Imitati enim hi ſunt improbi illius Semei inſolentiam lapides ex montis

II. Reg. 13.

montis jugo in Davidem jacientis, terramque spargentis. Hic contra Regem stetit, quem plurimis conviciis appetivit; stetit scriba iniquissimus contra Jesum Davidis filium, quem Judaica gens contumeliis omnibus oneravit. Siluit de accepta David injuria, suoque mystico silentio Christi tolerantiam innuere voluit, qui dum male tractaretur, non aperuit os suum; qui pro saxis sputa, pro verbis alapas, & clavos sustinuit. Gloria igitur patientissimo Domino congeminetur, qui non unius audaciam, ut David, sed totius concitatae plebis perfidiam aequissimo animo pertulit.

Hiec vero mirari soleo, quamplurimos inter nos reperiri, qui in beneficentissimum Patrem blasphemiarum aculeos contorqueant, iidemque cum eo obstinatissime pugnent, a quo libertatem acceperunt. Cujus etiam vesani consilii daemonem comitem ducemque anteferunt; putant siquidem, ita daemone insinuante, durum esse, ac suis cervicibus intolerandum Christi jugum, quum id ceteroquin ipsa sit suavitate dulcius. Ex quo demum sic pessime arguunt: Si Deus homines a justitia recedere sinit, cur non a malo omnino eximit? Benedictus Deus, qui errantes nunquam ad se violenter impellit, sed eos in pleno relinquit libertatis arbitrio.

Ipsi pariter opinari videntur, suum Conditorem iis neutiquam nocere posse, ac si foret superiori aliqua virtute impeditus, seu vi coactus. Duo haec deliramenta hoc unico responso corruunt. Quis, rogo, famem, & aegritudinem fecit? Si Conditor, ergo potens est; si Bonus, ergo immitis erit.

[Syriac text illegible]

SERMO XI.

De pravis animi affectionibus compescendis.

Quuoniam plerosque hominum naturalis cupiditas ad creatarum rerum amorem impellit, inspiciendum modo breviter est, quid optimum factu sit, creaturas, an Creatorem possidere. Nihil est, quod dubitemus, omnia ab eo possideri, qui Creatorem possidet; secus enim licet cetera alia teneat, nihil ipsa sibi prosunt, dum seipsum perdit. Omnia posidet, qui totus apud se est.

Nullus est Princeps, cui placeat, subditum a sua ditione descìscere. Subditos, si quos habemus, dum minus recte se gerunt, corrigimus; oportet ergo, ut & nos ipsos de nostris erroribus corrigamus. Quod si fraena equis injicimus, si jumenta

[Syriac text illegible]

ta baculo instigamus, multo magis laborandum nobis est, ut rapidos animi impetus reprimamus. Id tunc potissimum agere debemus, quum ii divinae voluntati sese objiciunt, nosque a summi Regis clientela abducunt: eo pacto, quo jumenta plectimus, quum insolenter calcitrant. Nam si cupiditati in ipso furoris aestu parcimus, frustra domesticae reformationis laborem suscipimus.

Locus intra Oceanum nullus est, quo non nautarum cura pervaserit; nullus mons, cujus non dorsum venatores compresserint; nullum tam exile terrae spatium, quod non aratris agricolae perstrinxerint; nulla tam tetra tamque immanis bellua, quam non hominum industria perdomuerit. Solus Deus, qui cuncta imperio subjecit nostro, nos mansuefacere non posse videtur. Proh quam turpe est, nos Deo reluctari, qui creata haec omnia nobis amantissima condidit!

Nunc, quaeso, diligenter expendamus, utrum plus valeat incolumem servare animam, an creaturis praeesse. Age fingamus universas terrae plagas in potestatem concessisse nostra. Quid? Aliquidne profecimus, si animus in sua contumacia firmissimus correctionem fugiat, nec de vitae emendatione cogitet? Asserendum potius est, nos plurimum perdidisse.

Homines videmus ad feras edomandas peculiariter intentos esse, id sibi propositum habentes, ut ingenita earum asperitas humanis moribus assuescat. Si ergo hominibus tantopere curae est mutorum animalium moderatio, cuinam in mentem cadat, Deum non esse de animarum correctione ac possessione solicitum? Porro sicuti homo animalia, ita Deus animas moderatur. Hinc nos creatarum rerum possessores illius gratia sumus, qui nos perfectissime possidet. Qua de re ex iis, quae subjecta nobis sunt, emolumentum trahere curemus. Si jumentis tam prodest baculus, consideremus, num aeque divina nobis prosit virga.

Iniquum profecto est, hominem animalia coërcere, cervicosam vero mentem nullatenus flectere, & quod sane stupore dignum est ira excandescere, si eadem ratione omnino carentia ipsius voci minus exacte pareant, dum ille interim proprias loquenti Deo aures obstruit. Feras mansuetudinem edocet, quas probe edoctas, phaleris eleganter ornat; ipse

ipſe tamen in ſua ruditate, atque ignominia duriſſime obfirmatur.

Jamvero viſis, quae hominem dedecent, reſtat, ut quae ipſi valde conveniunt, in anteceſſum delibemus. Is magnus habendus eſt & ſapiens, qui ſuum abſtinentia, jejuniiſque premit corpus, ut exercitationi ac diſciplinae aptum reddat, animam vero aſſidua ſacrorum codicum lectione paſcit, ut eadem quibuſdam veluti ſtimulis ad poenitentiam excitetur. Nae is pulcher corpore animoque erit, qui duplici hac purgatione emundatur, quam quo frequentius adhibebit, eo major erit ſuae pulchritudinis excellentia.

Corporis exercitatio plurimum confert ad valetudinem ſuſtentandam, & ad tollendam deſidiam. Animum quoque alacriorem promtioremque reddit ad parce, ſobrie, & continenter vivendum, & ad voluptates proculcandas. Haec enim ſunt, quae Deum, cujus eſt omne datum optimum, incredibiliter delectant. Orandum igitur eſt, ut divina nos correctio ita vehementer moveat erudiatque, ut omnes inpoſterum offenſiones declinemus. Haec, quae ceteroquin humanae ſuperbiae inviſa prorſus eſt correctio, amoris indicium eſt manifeſtiſſimum. Parentes etenim quos diligunt corripiunt filios; eamque, qua flagrant, caritatem ſub externa quadam furoris ſpecie eiſdem exhibere gaudent. At licet color, vultuſque ſuperficies odium praeſeferat, pectus tamen miro caritatis ardore effervefcit. Interior eorum pietas exteriori ſeveritate circumveſtita prodit.

Depicta Paterni amoris effigies, ſupremum Conditorem optime repraeſentat, qui interius clementia ſuperabundans, exterius terrore amictus apparet. Ejus ira in peccatores aeſtuat, quam tamen lenitatis ac miſericordiae ſuavitas moderatur. Dum interdum iraſcitur, nihil a mente recedit; dum minis territat, plena fruitur ſerenitate; dum turbari videtur, interiori perturbationis motu vacat; patens ipſius moeror, eadem eſt, qua in ſe geſtit, laetitia.

Furor ille, quo divinam Majeſtatem inflammari quandoque videmus, ad divini cordis affectiones non tranſit; Deus ſiquidem ſimplex eſt, puriſſimus, ſibique perfectiſſime conſtans; nulla propterea eſt apud ipſum tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Quare quum Deum exardeſcere, concitari, leniri aliaque his ſimilia audieris, ne eo ſenſu accipias, quaſi proprias ipſe inclinationes praecedenti

Jacob. 1. 17.

[illegible]

A denti violentia aliqua sibimet illata compescat, aut superet, sed certo tene, simplicitatem, quietem, imperturbabilitatem, constantiam proprias esse Divinae illius naturae proprietates.

Fervet succensetque, quin rapido ullo feratur motu, quum sit ipsa tranquillitas. Id autem efficit, ut nos, qui sensibilibus duntaxat signis ducimur, poenarum metu concussi torpedinem excutiamus, B & libertas roboretur nostra, ne servituti obnoxia fiat. Decet igitur, eum, qui nos corrigendos sumit, sepofita hilaritate, quae ad rem minime facit, severitatem proferre.

Quis nunc vindicis Dei virgam dulcem esse in ipsa sua asperitate non fateatur? Percutit, ut sanet, parcit, ut progressum augeat. Languidum excitat, vi- C gilantem roborat. Quia nos impensius adamat, grata praebet caritatis remedia. Nos recreat, & plectit, relevat, & exsecat, ut pravis cupiditatibus obsistamus. Equidem, Fratres Carissimi, quantum labore auctoritate consilio eniti atque efficere potero, nihil praetermittam, quod ad salutem felicitatemque vestram pertinere arbitrabor. Quare dum pravis vos affectionibus teneri sentiam, id unum enixe D a vobis contendam, ut memores Divinae erga homines benevolentiae illum appetatis, qui solus vestris est affectionibus dignus; & quae saluti vestrae officere possunt desideria, tanquam pestem funestissimam propulsetis.

[illegible]

SERMO XII.

E Scriptum est: *Balaustia fac tecto tuo patientia*, modestiae nimirum, ac verecundiae sepibus frontem circumclaude tuam, tuosque oculos cohibe, ne iis in lubrica quaeque inconsulto discursitantibus, tu interim misere concidas. Enimvero si David vigilantissimus alioquin diligentissimusque oculorum custos ubi vel semel periculosam speciem curiosius, quam par erat, intuitus est, peccavit, quid de F illo sentiemus, qui suum undequaque aspectum libere contorquet? Nihil est aptius ad castitatem tuendam, quam illud idem cum oculis foedus inire, quod Jobum olim pepigisse admonemur.

De oculorum custodia, nec non adversus divinarum rerum scrutatores.

Deutr. 22.8. vers. Syr.

Scriptum est etiam: *Si videris jumentum fratris tui pereuntem, ne despicias; quod si jumentum pereat, magna cura illud sublevа*. Dum ergo de animantis incolumitate tam solicitum se praebuit Deus, quanon ille cura de nostrarum animarum salute

Ibid.

[illegible]

ſalute tanto pretio comparata detinebitur? Illi igitur perpetua ſit gloria, qui ſua animalium providentia, maximum illum, quo nos complectitur, amorem deſignavit.

Pergamus ſacrarum literarum oracula conſulere: *Si videris aſinum proximi tui, vel inimici in via cecidiſſe, ſubleva cum eo.* Quod ſi e converſo proximus ipſe decidat, quomodo, amabo, juſti prope ipſum praetereuntes dexteram lapſo porrigere recuſabunt? Quod ſi forte accidat, ut quiſpiam, Levitarum, ac Sacerdotum inſtar, languentem illum deſerat, ſaltem non deerit, qui Evangelici illius Samaritani pietatem imitetur, de quo meminit Chriſtus Dominus his, quae ſequuntur, verbis: *Et appropians alligavit vulnera ejus, & imponens illum in jumentum ſuum duxit in ſtabulum, ac curam ejus egit, mercede ſtabulario conſtituta.* Benedictus, qui ſe humilians, pretioſo ſuarum miſerationum pharmaco cicatricoſos hominum animos reſtauravit.

Deut. 22. 4.

Luc. 10. 34. 35.

Scriptum ulterius reperimus: *Qui bovem cornupetam poſſidet, nec recluſerit eum, moriatur.* Quî ergo fieri poterit, ut aequiſſimus Deus latronem, qui quotidie diripit vaſtatque, impune graſſari patiatur? Bovi bina tantum cornua tradita ſunt a natura; diviti vero ſeptuaginta ſeptem, quae omnia in Caeleſtis Agni ſocios retorquet. Benedictus Agnus, qui pro hominum ſalute cruenta furoris victima cecidit.

Exod. 21. 29.

Neque vero ſua avaris, detractoribus, invidiſque ſpicula ad proximum ſauciandum deſunt; contentioſi tamen, utpote infeſtioribus inſtructi jaculis, graviora fratribus infligunt vulnera. Quod ſi, Divina jubente lege, bos alieni bovis interfector lapidibus obruendus eſt, quanam, rogo, poena dignus erit audax ac temerarius ille, qui aliorum nomen tot detractionum aculeis lacerat? Hunc, quaeſo, Domine, per devia gradientem ſuſtine, ut, te duce, inſtantia pericula vitet, & ad meliorem frugem redeat.

Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, operiat eam, ne quis morte moriatur patenti. Impius os ſuum, ciſternae inſtar, dilatavit, & omnis ſermo illius laqueum continet & offendiculum. Jam ſi de ciſterna providit Deus, ne aperta noceret, quid de ore ſemper ad calumniam promto dicendum erit, quod non in ciſternam, ſed in infernum auditores calumnias adprobantes dejicit? Immortalis illi honor habeatur, qui latentem foveam, in quam Daemon

Exod. 21. 33.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A Daemon Protoparentem impulerat, suo adventu obseravit.

Scriptum denique est: *Filius, qui patri suo maledixerit, morte moriatur*. Porro si tanta poena dignus est filius, qui injuriam quovis pacto fecerit hujusce seculi genitoribus, quanto pejori, imo & pessimo letho afficientur impiae illae ac procaces linguae, quae temerario ausu bla- B sphemias in Patrem illum omnium suavissimum, Deum scilicet protulerunt? Tuam, Domine, justitiam benedicimus, ac tuae bonitati gratias agimus, quas possumus maximas, quae nefarios tui nominis detractores complectitur.

Exod. 21. 17.

SERMO XIII.

De timore Dei, & consummatione seculi.

INitium sapientiae, sacris literis admo- C nentibus, *timor Domini est*. Qui ergo Dominum timet, is revera sapiens est; omnia quippe mandata ejus servat, omnes ejus sermones explet, & ejus voluntati perfecte obsequitur.

Ps. 110. 10.

Quisquis es Deum time, ipsius disciplinam amplectere, sapientiam adama, ut ille tibi gloriae coronam imponat.

Sapientiam cupienti timor Domini sit in primis propositus, qui ubi deest, D nihil boni, nihil sinceri reperiri unquam potest.

Via Domini, qua sapientes incedunt, optima est. Quicumque autem ab ista deflectunt, fieri nequit, quin in deviis, maximeque periculosis ambagibus pervolvantur.

Sapientes nunquam suprema Dei oracula aversantur, quum ab ipsis, a perenni veluti fonte, universa bona largiter E effluere non ignorent.

Dei ergo timorem dilige, ut in via Justorum sine offensione gradiaris, ac demum ad Caelorum regnum expeditissime pervenias.

Servus, qui Dominum reveretur, ejusque dicto audiens est, ipsius regni princeps, & domus praefectus constituetur.

Qui timet Dominum ejusque praeceptis F obtemperat, omnibus ejusdem facultatibus ac divitijs praeficietur.

Moyses servus impiger magnopere Deum timuit. Quare illum Dominum, & domus suae praefectum renunciavit, & ipsi thesauros omnes commisit. Terram quoque & elementa hujus imperio subdidit, cujus nutibus res creatae omnes certatim ac studiosissime paruerunt. Huic insuper maximi ducis honorem detulit, qui tot tantaque supra naturam gessit, ut non hominis,

A nis, sed Dei vocabulo nuncuparetur. Exultarunt montes, quum egrederetur de terra Aegypti, de domo servitutis, deque ipsius fuga laetitiam colles perceperunt. Commotum est mare a facie ejus, & viam aperuit in ejus medio, instar muri, aquis a dextra laevaque circumstantibus, ut Pastor cum grege pertransiret.

B Josue Bar-Nun Moysis discipulus, quia Dei timore plenus erat, Jordanem divisit, ut populum ad terram a Deo optimo maximo multo ante constitutam introduceret. Hic ipse Jerichum profectus, vix apud munitissimam Urbem vociferatus est, ipsius statim moenia corruerunt. Solem vetuit, ne ad occasum solita celeritate volveretur. Mirum! Stetit Sol, steteruntque ambo praegrandes Solis ac Lunae Orbes, donec hostium copias penitus delevisset. Quid plura! Caelo ipsi imperavit, ut qui ex caede evasissent, Chananaeos exterminaret. Cujus dicto audiens C lapideum imbrem demisit, quo pugnae superstites obruit depressitque.

Elias insuper vir erat Dei observantissimus, cujus promovendi cultus studio ita conflagrabat, ut ad improborum perfidiam conterendam natus esse videretur. Hic idem quum divina prope auctoritate fungeretur, Caelo interdixit, ne rorem, aut pluviam emitteret, quoad sibi visum D aliter foret. Cujus quidem praecepto Caelum diligentissime paruit.

Hos Viros sanctissimos res omnes creatae vehementer sunt veritae, eorumque imperio sese sponte libenterque subjecere, non aliam ob causam, nisi quia & ipsi Deum extimescerent. Quamobrem saluberrimus iste timor tantam eisdem gloriam peperit, ut in iis, veluti in domestica sede, Deus habitaret. Omnipotentiae E proinde vim creaturae sentientes, summam illorum potentiam non immerito metuebant.

Qui Deum timet, hunc & creaturae reverentur, ejusque mandata exequuntur, si divina ipse perficiat. Caelum ipsum, ipsa etiam elementa timenti Deum obsequuntur, & suo quaeque modulo inserviunt.

F Qui Deum timet, nec ab ipsius legibus vel modice deflectit, minas terroresque omnes superat, & inanes larvas contemnit, abjicit, deponit.

Cujus rei exemplo sit egregius ille Rex David, qui suam omnem fiduciam in Deo habens repositam, haec frequenter Ps. 15. 8. usurpabat: Posui Dominum in conspectu meo, ne timeam, neque commovear. Deum

A Deum namque ut scutum inexpugnabile sibi proposuit, iccirco impavidus psallebat: *Non timebo quid faciat mihi homo*. Humanis nimirum terriculamentis, Daemonisque latratibus nihil urgetur quisquis Deum possidet; imo potius Daemonem ipsum ejusque satellites talium virorum, non dicam aspectus, sed fama ipsa frangit debilitatque.

Ps. 5. 55.

B Mors terribilis est ijs, quorum cum vita omnia extinguuntur, non justis, quorum virtus emori non potest. Jamvero etiam mors tanta justos veneratione prosequitur, ut nisi supremum Dei decretum accedat, ipsos ne leviter quidem audeat attrectare.

Quae Dei timorem & humilitatem colit, in eam Deus ipse animam sponte labitur, & perpetuum in ipsa domicilium C statuit; hujusmodi porro custodiam quilibet aut terror, aut formido effugiat, necesse est.

Mira siquidem is majestate praefulget, quam si Cherubim, & Seraphim intueantur, plane contremiscunt, si mortales, ut fumus evanescunt, si terra, paleae instar, subito deficit. Dum ergo talis tantusque hospes in anima diversatur, quis eam pavor concutiat? Qui metus exani- D ment?

Vix autem Dei timorem deposuimus, animalia ipsa nostrae ditioni subjecta nos territant, quamquam illa Deus condiderit nostris usibus, non ut sua nos immanitate terrerent, sed ut nostram auctoritatem reformidarent. Quod quidem ex luculentissimis hisce Domini verbis perspicue colligitur: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Caeli, & universis animantibus, quae moventur super terram*.

Gen. 1. 28.

E Nos autem feras pertimescimus vitamusque, quia Deum nec timemus, nec adamamus. Quod etiam caussae est, cur scarabaeus ipse, quo nihil vilius aut abjectius inveniri potest, & immundissimum quodvis reptile nos turbat exagitatque.

F Itane homo vecors atque amens ignominiosum serpentem times, Deum vero nihil metuis? A scorpione trepidas, a verbo autem Dei non commoveris? Camelum, leonem, ursum, tigrim, canem denique ipsum formidas, Deum nihili pendes? Nescis, insane, nescis quantas vires Dei timor habeat. Ipse profecto avidas leonum fauces in lacu quondam clausit, ne Danielem discerperent, cujus sanctissimi Viri carnes, quia Deum timebat,

mebat, ferro duriores eorum oculis apparuere.

Ignis, cujus voracitas est unicuique notissima, succensus quondam in Babylonis fornace fuit, eo consilio, ut ibi tres Pueri ob contumelias simulacro Regio illatas concluderentur. Licet tamen in fornace hujusmodi incendenda omnem barbari operam studiumque insumsissent, flamma nihilominus nullum formosissimis, Deumque timentibus pueris detrimentum intulit, sed, quod mirandum magis est, in suavissimum rorem, auramque lenissimam conversa, eosdem admirabiliter fovit, texit, recreavit.

Qui Deum timent, nec aquam, nec ignem, nec animalia, hominesque, aut quidpiam aliud timere possunt. Si quis adest, qui aquarum vim timeat, maximum illum Israëlitarum Ducem Moysen intueatur, cui procellosum pelagus minime nocuit, quin & ipsum vado trajicientem sustinuit. Quem ignis movet mox laudatos inspiciat pueros, quos ne leviter quidem flammae attigerunt, imo molliter complexae sunt. Qui belluarum feritatem horret, mentem ad Danielem leonum faucibus objectum convertat, qui ingenitam iis ferocitatem, in ovium mansuetudinem conversam sensit. Quem armatus miles exanimat, Ezechiae orationem crebro usurpet, qua nimirum Rex ille immortali laude dignus plurima pugnantium agmina profligavit. Martyres demum spectet, quos nec vis ulla, nec furor perculit, sed eculeos, tormenta, enses, vincula, mortemque ipsam alacres despexerunt.

Nihil est, quod Dei timorem aequare possit; hic siquidem cruciatus omnes, & quaevis malorum genera mirum in modum vincit, nec ulla res est adeo metuenda, quae non istius virtute facile superetur. Porro Dei timor amori aequatur, quae virtutes perfectum Deo domicilium construunt.

Qui Deum timet, labi aut errare nequaquam potest; divina quippe praecepta accurate custodiet, atque ita ab iniquitate maxime abhorrebit:

Qui peccat, longissime a Deo abest, proindeque Diabolus illum metu implet; quare dies in summa animi perturbatione trahere ubique cogitur.

Quia omnipotentis Dei timorem excussimus, ideo mentem nostram vitium

[illegible]

A tium infecit, quo cum tremores trepidationesque irrepserunt. Experimento namque videmus, improbos quoscumque, dum peccant, pallescere, & suum scelus prae verecundia obtegere, persuasum enim illis est, lethale id virus esse, quo nihil Deo detestabilius; unde quum dignos communi omnium odio se esse videant, latibula quaerunt, quia venenum in lucem prodere erubescunt.

B Peccator enim propriae conscientiae testimonio exagitatus & aliorum conspectum vitat, & suam ipse foeditatem odio habet. Et sicuti hoc proprium inest oculis, ut a deformi conspectu abhorreant, pulchrum vero cernere gestiant; lucem appetant, tenebras effugiant, ita peccator, cujus viae tenebrae sunt obscurissimae, sese ab omnium aspectu subtrahit, ratus

C semetipsum omnium esse oculis gravem atque intolerabilem. Huc etiam accedit eo illum timiditatis devenire, ut ad levissimam frondium agitationem expavescat, & suis etiam non raro vocibus exanimetur.

Fures, adulterique clanculum incedunt, & proferre vix audent verbum, quum metuant, ne propria culpa ip-

D sorum fraus detegatur. Quapropter vel nutibus, vel oculorum ictibus secum ipsi alloqui coguntur: tanta est eorum timiditas, ac diffidentia. Adde preaterea, eam esse peccatoris ignaviam, ut de ipsis quoque gressibus suspicetur; si enim libratis minus vesti-

E giis ambulet, timet, ne in ipsomet scelere deprehensus poenas luat. Si inanem vocis sonum accipiat, immotus, lapidis instar, haeret; si canem latrantem audiat, omnino corruit; si quidpiam forte moveatur, ad fenestras advolat, ut e muro, aut sepibus evadat, nunquam tamen ex janua effugium quaerit. Et quoniam infernum hostem intrinsecus la-

F tentem gerit, quocumque se vertat, sua illi scelera tanquam furiae occurrunt, quae ipsum respirare non sinunt.

Jamvero si crimina hominibus occulta tantum formidinis injiciunt, quid dicendum de iis, quae publice innotescunt? Quid quum ante formidandum divini Judicii tribunal discutienda proponentur? Si furem, aut adulterum unius homunculi aspectus tantopere solicitat, quem non iisdem terrorem ultio

Domini, ac terrae Caelique ingeret exprobatio ?

Nulla cogitatio, nullus oculorum obtutus impunitus evadet. Juſtiſſimus ſiquidem Judex, qui revelat profunda & abſcondita, non modo prava cordium conſilia, verum ludicra etiam quaelibet, & inconſideratos geſtus reteget, & in diſcrimen vocabit. Caelum terramque ſuae adminiſtras juſtitiae adhibebit, quum interim & improbi timore horribili complebuntur, & inter juſtos vix quiſquam erit, qui valeat ſine metu Judicem intueri, cujus ardebunt oculi, & furor undequaque emicabit, clementiae nomine jam penitus extincto.

Caelum concutietur, & ejus luminaria, quae in praeſentia tam pulchre fulgent eodem labefactata motu concidant neceſſe eſt. Sol obſcurabitur, & Luna, quam a Sole haurit, luce privabitur. Sydera, quae infixa Caelo ſunt, elabentur. Pelagus horribili murmure infremet, & in ipſo furoris aeſtu deficiet. Terra quoque incendio flammiſque tamdiu conflagrabit, donec in nihilum redigatur. Subvertentur montes, & ut plumbum in medio fornacis liqueſcent.

Surget Deus ad judicandum, & ejus inimici conterentur; creatura autem omnis, clamydis inſtar ſciſſae & prorſus lacerae ſemianimis decidet. Firmamentum collabetur, Caelum ac terra tranſibunt, & univerſus orbis ut fumus diſſipabitur.

Quum vero improborum ac perduellium cauſſam, omnium animis plane titubantibus, cognoſcendam ſuſcipiet, ut in ipſorum perfidiam, ea, qua par eſt, ſeveritate animadvertat, quis erit virtute adeo praeſtans, ut queat tantam cladis acerbitatem ſuſtinere? Sua modo beneficentia ut optimus parens Mundum fovet; tum vero injuriarum vindex conditam evertet molem. In qua quidem deſtruenda eo plane modo ſe geret, ac iratus quiſque in hoſte provocando utitur; is enim antequam hoſtem adoriatur propriis exuitur veſtibus, ut, hujuſmodi ſublato impedimento, ſit ad pugnam expeditior. Porro deplorandae hujuſce vaſtitatis inſtrumentum ignis erit, qui ante Judicem praecedens inflammabit in circuitu inimicos ejus. Hic autem ignis ex ipſo egrediens, velut ſarmenta comburet quotquot divina patientia

A B C D E F

[illegible]

tientia abusi eandem temere impudenterque contemserunt. Si ergo Caelum, terra, mare ac reliqua Mundi globum ambientia istius ignis impetu absumentur, ecquis erit adeo perfrictae frontis, ut si peccasse se noverit, incolumem discessurum confidat? Hujus praeterea ignis natura a communi igne admodum diversa erit; quandoquidem quum a Deo optimo maximo ad scelestorum malitiam, quae quodammodo infinita est, torquendam construendus sit, ipsius vis nullis mensurarum angustiis comparanda videtur. Quapropter jure asseri potest, parvam ipsius ignis scintillulam humanis futuram viribus intolerabilem.

Ex quo Deus ex nihilo terram condidit, sua miseratione ignem clausit, ne ipsa adureretur. Nam si liberas illi habenas relaxasset, certe ea, quae nunc cernimus, nullo pacto constitissent. At quum Caelum terramque judicabit, abditum eundem patefaciet, quo furente Mundus deficiat prorsus oportet. Tum vero justi ipsi vix ab excidio se immunes fore arbitrabuntur, ceteri autem mortem omni supplicio acerbiorem subibunt.

Aethereus, de quo nunc agimus, ignis una cum peccatoribus electos devoraret, nisi divina postremos clemenmentia tueretur. Insuper si divinae gratiae virtus Caelestes desereret cives, eos etiam flammarum furor caeco quodam impetu insequeretur.

Si igitur Beatorum animae Deo carissimae vix superstites erunt, quid de miseris peccatoribus sentiendum? Angeli Judicem placandum nulla ratione suscipient; hujus namque severitate inspecta velut semivivi conticescent. Sancti apud illum intercedere non audebunt, veriti, ne una cum reis admisceantur. Quamdiu enim subsellia Judex tenebit, ii, qui illius clementiam exposcere tentabunt, etiamsi sint ex ipsius familiarissimis, iram aeque ac reprobi experientur.

Judex itaque super igneum thronum vectus, igneis undique radiis emicans, igneum ex se flumen ad mortales probandos emittet. Is tamen ignis non omnibus promiscue nocendi facultatem habebit. Eos solum invadet, quorum pectora nullo caritatis igne inflammata comperiet. Hujusmodi autem ignem Christus Dominus venit olim mittere in terram, nihil aliud optans, nisi

nisi ut accenderetur. Hunc qui sibi comparaverit, vigentemque in animo custodierit, incendium illud funestissimum evitabit. Qui contra propria malitia extinxerit, iisdem, quibus haec Universi machina, flammis interibit.

A

Rex Regum Deus e suae Majestatis Sede Caelestium agminum praesidio ac comitatu fultus in terram descendet. Nemo ex celeberrimo illo consessu metu vacuus omnino erit. Omnes quotquot exstiterunt, aut inposterum futuri sunt ibi praesentes aderunt, nec ullus ab Judicis sententia excipietur.

B

Tuba interim repetito clangore personabit, cujus strepitus in sepulcris abditos excitabit, & singuli resurgent incorrupti. Unigenitus namque Dei Filius unico infinitae potentiae nutu celerius universos ante suum Tribunal congregabit, quam quis oculi palpebram movere possit.

C

Mortem ipsam invadet timor; quocirca in lucem restituet quos voraverat, & redivivos omnes ad Judicium mittet. Ne vero ulla terrenae pulveris particula mortuorum fortasse cineribus admixta ad Judicium pertrahatur, Dei jussu fiet, ut terrenus pulvis ab humanis cineribus segregetur.

D

Quos aequor ingurgitavit, quos ferae comederunt, quos avium discerpsere ungues, quos ignis absumsit, in momento singuli ad perfectam aetatis mensuram redacti surgent, & in jus prodibunt. Quare pueruli quoque illi, qui praesentis vitae limen nondum ingressi, in matris utero decesserunt, ad florentissimam integramque aetatem, Deo ita sapientissime disponente, traducentur.

E

Foemina, quae foetum in utero gestans occubuit, eundem, licet in virum mutatum recognoscet; eademque ratione foetus matrem a ceteris distinguet suam. Haec autem mutua cognitio utrisque inerit, etiamsi nulla ceteroquin cum ipsis consuetudo, aut necessitudo intercesserit.

F

Huc accedit, quod resurrectio praeter integram unicuique aetatem, scientiam quoque perfectam tribuet. Quapropter quem propria non excaecavit improbitas, omnia tam quae in Caelo, quam quae in terra sunt, superaddito gloriae lumine, in Deo tamquam in speculo perspicue distincteque cognoscet.

Mulier impudica, quae ex adulterio conceptam prolem, abortioni caussa prae-

A praestita, lucis beneficio privavit, novo illo mundo minime perfruetur; id enim infans tam enormiter laesus non sinet. Quocirca quum impudentissima mulier puerili innocentiae neutiquam parcens suffocatum illum in terrae visceribus condidit, eadem ita exigente facinoris atrocitate, perpetua noctis caligine obruetur.

Jamvero ut ad rem redeamus, in B ipsa aetatis mensura, in qua summus Opifex Deus primos hominum parentes constituit, omnes reviviscent, nullo aetatis discrimine remanente, quisquis ex operum, quae gessit conditione ab alio tantummodo differet. Nam qui propriae dignitatis immemores cupiditati ad satietatem indulserint, insigni turpitudine notabuntur; qui vero ita se gesserint, C ut eorum probata sit fides integritas probitas virtus fulgebunt quasi splendor firmamenti, & quasi stellae in perpetuas aeternitates. *Dan.* 12. 3.

Illud autem postremum erit, quod Judicis jussu, probi ab improbis dissociabuntur, illi quidem ad Caelum, hi vero ad Inferos, unde egressi sunt, redituri. His gestis haec una eademque vox ab omnibus exaudietur: Justus es, D Domine, & rectum judicium tuum. Justus es & rectus, clamabunt qui latus dextrum tenebunt, nam statutum justis praemium persolvis. Justus es & rectus, ad laevam stantes vociferabunt, nam debitas improbis poenas constituis. *Ps.* 118.

Proh quam felix justorum conditio! Hi enim vitam adepti immortalem beatissimamque praeclaro Dei conspectu in E perpetuum perfruentur. Tanta insuper erunt gloria ac splendore praediti, ut quibuslibet Caelorum radiis eorum lux & claritas summopere antecellat.

At quid loquar de iis, quorum ignominiosa vita nullum honestae morti locum reliquit? Vae miserrimis illis! quippe qui in Inferno accerrimis cruciatibus divexati suam omnes dementiam infelicitatemque inutiliter ingemis- F cent.

Qui nefariis Deum sceleribus ad ultionem concitavit, suamque fraudem virtutum involucris contexit, in tenebras omni luce carentes projicietur. Qui livore intrinsecus absumti pravum in animo dolum foverunt, in horribilem puteum igne ac sulphure plenum praecipites delabentur. Qui vesano furore correptus caritatem e suo sinu expulerit, & proximos capitali odio sit prosequutus, Angelis

lis divinae ultionis administris puniendus tradetur.

Qui panem esurienti denegaverit, nec afflictis proximorum rebus succurrerit, opem assidue exposcere cogetur, quin ullum sibi adfuturum confidat.

Qui opes in luxu intemperantiaque profuderit, quin egenti aliquid solatii tribueret, in atroci incendio positus, guttulam aquae implorabit, quae tamen ipsi denegabitur.

Quorum impurissima ora contumelias conviciaque, & quod deterius est, blasphemias egerere consueverunt, in pestiferam sordium sentinam obvoluta, oppilabuntur.

Qui aes alienum rapacibus furatus est manibus, seu fraudulenter se in ludo gessit, domumque suam turpibus lucris opulentiorem reddidit, assiduo dentium stridore laborabit, ipsumque Daemones asperrimis tormentorum generibus torquebunt.

Qui sensus libidine percitus mentem ad stupra, & adulteria, aliaque id genus flagitia convertit, in aestuanti illa flammarum voragine supra quam cuique credibile sit exardescet. Qui sacrosancta Sacerdotum jura violavit, Deumque audacter contemsit, acerbiorem prae aliis poenam luet.

Quae quum ita futura sint, te modo, Deus optime, Patrem amantissimum profitemur. Tua valeat pro nobis virtus, ne cum tui nominis hostibus Gehennae perpetuo addicamur. Quum misericors sis, tuae nos clementiae praesidio tuere, quum lucis auctor, nostram mentem tuae gratiae radiis illustra, ne callidi hostis assentatione capiamur, quum Justus, justitiam, quum Salvator, salutem, quum demum Sanctus, sanctitatem nobis omnibus impertire, ut qui ad divini tui Corporis & Sanguinis communionem toties accessimus, per te servatos esse intelligentes in hoc unice incumbamus, ut nostri erga te amoris tibi argumenta minime dubia praebeamus.

SERMO XIV.

De Jejunio.

TAndem aliquando, Fratres carissimi, tempus ad salutem adipiscendam opportunissimum nacti sumus. Neque enim pretiosiora nobis ad agendum momenta objici uspiam poterant, quam tempus hoc salutare, quo summus Princeps Deus facillimum se in hominibus audiendis admittendisque praebet.

Opus

A Opus est igitur majori quadam animi alacritate. Servandum enim nobis debita cum puritate jejunium proponitur, quo cum Caelestis beatitudo tanquam divinae erga nos benevolentiae pignus, nobis offertur.

Quare agite, Fratres, oblata divinitus opportunitate utamur. Absit, ut B abstinentiam fastidiamus, quae etsi durior alicui fortasse nostrum prima fronte videatur, jucundissima tamen iis est, qui quum eam laeto semel animo susceperint, eandem libenter servant & fideliter, & constanter. In hisce igitur saluberrimis abstinentiae undis, mentis corporisque detersa illuvie, misericordiam ab optimo clementiae Patre quaeramus, C qui sponte rectis jejunantium votis occurrit. Jejunis enim fidelibus Caeli fores panduntur, quibus etiam ex terrena humilitate erectis, quae sursum sunt, attingere licet.

Angeli beatique omnes nos jejunio deditos intuentur, & de nostra sobrietate mirifice gaudent, qua nimirum digni efficimur, qui fraterna eisdem necessitudine copulemur. Imo vero ipse D Christus in hoc admodum delectatur, & quasi voluptate quadam perfunditur, dummodo Fidei, Spei, Caritatisque virtutibus temperantia eluceat.

Nec mirum vero, si Prophetae, Apostoli, omnisque Sanctorum virorum coetus de jejunio laetantur nostro, quippe qui ipsius gratia plurima saepe opera gloriosissime & magnificentissime confe- E cerunt.

Quod ut exemplo manifestius appareat, jejunium coluit Moyses, qui propterea infinita pene prodigia gessit, & ipsummet Deum facie ad faciem conspicere promeruit. Jejunium Elias coluit, & dignus habitus est, qui igneo in Caelum curru veheretur. Coluit & Daniel, eamque sanctitatis famam adeptus est, ut eundem Leones ipsi reveriti fuerint. F Coluerunt tres pueri, & ignis impetum in suavissimam auram immutatum senserunt.

Jejunium pariter mira quadum voluptate Prophetae susceperunt, quorum nonnulli quadraginta dierum spatio nihil prorsus cibi sumsere.

Hujusmodi consuetudo familiarissima etiam Apostolis fuit, praecipue dum ad evangelicae veritatis lucem promulgandam terrarum regiones perlustrabant. Quid plura? Divinus ipse Praeceptor asperrimum jejunium sustinuit, ut exemplo magis,

magis, quam verbo de hujuſcemodi virtutis praeſtantia commoneremur.

Tot nunc praeclaris teſtimoniis monumentiſque convicti carnis arrogantiam abſtinentia coërceamus, hoc in animo fixum habentes, nulli fas eſſe beatitudinem ſperare, quin omnem vitae ſuae curſum in labore corporis, atque in animi contentione confecerit.

Qua de re jejunium amplectantur Sacerdotes, id ſibi potiſſimum caventes, ne, dum corpori eſcam ſubtrahunt, quid de ſacrorum religione imminuant. Amplectantur Diaconi, ut ſacri altaris miniſterio fructuoſius deſerviant. Amplectantur ſenes quantumlibet imbecilli, quos ſi forte ab inediae aſperitate provectae aetatis infirmitas diſſuaderet, ipſos ad eandem praeteritae vitae recordatio ſolicitet. Amplectantur cum conjugibus viri, ut ipſorum thalami omni turpitudinis infamia careant. Hoc praeſtent virgines, ut, adveniente aeterni luminis ſponſo, ad nuptias plenas dignitatis, plenas concordiae admittantur. Hoc idem praeſtent genitores, Deum pie pro ſuis liberis obteſtantes. Hoc florens juventus, hoc pubeſcens adoleſcentia delectetur; Sic enim progrediente ſenſim aetate, vitae occaſum placidiſſime attingent: Hoc divites, ut hinc diſcant ſuas miſeris atque egentibus facultates erogare: Hoc inopes, ut Deus ipſorum mendicitatem ſublevet: Hoc liberi propriis parentibus orbati, ut Deus ipſis ſe Patrem amantiſſimum praebeat: Hoc viduae, Chriſtum aſſidue orantes, ne miſeras virorum praeſidio deſtitutas neceſſario victu carere patiatur: Hoc denique Eccleſia cum filiis omnibus tenaciſſime ſervet, qui ſic oblato reluctantibus cupiditatibus pabulo, quod amore dignum eſt diligent, & ſuae ſaluti operoſius vigilabunt.

Mortalium mentibus quantumvis depreſſis atque debilitatis id roboris jejunium impertitur, ut Caelum valeant libere penetrare, & ad Deum ipſum accedere, qui lucem habitat inacceſſibilem. *Timot.* 5.

Neque vero beatitudinem in Caelis tantum, verum etiam ſecuritatem, & prodigia in terris abſtinentia parit. Ninivitae ſiquidem Jonae vocibus territi, ſeipſos & animalia quadragenariae inediae ſubjacentes ſalutem adepti ſunt. Apoſtoli autem jejunio dediti gentes immanitate barbaras, locis infinitas ab erroribus ad fidem Orthodoxam perduxerunt. Quid de Martyribus dicam, qui incredibilem, qua gladiis, ignibus, ſecuribuſque

A ribuſque occurrebant, alacritatem jejunio acceptam referre non dubitarunt? O felicem animarum praeſidium abſtinentiam! O praeclaram hominum cuſtodem! Summam video in te eſſe dignitatem, & inter cetera Deo gratiſſima officia celſiſſimam honoris ſedem te retinere gaudeo. Beatum itaque florentemque illum dicam, qui ſe tibi prorſus commiſit, quum ipſi & Caelum petere facere liceat, & ipſos etiam Daemones aſpernari. Fallitur tamen, Fratres cariſſimi, quicumque putat, in hoc ſummam eſſe jejunii, ut quid cibi extra conſuetum ordinem corpori imminuatur. Certum namque eſt, neminem, cujus mores a ſolidae virtutis praeceptis diſſident, ullum exinde ſalutare emolumentum percipere. Nihil profecto corporis afflictatio iis prodeſt, qui tacite odium ſimulant, aut quorum pectora inveterata ulciſcendi libidine efferveſcunt; Deus enim nunquam in infame iſtiuſmodi domicilium delabitur.

Attendite nunc, quaeſo, Fratres, & diligenter animadvertite ad ea, quae ſum vobis utili digreſſione dicturus. Supremus mortalium Praeceptor volens ſanam precandi methodum Diſcipulis tradere, pulcherrimam orationem illam compoſuit, cujus in Evangelio aperta fit mentio; in qua quidem oratione, praeter cetera rudi ipſi hominum vulgo notiſſima, haec inſerta deprehenduntur: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Ex quibus manifeſte colligitur, nemini criminum veniam a Deo petere licere, niſi prius injuriis fratrum pepercerit. Quî ergo fieri poteſt, ut grata Deo ſint eorum jejunia, quorum prona eſt ad ultionem voluntas? Porro nil mirum ſi plerique ſola epularum abſtinentia contenti nullam referant ex jejuniis utilitatem, quippe qui adduci nequeunt, ut livorem, & inteſtina odia aliquando deponant. Qua igitur fronte, homo inſipiens ac ſtolide, orationem Dominicam recitans dicere poteris: *Dimitte mihi pater debita mea, ſicut & ego debitoribus dimitto meis*, dum interim ardentiſſimis oculis caedem ſtragemque inhias? Nonne ſupervacaneum ducis corpus fame ſitique necare, dum animam vitiis langueſcere ac plane confici ſinis? Ad nullam prorſus rem tua utilis oratio eſt, ſicuti & jejunia, niſi fide, ſpe, & caritate ornatus ſis; hae ſiquidem virtutes omnem dolum & fraudem, Daemoni pergratam, Deo autem magnopere inviſam omnino excludunt.

Matt.6.12.

dunt. Quocirca ne diutius cum periculo fatuus sis, noli jejunare sicut ad hanc diem. Abjice inimicitias veteres, omnemque e tua voluntate vindictae cupiditatem expelle. Jesum audi docentem: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Perspectis itaque, Fratres cariſſimi, praecipuis illis, quae jejunii impediunt vim, nunc ad virtutes, quarum decore honestari ipsum decet, gradum faciamus. Harum omnium praestantiſſimae, quaeque ad rem magis apposite faciunt, tres istae sunt; nempe oratio, & caritas in pauperes, praesertim orphanos, ac in viduas liberalitas. Proh quam excellens est virtus munificentia, quae tota ad pauperes pertinet, quibus, si culpas vitent, ipsomet Christi oraculo testante, aeterna felicitas adservatur.

(Esai. 58. 3. — Matt. 5. 23. 24.)

Hac caritate praefulgeas oportet quisquis es, qui opibus affluis. Nam quum nihil habeas, quod non acceperis, alienum reddis, dum ex proprio tribuere putas. *Frange*, (non hominis, sed Dei voces sunt) *esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, quum videris nudum operi eum.* Quotidiano contentus victu sis, quemadmodum in oratione Dominica didicisti. Ne pecuniae coacervandae studiosus sis, quo nihil foedius, & ad vitia excitanda alendaque accommodatius. Beatus, qui esurientem pavit, & nudum contexit; quandoquidem nil ei ad feliciter vivendum deerit, insignem habens remuneratorem Deum, a quo centuplum accipiet, & vitam sempiternam poſſidebit. Idipsum Regius quondam Vates sua cythara cecinit, dum ait: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Quae hucusque liberalitatem erga pauperes laudans contexui, ex his, quae sequuntur, Evangelii verbis clara magis, ac manifesta fient: *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei Justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te? sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te, aut nudum,*

(Esai. 58. 7. — Ps. 40. 1. — Matt. 25. 34. &c.)

A *dum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis.* Hujus rei veritate tam clare perspecta, diligenter cavete, Fratres, ne tot commodis vobis divinitus traditis ad perniciem abutamini. Vae vobis, si deploranda vi-

B ce praecipites in sceleratorum sedem atque regionem ageremini! Sicuti contra felices ii, quibus Paradisum ingredi contigerit; ibi enim secretis malis omnibus sempiterna beatitate in cumulata bonorum omnium complexione perfruentur. Hanc porro beatitatem quisquis vestrum adsequi cupit, oportet prius, ut si hactenus voluptati cessit, errorem jejuniis ac poenitentia studeat emendare. Omnis immun-

C ditia atque luxuries a vestro corpore absit, quum nihil sit libidine detestabilius, Deoque injuriosius. Blasphemia, obtrectatio, & calumnia quaevis ne in vobis nominetur, quibus Deum laudare, non turpia effutire convenit. Nolite superbiae locum dare, quae initium est omnis peccati; non enim est creata hominibus superbia, sed humiliamini in conspectu Dei, quum sitis pulvis & cinis. Ne alienum

D quidpiam expiletis; nam fures divina benedictione privati nunquam Dei regnum possidebunt. Adulteria, falsumque testimonium, velut pestem teterrimam fugite. Haec namque immanissima foedissimaque vitiorum monstra homines ad interitum trahunt. Cavete insuper, ne in vestris juramentis Deum testem assumatis. Os enim divinarum laudum instrumentum ju-

E rare non decet. *Sit sermo vester est est, non non.* Hanc omnem turpitudinis labem a vobis perpetuo propulsabitis, si poenitentia, jejunia, oratio, & prae ceteris caritas, quae plenitudo legis est, deliciae fuerint & amores vestri. Haec praeclara beate vivendi & aperta & simplex & directa via est, quae viros bonos ad gloriam facillime perducit, & quam nobis divinus Magister in lubrico jampridem

F oberrantibus suo adventu demonstravit. Hanc modo viam teneamus, memores, caduca ista & ancipitia bona, quibus tantopere adstricti sumus, fluere & penitus exarescere. Jesum interim laudemus, qui nostrum aeterno Patri sua morte debitum persolvit, & Augustissimam Trinitatem proni veneremur, ad cujus gloriam honoremque omnia debent unice revocari.

Eccl. 10.15. *Ibid.* 10.22. 1. *Cor.* 6.10. *Matt.* 5.37. *Jacob.* 5.12. *Rom.* 13.10.

A

SERMO XV.

De humilitate, & superbia.

Qui in aciem descendit, & victoriam hosti extorquere cupit, illustribus sanctae humilitatis armis, veluti lata insignique lorica se muniat. Adversarii telum superbia est; hac potissimum ille cum progenitore nostro Adamo, & ejus posteris decertans vicit. Humilitas vero Christi telum est, quo ipse adversus Daemonem usus fuit, & cujus vi tyrannidis solio eum dejecit deturbavitque: illa ornati tectique tot divini Numinis cultores, immortalem sibi gloriam compararunt. Nec mirum, quum ipsa soleat unicuique quantumlibet imbecillo victoriam ac triumphum afferre. Nulla ergo interposita mora felicissimum hocce telum corripite, Christiani omnes, hoc pro certo habentes, vos ita & palmam adepturos, & Caelorum regno potituros; cujus si in vestrum animo cupiditas residet, oportet, ut humilitatem amplecti studeatis. Haec compendiosior via est, haec janua, per quam ad gloriam ingressus patet, haec scala, cujus gradibus ad Caelum ascenditur. Humilitate comite immortalis Dominus e siderum vertice in terram descendens saluberrimum humanae reparationis opus aggressus est; perque ipsam mortales e profunditatis abysso ad superiorum incolarum sedes gradiuntur. Ipsa praestante bona possidentur, ipsa sustinente discrimina evitantur.

Ipsa conciliante Deus hominibus propitiatur; quia illius precibus multo facilius annuit, quam victimis ceterisque id genus oblationibus. Hac justi magis perficiuntur, poenitentes beneficiis cumulantur. Hac reus quilibet absolvitur, neque ullus est tam improbus peccator, qui non denuo gratiae restituatur. Hic fons est & origo, unde bona uberrime effluunt; ex superbia vero nihil praeter angustias calamitatesque emanat. Quisquis humilitate praeditus est thesaurum omnibus divitiis redundantem possidet, qui vero inaniter inflatur, is profecto aerumnis gravissimisque molestiis misere exagitatur. Humilitate peccatores perditissimi perfectionis apicem attingunt, a quo tamen superbia dejecti in fraudem turpiter impelluntur.

Quae ut ita se habere luculentissime pateat, breviter admiremur Daemonum egregiam pulchritudinem, qua in ipsa creatione a Deo Opt. Max. mirifice exornati praeclarissimum sui spectaculum faciebant?

A ciebant ? Tantus profecto illis inerat ſplendor, ut nulla ſpecies, ſi Divinam exceperis, excogitari poſſet ornatior, aut elegantior. At, quis crederet ? Superbia non modo hiſce dotibus exſpoliavit, verum etiam portentoſa eos deformitate ac turpitudine inuſtos Gehennae incendiis perpetuo addixit. Contra vero, quis Latrone ſceleſtior ? Attamen vix humilitate monitus ſe reum faſſus eſt, ſtatim aeterna ſibi tabernacula promitti audivit. Fa-
B tendum igitur eſt, nihil inveniri tam ſordidum, quod humilitate non expurgetur, nihil tam ſanctum, tamque integrum, quod ſuperbia non labefactetur.

Quid plura ? Ipſe Dominus virtutum omnium principem caritatem eſſe conſtituit. Quis tamen caritate praeſtat, niſi prius humilitate excelluerit ? Quicumque
C igitur inflammari caritate expetit, ad humilitatem confugiat neceſſe eſt, quae non caritatem minus, quam fidem, ſpemque ipſam Divino quodam privilegio comprehendit. Jejunium ipſius tantum beneficio ad juſtitiam diſponit. Virgines hujus praeſidio ſuam integritatem facillime tuentur. Ipſa eleemoſynis vim tribuit, ejuſque conſilio ſupremo ſacrificia Numini immolantur. Jejunium niſi ab humilitate derive-
D tur, non modo nullam vim obtinet, imo vitium potius, quam virtus cenſetur. Eadem plane ratione pudicitia ipſa ſi ſit ab humilitate ſejuncta, parum prope a libidine differt. Eleemoſynae niſi humilitate ſuadente erogentur, Divino prorſus ſuffragio carent. Inſuper nec ſacrificia Divinus Spiritus reſpicit, ſi humilitate deſtituantur. Iners ac ſomniculoſus optimo jure habendus eſt quiſquis ſine ipſa vigilat atque
E orat. Qui vero demiſſe de ſe audit, quamvis graviter dormiat, ejus oratio Deo eſt acceptiſſima. Humiles etiamſi humanae naturae fragilitate in errores incidant, admiſſa crimina exiguo poſſunt labore deteſtari. Superbi autem juſtitiae non modo jacturam faciunt, ſed, quod deplorandum magis eſt, eo infelicitatis deveniunt, ut dura cervice Spiritui ſancto obſiſtentes in
F ipſa pervicacia ac ſordibus miſere contabeſcant.

Nullus eſt mortalium adeo inhoneſtus, cujus maculas miſericordia, fons ille puriſſimis undis diffluens, humilitatis gratia abluere deneget. Et ut vera fatear; Adulteram illam, cujus aperta in ſacris literis mentio fit, ſedulo animadvertite. Infinitis miſera ſceleribus obſtringebatur, quidve conſilii ſibi capiundum eſſet ignorabat. In tanta animi perturba-

turbatione humilitatem complexa, ad Christi pedes sese abjicit, & veniam dolens poscit, quam piissimus Parens non modo impertitur, verum etiam digito ipso absolutionem obsignatam in Evangelii acta publice referri jubet. Hinc rei gestae memoria praeterquamquod in toto terrarum orbe hucusque viget, in Caelis etiam plausibus celebratur. Haec porro beneficia, quae sane maxima sunt, non aliunde nisi humilitatis beneficio fortunata mulier impetravit.

Praeterea nihil superbia detestabilius, nihil Deo injuriosius accidere posse ipsa Evangelii auctoritas gravissimis hisce verbis ostendit; *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*. Et alibi: *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum*. Quapropter qui Caelestis regni amore flagrat, oportet, ut humilitatem omni studio diligat; ipsa enim suapte natura homines ad justitiam trahit ac prope impellit. Qui justitiam appetit, immoderatum fastum & arrogantiam cohibeat, cui in more positum est virtutes in clientelam vitiorum demittere. Quid? Experientia ipsa constat, peccatores pervicacissimos ad virtutem exiguo labore rediisse statim ac ad humilitatem confugerunt. Contra vero honestissimi permulti ex quo inflari coepere, virtutum omnium longo sibi partarum lacrymabilem se jacturam fecisse conqueruntur. Vos nunc, fideles omnes, Christum verae humilitatis exemplar inspicite, cujus mansuetudinem non admirandam modo, sed & imitandam vobis proponite, quum sine ipsa fieri nullo modo possit, ut Deo placeatis. Quicumque humilitatem possidet, Christum reipsa possidet; qui vero superbiam, suo in sinu immanissimum monstrum, Daemonem videlicet, fovet. Qui humilitatem diligit facile est, ut Deum diligat; qui vero superbiam deperit, divinum sibi ipsi odium indignationemque concitat. Si quis amplam de hoste victoriam referre cupit, humilitatis armis utatur, quibus si eum instructum Diabolus cernat, formidine perculsus fugam e vestigio capiet. Quisquis demum Domino pergratus fieri velit, humilitate amictus incedat; ut is tam praeclare ornatus divinis amplexibus, & gratulationibus excipiatur, atque in Caelesti beatorum Aula ad maximos honoris gradus ascendat.

Quum igitur humilitatis vis tanta sit, ut qui ipsa septus in aciem descendit, spe victoriae frustrari non possit, felix sit oportet, qui ipsa fortissimo veluti propugnaculo communitur. Ipsa enim &

Luc. 14.11.
Luc. 16.15.

A B C D E F

[illegible]

[illegible]

& ab humanis cervicibus impendens exitium facile arcet, & infinita propemodum commoda omnibus praebet: puros integrosque animos a scelerum contagione removet, & sectatores suos Divinis muneribus cumulatos, splendidissimi thalami haeredes instituit. Humilitas praeterea Abelem in victimam Deo gratissimam obtulit; Enoch in Caelum abripuit, atque ab humanae mortalitatis conditione excepit; Noachum a communi naufragio incolumem servavit, & Melchisedech ad summi Pontificatus apicem extulit.

Ipsa Deum inter & Abrahamum arctum necessitudinis vinculum sanxit, ex quo nimirum Patriarcharum ille principatum recognovit; ipsa ferrum in Isaacum strictum compressit, Jacobo paternam benedictionem conciliavit, Josephum opulentissimo regno praefecit: Moysi, ob rerum gestarum magnitudinem, immortalem famam asseruit, Aaroni supremum Sacerdotii culmen, Josue Principatus auctoritatem detulit, Davidi sceptrum, Gedeoni victoriam, Nephtali robur tradidit; Ezechiam diuturna aegrotatione prope confectum pristinae valetudini restituit. Eliam igneo ad Caelum curru extulit; Elisaeo spiritum, Samueli oleum praestitit, Elajae superiores species contemplandas objecit; Jonam a maris fluctibus exemit, e lacu Leonum Danielem vindicavit: ac uno verbo priores posterioresque sanctissimos quosq; viros extulit, & illustravit. Quae quum ita sint, humilitatem, quae fons est, unde quibusdam veluti rivulis fausta nobis omnia uberrime promittuntur, avide arripito quicumque Christiano nomine praefulges, hoc pro certo habens, illam veras tibi divitias atque opes allaturam: Ipsa facilem tibi ad Deum aditum sternit, te Angelorum consortio participem efficit, tibi occultissima quaeque mysteria, quae humanae rationis imbecillitate percipi nequeunt, apertissime explanat, nec non hebetatam mentium aciem miro sapientiae lumine collustrat. Ipsa tumentium fastum deprimit, tuae gloriae indefessa vigilat, intentatam tibi perniciem depellit, puris animum cogitationibus excolit, eoque sua studia omnia respiciunt, ut te ad perfectionem adducat.

Si pronus ad iracundiam sis, ad mansuetudinem revocat, si te aut aemulatione, aut obtrectatione, aut impudentia trahi animadvertat; statim pullulantia ista vitiorum capita radicitus amputat. Ibi laetitiam alacritatem quietem immittit, ubi

ubi antea turbulentissimae tempestates excitabantur. Te, o Christiane, omnium amore studiisque dignissimum, &, quod sane maximum est, Deo gratum efficit & amicum. Incredibilem tuo ex aspectu voluptatem Beati omnes percipient, immanissimus autem tenebrarum Princeps tuae felicitatis invidia fractus in luctu ac squalore misere jacebit; omnesque illi, qui diuturnis irarum fluctibus aestuarunt, magnam ex tua serenitate doloris materiem capient; persuasum nempe iis erit, te eo praestantiae ac felicitatis, humilitate auspice, devenisse, ut eidem nihil jam adjici posse videatur. Tam sublimem itaque perfectionis gradum conscendunt quicumque sese prius humilitate depresserunt, humilitatis profecto jugum suave est, cui quisquis cervicem subdit, viam sibi ad beatitudinem expeditissimam parat.

Quamobrem jugum istud amplecti quamprimum velis; quin etiam mittens manum ad aratrum altius sulcos imprime, nec retro respicias, ut gratus Deo tuus sit labor, & Caelorum regno aptus censearis. Ne si peccatorum sarcina graveris humilitatis jugum respuas, falso tibi persuadens, novum tibi onus accedere, quandoquidem humilitatis jugum non modo criminum pondus, quo unice gravaris, imminuit, verum etiam prorsus tollit ac removet. Si vitam cupis deliciis omnibus refertam ducere, eas humilitate adsequeris; si honores expetis, illa, uti sacrae literae possim testantur, te maximis cumulabit. Si pudicitiam adamas, ipsa excubias agente, in tuto erit; si sanctitatem optas, ipsa largietur, si perfectionem, per ipsam acquires, si denique sublimitatem, hac duce celerrime attinges.

Haec via est ad gloriam facillima, haec Caelorum janua, jucunditatis mensa, bonorum origo, benedictionum fons, & spes, a qua nemo unquam decidit, aut deturbatur. Hac rei absolvuntur, improbi expiantur, errantes in viam redeunt, lapsi ad virtutem assurgunt. Hac duce sibi proposita pugnantes triumphant, triumphantes coronantur. O praeclaram humilitatem omnium laude studiisque dignissimam! O beatum illum, qui tantam hospitem exceperit, miserum, qui amiserit! Beatum, inquam, nam si abjectus jacet, mox in sublime feretur, si inops, locupletabitur. Age nunc, Christiane, & ea, qua decet, sedulitate, virtutem, de qua sermo est, inspiciens, singula non modo ipsius ornamenta, sed & illorum virorum, qui ipsius ope insignes evaserunt, seriem aequa,

[Syriac text illegible]

[illegible]

A aequa, si potes, ratione recense. Quae posteaquam tibi optime perspecta erunt, te ipsum graviter argue, quippe qui de te superbe sensisti; & hinc disce inanem tuum fastum cum vera humilitate commutare. At quoniam ex me saepe sciscitatus es, ut te de armis ad communem hostem jugulandum idoneis, certiorem redderem, tibi libentissime morem gessi; quinimo de praeclara tua indole atque B ingenio mirifice laetatus sum, quia nimirum studiosa te victoriae cupiditate flagrare satis intelligo.

Qua de re insigni illius Ducis, qui mortis atque Inferorum jactantiam feliciter compressit, e vestigio consului, & in ejus veluti armamentarium ingressus, plurima instrumenta ad teterrimam belluam delendam aptissima comperi. Horum pri- C mum mihi occurrit Jejunium; id enim gladius est, qui nunquam frangitur. Deinde verecundia, munditics, sanctimonia, quibus totidem veluti jaculis immane monstrum misere confoditur. His paupertas adjungitur, illa scilicet, quae vanas possessiones opesque respuit; quo quidem telo non leve hosti vulnus infligitur: Caritas quoque, & pax mihi objecta, quorum vim quum formidolosissimus ille sustinere nequeat, D faciem alio convertere prae nimia confusione compellitur. Vidi etiam vigilias clypeorum instar: Orationem effusum veluti pallium, nec non singula justitiae opera suo quaeque ordine mirum in modum disposita, alacrem ad pugnam exercitum optimo jure appellari posse existimes. Quum vero tacitus animo mecum ipse pervolverem, quibusnam potissimum armorum generibus uti morta- E lium unicuique satius foret, nulla humilitate magis consentanea reperi. Itaque missis ceteris, quae tibi addere possem, de hoc uno te probe monitum velim, ut scilicet, si diuturnum certamen, in quo de perpetua tua salute agitur, victor conficere optas, nunquam extra humilitatis septa egrediaris, nec manus conseras, quin prius tuae incolumitati F hisce armis opportune prospexeris. Enimvero cum fraudulentissimo tibi hoste habenda res est, cui nihil gratius accidere potest, quam te imparatum atque inopinantem adoriri.

Quae igitur, Divina opitulante gratia, tibi arma proposui, ea ipsa sunt, quibus invictissima Beatorum agmina hostem solo exaequarunt. O maxime felicem, qui humilitate suffultus in certamen irruit! Divinum itaque hominum Praece-

ptorem, cui humilitas tantopere in deliciis fuit, quique illam omnibus tam vehementer commendavit, ſua ut ipſe humilitate te protegat, & vires ad hoſtium conatus elidendos efficaciſſimas ſuppeditet, obſecrare ne deſinas. Et quoniam ad ipſum unice ſpectat humilitas, quae modo mihi dicenda ſuperſunt attentius audi: Quum humilis plane non ſis, eſſe tamen ne tibi ſtolide blandiaris. Ne ſermonem inutilem effundas, nec probris, aut conviciis tuum adverſarium inceſſas. Audi tacens pro reverentia, & ſenioribus demiſſe obſequere. Ne tuae prudentiae innitaris, ſed tuorum fratrum conſilium frequenter adhibe. Ne ventri immoderate indulgeas, & ſomno ad quietem, non ad diſſolutionem utere. Orationibus, precibus, aliiſque pietatis operibus ſedulo incumbe, in quibus ſi tuam operam ac diligentiam collocaveris, & prae omnibus humilitatem colueris, fiet profecto, ut criminum veniam conſequaris, & Divini Numinis perpetua contemplatione in aeternis ſedibus perfruaris.

Jamvero quotquot in terris vivimus egregias Altiſſimo laudes exhibeamus, qui ad homines delapſus, humilitatem ab univerſo prius orbe exulantem, reſtituit, noſque inſtructos ſatis reddidit, qua ratione ipſius nobis ſubſidium comparare poſſimus. Patrem etiam totis viribus celebremus, qui mortales tanto Reparatore donavit; nec non Divinum Spiritum, a quo enixe efflagitabimus, ut ſua nos virtute ad humilitatem perducat. Ille autem, cujus gratia haec habita oratio eſt, clementiſſimus Dominus, victoriam juſtitiaeque coronam pro ſua miſericordia nobis omnibus impertiatur. Si quis demum preces pro miſero oratore fundit, illi, quaeſo, acceptae ſint, qui Caeleſtem atque terreſtrem molem admirabili conſilio ac providentia moderatur.

SERMO XVI.

De Peregrinatione.

Peregrinatio, de qua ſermonem inſtituo, ars operoſa eſt, plurimum aſperitatis continens; quippe quae ardua idiotis eſt, adoleſcentibus laborioſa, ſimplicibus moleſta, gravis eſt ſapientibus, intolerabilis egenis, nobilibus vulgaris, divitibus humilis. Quicumque itaque peregrinari optat, oportet prae aliis omnibus, ut nihili proprium decus habeat; quin potius animi contemtionem & deſpicientiam ſibi eligat; ſic enim fieri decet. Super nudam plerumque terram dormiet,

dormiet, & lapides ipsi pulvilli loco erunt, rigidoque hyemis tempore hospitium ostiatim emendicare cogetur. Terra frugibus gravida, ipse fame torquebitur; ceteris aquarum copia affluentibus, solus siti exarescet; singulisque sub proprio tecto commode viventibus, ipse unus aerumnis undique obsessus, languescet. Quamvis fame corruat, tamen ut helluo reputabitur, conviciisque ubique appetetur, licet vel leve nulli detrimentum inferat. Se deinde appellari audiet, servum impium, furem, vagum, fugitivum, seductorem, patriae hostem, exploratorem, impudentem, furiosum, lymphaticum. Haec permultaque alia id genus convicia obeuntem peregrinationem manent. Oportet ergo, ut ipse animo sit ad adversa omnia sustinenda parato, & jactas sibi contumelias non absorbeat modo, sed & summa animi constantia concoquat.

Quae quum ita se habeant, nulli unquam gratum fore puto peregrinandi munus, demtis unice Christi Domini discipulis, qui mihi sunt ipsa anima cariores. Servus etenim Dei, cujus vita remota ab hoc populari plausu est, quocumque se vertat, omnium sibi benevolentiam aestimationemque conciliat, & undique similes in probitate viros eidem obsequentes nanciscitur. Cuncti certatim occurrunt, & venerandam frontem exosculantur. Alii domesticum Dei familiarem adoraturi procumbunt, alii incedentem sustentant brachio; omnes tantum hominem hospitio excipere decertant. Purissimis deinde peregrinatoris pedibus unguento oblitis, extersisque, eidem mensam conquisitissimis cibis extructam apponunt, ut cibo & potione non tam corporis, quam animi vires restaurentur. Qua de re qui Christum quaerit, peregre exeat, eumque in peregrinatione inveniet, a quo perhumaniter tractabitur, quin aliquando deseratur.

Qui ad perfectionis apicem nititur peregrinationem aggrediatur; in ea siquidem viam, quam elegit adsequetur. Et si qua forte macula sordeat, haec cito eradetur; quamque vitia defoedarunt mentem, eandem dolor & humilitas renovabunt; & licet in terra hospes adhuc versetur, corde tamen in Beatorum insulis immortale aevum deget. Qui demum suae salutis negocium prospere conficere voluerit, patriam deserat, & terram pedibus perlustret; peregrinando enim sapientiam acquiret, humilitati assuescet, suos mores componet, Deoque perplacebit.

SERMO XVII.

De Solitariis, & Anachoritis.

Ps. 18. 1.

CAeli *enarrant gloriam Dei*, ut ex sacrarum scripturarum oraculo didicimus, *& opera manuum ejus annunciat firmamentum*. Mare etiam cum suis Cetibus Creatori beneficentissimo gloriam tribuit. Terra insuper supremo Auctori conservatorique suo obsequi non desinit, suasque laudes, justorum, quos alit, ministerio eidem offerre gaudet. Cavi ipsi abruptique montes divinis personant praeconiis, quibus nimirum assidue vacant sanctissimi illi Anachoritae, qui latebrosos recessus horridaque antra accolunt. Id jam Esajas prophetico numine afflatus multo ante praenunciaverat, ut ex his verbis eruitur: *De vertice montium clamabunt*: Plurima alia, quae vaticinatus est idem filius Amos, sex cavernis speIaeisque ut plurimum prodierunt. Hinc ego quamvis aliqua de solitudinis beatitate exponere proposuerim, de mea tamen obscuritate timens, Heroum illorum, qui intra montium cavitatem vixerunt, illustria facta referre praetermisi; eo vel magis quod de inclytis viris Elia, Elisaeo, Joanne nemorum cultoribus, deque ipso Domino solitudinis, in qua frequens oravit, peramanti dicere argumentum sane arduum exstitisset.

Es. 42. 11.

Ad solitudinis itaque investigationem me unice revocans, animadverto, plus apud sanctitatis magistros pollere solitudinem, quam otium & quietem; proindeque, colles longe Urbibus antecellere. De quo si quis fortasse ambigeret, sibi minimas res contemplandas sumat, & ex illis demonstrationem hauriat: simplicia meditetur, ab iis enim prudentiam edisceet. Nulli unquam vexationi subjacent per saltus errantes ferae, nec capreae, donec silvas tenent, ad lanienas suspenduntur. Onager, quia in desertis habitat, immunis a sarcina est. Quis Cervorum velocitatem adsequi in saltibus valeat? Vide quomodo hi nullo, quo boves, jugo graventur; nec cervos modo, sed agrestia alia animantia, quae nulla iis praescripta mensura in pratis uberrime pascuntur. Intuere Perdicem in rupibus placide comedentem; Arietem a strepitu abhorrentem, Leonem in Eremo integrum & bene robustum, in oppidis vero puerorum ludibrium. Si aquila sub tectis nidum faciat, ipsius statim oculos exhalans fumus obstringit. Onagri, Cervique, si forte extra silvarum septa egrediantur, se in periculum capitis vitaeque discrimen inferunt;

A B C D E F

[illegible]

[illegible]

A ferunt; perraro nimirum evenire solet, ut ferae ad oppida transeuntes, incolumes in patriam redeant.

Cervi ex lucorum propugnaculis in planitiem descendentes frontis coronam amittent. Aries canibus obsessus crudeliter lacerabitur. Perdicem circum retia volitantem venator alarum remigio privabit. Volatilia omnia, si ad laqueos sese convertant, una cum libertate amissa formae B pulchritudine effraenatae juventutis oblectamento deservient. Ipsi Leones, quam domi retinent fortitudinem, totam in Urbibus deperdunt. Tot igitur exemplis ab animalium vicissitudine ductis institutus, o Christiane, surge, & in solitudinem concede, ne inter multitudinis fremitum pereas; ibi ex avibus vigilantiam edisce, ne per nimiam fidentiam, C seu potius temeritatem, innocentiae desiderium, tristeque tui animi funus inutiliter lugeas. Ne, obsecro, Urbium amoenitate irretitus, alienus a montium asperitate fieri velis. Dissolutionem evita, ne curarum molestiis torquearis. Fuge aurum argenteumve concupiscere, marsupiaque explere tua, ne copiarum amor tuam ab hominum frequentia fugam remoretur. Ne quicquam manu apprehendas, sic enim D te facilius ex mundi illecebris expedies. Ne vilem depereas venustatem, ne nudus Dei oculis compareas. Ne terrenas possessiones appetas; ipsae etenim mentem ab Evangelica paupertate distrahunt. Paupertatem tenaciter amplectere, quae ditissimos homines efficit; cetera autem mundi bona vanitas sunt, & superbia.

Omnia demisse patienterque sustine, E & cuncta possidebis. Despicientiam elige, qua justi omnes in certamine triumpharunt. Desine opes coacervare, quibus innixi plurimi terrarum principes fatali exitu occubuerunt. Ne te pigeat nudatis incedere pedibus, ut Draconis caput conteras. Calceos abjice, ut pedes ab hoc impedimento liberi, Diabolicos laqueos facilius declinent. Ne tibi tecta in destructionem aedifices, nec in ipsorum peneF tralibus exornandis adlabores, ne tenebrae tibi in aeternitate contingant. Quaere tibi domum in deserto; exinde enim ad perpetuum Paradisi domicilium gradum facies. Ex rivulis saxa inter scatentibus humorem accipe, hauriesque aquas laetitiae & exultationis de fluvio Eden. Comede arborum frondes, & vitae arbore aliquando vesceris. Ne fastidias, quae in segetem sunt deteriorem tibi datae fruges, si vis ad lautam Agni mensam

Eccles. 3. 10.

mensam epulari. Humilia te in omnibus, ut sterilis tuus animus ad fructuosam messem efflorescat. Adhaereat limo venter tuus, ut ostendat tibi viam salutis. Saxa, in quibus brevi commoratus es, tibi beatitudinem praestabunt. Rupes, in quibus delituisti, Regalem tibi in Paradiso domum construent. Comae, quas neglexisti, fient tibi veluti plumae Aquilae, quibus in Caelum advolabis. Rustica, quam induisti, vestis in stolam lucis immutabitur. Aestivus ille, quem pertulisti, Caeli calor te in Paradiso, Zephyri instar, leniter permulcebit. Frigus, quo riguisti, inter jucunditatis pocula cessabit. Fames, qua confectus prope eras, in Caelesti convivio satiabitur, sitis, qua exarsisti, ad torrentem viventis aquae expelletur.

Jejunium, quod tuam frontem extenuaverat, te singulari elegantia ac lepore exornabit. Insomnes, quas transegeras, noctes tibi in judicio patronae aderunt. Corpori macie jam torrido florens viriditas accedet. Dolores, qui artus exederunt tuos, cito residebunt; tuaque, velut Aquilae juventus renovabitur. Poenitentia, qua concitati animi motus domuisti, praestantiorem tibi in supremi Regis aula decorem afferet; moeror, quo hactenus squaluisti, te ante excelsum Dei thronum exaltabit; & singulae, quas patienter tolerasti, angustiae totidem tibi gloriae gradus adjicient. Si modo tentationibus vexaris, cogita has tibi viam ad Dei gloriam explanare; si te aerumnae premunt, hae tibi Paradisum recludunt; si te mala urgeant, Eden suum tibi expandit sinum. Lapides ipsi, in quos pes offensavit tuus, pro te pugnabunt, si forte te opprimi contingeret. Haec omnia certissime tene, quin suspensus incertusque pendeas; Mitissimus siquidem Deus non is est, ut te decipere velit, aut te oppressum jacere patiatur.

SERMO XVIII.

De Reprehensione.

Quisquis aliorum corruptelam reprehendendam suscipit, nullam prorsus turpitudinis notam subeat, necesse est. Quisquis judicium in alios exercet, caveat, ne suorum operum testimonio reus statuatur. Quisquis demum errantem corripit, caveat, ne virtute vacuus omnino sit. Non enim perfectum integritatis exemplar ille est, qui non prius studet semetipsum corrigere. Quae dum mecum memoria repeto, quum omnium reprehensione dignus sim, non quod me culpa vacan-

[illegible]

A vacantem, aut ex flagitiosorum hominum grege secretum existimem, censoris partem factitandam aggredior, sed potius ita agendum duxi, ut memetipsum erudiam, quum exploratum apprime habeam, supremi me Judicis esse animadversione dignissimum. Quid audeo igitur censorem agere? quia videlicet nec impios ipsos ab hoc munere eximendos fore arbitror, quorum silentium proculdubio ipsa esset correB ctione culpabilius. Etsi autem mea mihi crimina ceteros arguendi libertatem adimant, hanc tamen ex mea audacia interioribus auxiliis freta utilitatem adsecuturum confido, ut si alios corripiam, mea possim crimina, pura & incorrupta consuetudine emendare.

Haec profecto laudabilis exercitatio plurimum cuipiam prodesse potest. Non C enim parvi res est momenti, ut dum alienis incommodis medemur, domesticis etiam languoribus prospiciamus. Quare, Fratres amantissimi, salutaribus hisce unguentis proprias unusquisque cicatrices, prout vulnerum gravitas exigit, obliniat; medicinae siquidem vis nihil sanis obest corporibus, nec infirmos corruere patitur; imo postremis istis, quantumlibet cicatricosis prostratisve bene sperare jubet. His gestis, ne graveD tur curationem suos in sodales derivare; quin potius Deum hac in re imitari omnium virium contentione adnitatur, qui nunquam humanis languoribus occurrere praetermisit. Quicumque istiusmodi provinciam capessit, id eo potissimum agat, ut devios in rectum callem adducat; sic enim nullam referet ex sua censura vituperationem, neque minima eidem turpitudiE nis infamiaeque nota inuretur. Ne, si fratrem corrigas, virga utaris; nam qui corripit percutiendo, seipsum vexat. At si increpando sanaveris, proximorum doloris ac meriti socius eris & particeps.

Optimi quique medici, si forte in morbum incidant, salutem ut adipiscantur peculiarem curam adhibent ac diligentiam. Nec ideo ullo pudore, aut verecundia impediuntur, quominus efficacisF simis remediis sibi subveniant. Habet heic censor quilibet, unde exemplum sumat & sedulitatis ad aegritudinem expellendam, & patientiae ad perferendam objurgationem. Valde siquidem dedecet, ut si & ipse corrigatur, ab alienis vitiis corrigendis abstineat. Curandum potius illi est, ut cum lenitate quadam aequabili sese ad suorum fratrum ingenia effingat, eosque Christo lucrifaciat. Medicos inspiciat, qui sive sani sint, sive aegri a suae artis

artis sociis curari non dedignantur. Quare si bene vales, fratres curato, si vero aegrotas, ne curationem averseris. Quod si ita te gesseris, pro certo habe, te tuosque socios ad optimam esse valetudinem perducendos. Quemadmodum autem dum peccas, tibi non minus, quam sociis officis, quibus cum communis tua est jactura & detrimentum, ita si tibi tuoque fratri opem tuleris, duplicem inde fructum hauries; ipsi enim lucrum obveniet amplissimum, tibi merces aeterna constituetur.

Proximorum itaque utilitatibus, carissimi Fratres, mutuo inserviamus, & novo hoc vigore superaddito, in piis operibus confirmabimur; tempus est enim poenitentiae, ideoque orationibus non intermissa consuetudine insistamus. Modicum quid temporis iis curis detrahamus, quae nos nimium in terram deprimunt. Omnia tempora ad agrorum culturam apta promiscue non sunt. Huic nimirum exercitationi non inter armorum strepitus, sed pacatis rebus indulgere licet. Ad poenitentiam vero, etsi plerique divinis tantum sub flagellis excitentur, tamen quietis etiam temporibus aditus aperitur. Quam pulchre opus proprio respondet tempori! Semina ipsa, quae in terrae visceribus conduntur, nos satis instructos reddunt, omne opus a temporis opportunitate sumendum omnino esse.

Ecce terra divino furore quatitur, poenitentiam omni studio amplectamur, & quoad vires possunt nostrae, jejuniis assuescamus; centuplum enim accipiemus. Assidui in oratione simus, quae est veluti vitis, cujus fructus plenus est suavitate. Animos virtute compleamus nostros, ut templa sint Deo digna. Enimvero si Princeps hospitio excipiendus nobis esset, aedem decenti cultu & apparatu instrueremus. Quidni igitur animum ornare deceat, quum non homini, sed Deo habitatio praeparetur? His cognitis, tu nunc omni industria enitere, ut templum Deo non ingratum tuo in pectore extruas, tuque ejus custos sis & sacerdos; nec dubites ei ministrare; & quoniam ipse pro te Pontifex, sacrificium, & victima factus est, cor illi tuum in altare, in holocaustum offer cunctis sordibus expiatum. Turpe namque est & indecorum, Dei domum aliqua vitiorum labe contaminari.

Ceterum gratum Deo nunquam erit tui pectoris domicilium, quandiu iracundia, furor, superbia, libido, invidia denique ibi, suo veluti in cubili delitescunt. Age igitur insitam hanc vitiorum

segetem

[illegible]

A segetem evellito, quae caritati impedimento est, ne suas ibidem radices defigat. Reliquas, si quae adhuc resederint, faeces pravasque animi affectiones extrudito, quarum locum odoratae virtutum species impleant, & frequens orationis usus rosarum liliorumque vices suppleat. Omnes itaque nostræ conscientiae latebras mutuo detegamus, sicque improbus adversarius gravi cum tristitia ac dedecore a nobis abscedet. B Postquam vero nostris rebus debita cum sedulitate consuluerimus, deerrantem fratrem arguamus, nostramque objurgationem non parva utilitas consequetur. Nihil sit, quod nos ab hoc munere avocet aut retardet, secus enim nec vitiosus ab incepto deterrebitur, nec a nocendo Daemon quiescet, quum fraudes foveri suas videat; C nec medicina poterit aegritudinem depellere infirmo corpori non applicata.

Id efficit in hominum animis Reprehensio, quod aratrum in terra, quam scilicet ea ratione scindit perstringitque, ut infructuosa quaeque germina circumquaque pullulantia funditus extirpentur; ita plane hoc unum objurgatione sua reprehensor sibi statuere debet, ut lac purum a sordenti quavis materie disgreget, D perniciemque ex prava consuetudine profluentem avertat. Ista, de qua agimus, objurgatio adolescentibus praecipue pernecessaria est, quos utpote vitio suapte natura deditos, nisi seniorum prudentia in officio contineret, facile esset, ut in sua pravitate marcescerent. Sicuti etiam nec percussores, aut interfectores finem unquam caedibus facerent, nisi eos censorum gravitas, poenarumque formido E coërceret. Quis non videt quantum conveniens sit, ut una cum nostris alienos errores corrigamus, quum ex hactenus dictis utraque correctio utrobique salutaris sit ac fructuosa? Rursus nisi undequaque grassantem criminum luem acriter insequeremur, neminem praeterit, quam longe lateque impudentissimorum hominum licentia esset progressura, & non F modo privatas domos, verum etiam universas terrae plagas inficeret.

Nihil nos tenebrarum Principis potentia moveat, quae infirma adeo est, ut unius animi viribus persaepe cedat. Quo magis ergo hominum vires in se totas conversas sentiens trepidabit, quum istae nequeant cum immanissimi illius monstri temeritate ullo pacto comparari? Hanc tantam ejus imbecillitatem incredibilis quaedam audacia supplet, quae si forte

forte ignota vobis usque adeo exstitit, ex ejusdem satellitum pervicacia probe intelligetis. Singulis enimvero diebus sacris imprecationibus potentissimisque nominibus jactati, in hominum corpora violenter illabuntur, e quibus pulsi, obsistunt, iisdemque corporibus, cum quibus nullam habent necessitudinem aut conjunctionem, firmissimis veluti aggeribus ad suam petulantiam jactitandam utuntur. Nonne haec omnia insignia sunt audaciae atque impudentiae monumenta? Quod si tantum eminent, tantumque habent roboris diabolicae fraudes praestigiaeque, longe Daemone fortior erit quisquis easdem facile superat, qui si forte suis eundem viribus prosternere nequeat, tunc illo se debiliorem ostendit, ejusque tyrannidi cogitur subjacere. Si quis roget, quomodo fieri possit, ut homo Daemonem obterat, quum is nulla sit materiali substantia concretus, neque humanis oculis spiritualia objecta intueri liceat, hoc ideo accidere sibi persuadeat, quia sua Daemonem facinora frangunt, eundemque maleficiorum suorum conscientiae exanimant, ita ut vix prae metu consistat. Dum autem suam audit nuditatem, infamiam, ignominiam in vulgus propagari; tantum inde ruborem percipit, ut diutius ibidem immorari non possit.

At non ita nobiscum se gerit nostrorum errorum reprehensor, cui nihil gratius, nihil jucundius accidit, quam nostris egestatibus opitulari. Dolendum igitur non est, si nos libere arguat, quum id non ad propriam nobis famam detrahendam agat, sed ad ea removenda, quae nos infamia dignos efficiunt. Et sane qua ignominia non appetitur infelicissimus peccator, cujus est in sectandis voluptatibus insolens ostentatio? Hanc vero ignominiam si opportunis negligat remediis delere, vituperatione dignus fit; quemadmodum & medicus ille inscius imperitusque, qui pro salutaribus mortifera conscribit. Hinc est, quod quum peccator de suis criminibus redarguitur, Daemon verens, ne admonitus ille resipiscat, verecundiam quandam ipsius in mente imprimit, qua stulte putat, indecorum esse, si aliis error innotescat suus, aut aliena sibi sit increpatio subeunda. Gravissimum insuper ejusdem auribus repraesentat medici nomen ea ratione, ut vulnus diu neglectum nullis queat curis seu fomentis obligari.

Jamvero si medicorum curationem respuimus, quonam pacto amissam valetudinem

[illegible]

A tudinem recuperabimus? Et ſi in medicum, qui nos ſanare optat, inſanimus, quam nobis utilitatem obventuram arbitramur? Ne, quaeſo, diabolicis afflatibus aſſentiamur, dum nos a prudentibus integerrimiſque viris conſulendis diſſuadet, ne illi nos labentes ſuſtineant. Potiſſimum vero caveamus, ne oblatas nobis admonitiones torvo ſupercilio & ad ultionem contorto recipiamus; tunc enim atrociſſima B nobis clades in judicio relinqueretur. Ad nefaria inſuper admittenda, eaque latebris involvenda nos ſtimulat. Fingere edocet, ut in noſtra ejus etiam fallacia lateat. Nec ceſſat ſuperbiam nobis inſinuare, quum ſuae arrogantiae, cujus cauſſa dejectus e Caelo fuit, imitatores homines habere gaudeat.

Totam hanc vitiorum turpitudinem C callidus ille ſuperinducto quodam ſimulatae humilitatis velo obtegere docet, ut amari ipſius latices dulci iſto condimento mitigati ab incautis facile perpotentur. Vera falſis admiſcet, ut quod integrum in homine ſupereſt, corrumpere facilius poſſit. Ovinam pellem ſuperinduit, ne oves ex unguibus evadant ſuis, & animi dolorem, quo tanquam in ſpeculo noſtrorum ſcelerum gravitatem perfecte D intuemur, nobis adimit, ut mentem in iniquitate curvatam diutius retinentes, noſtras eluere maculas negligamus. Ne noſtra igitur in lucem nequitia aliquando prolata, ipſius etiam dolus publice innoteſcat, impuriſſimus ille fraudum molitor mutuam correptionem capitali quodam odio & averſione proſequitur. In hominum inſuper animis foediſſima illa bellua pertinaciam inſerit, quae eo ſibi majus lu- E crum parit, quo majora infert hominibus detrimenta. Languore quoque ac deſidia animum inficit, ut ipſe in ſua inertia oſcitantiaque callida cito aſſentatione capiatur. Huic ſtupiditati miram ſuperaddit procacitatem, qua eo dementiae miſeri deveniunt, ut admoniti omnem pudorem excutiant, & amicum ipſum omni contumelia inſequantur.

F Innumeris deinde dolis homines inſtruit, ut ſi forte ſe vitiis tradant, non iis deſint excuſationes, quibus de ſua ſe purgare malitia poſſint, & rei quamquam ſint, fictis tamen ſtrophis ſuam innocentiam rudi vulgo venditare glorientur. Ex quo mercium genere duo ſibi hoſtis lucra comparat; alterum, ut decepti mortales ſcelera ſceleribus nectant; alterum, ut errorum enormitatem variis modis obnubilent. Quam quidem enor- mitatem

mitatem eo facilius a sociorum oculis avertunt, quod uberrima ipsis verborum copia inesse solet; ex quo fit, ut mira eloquentia, seu potius loquacitate ad suam caussam perorandam polleant, & congesto verborum fuco humanam intelligentiam eludant. Infantibus ab ipsis prope incunabulis petulantiam, senibus metum affert, quo ingenita ipsorum tarditas ac segnities confirmetur, & dum impotentiores quotidie ad vitae emendationem fiunt, de meliori exitu desperent necesse est.

Audacibus quibuscumque infamiam objectat, reprehensoribus terrorem. Quamobrem neuter medicina illa utitur, quae utrumque posset saluti restituere. Ipsa eorum viscera depascit, superficiem vero inanibus ornamentis depingit, ut non immerito sepulchris comparentur, quae licet eximiam extrinsecus formam & elegantiam exhibeant, intrinsecus tamen horridam tabem foetoremque continent. Speciosis eos nominibus cohonestari sinit, interim vero praecipites in scelus agit, & dum ex una parte nominum decor elucet, ex altera peccatorum deformitas squalet. Quod si quisquam ab iis nomen sciscitetur, quo in lustralibus Baptismatis undis insigniti fuere, comperiet statim, idipsum, instar velaminis, eorum maculas obumbrare, & quod extrinsecus auro splendidius apparet, intrinsecus tenebris ipsis tetrius esse atque obscurius. Sub hac autem decora venerandaque imagine, & sub Caelestibus istis characteribus subdolus hostis vilissima aliqua metalla auri vice occultavit, ut ludicra horum simulacrorum specie illusus quilibet in insidias proclivius impingeret.

Perexiguus quidem est proborum hominum numerus. Sunt vero plurimi, qui sapientum nomen aucupantur, revera tamen a virtute longissime absunt. Forum corruptis abundat judicibus, qui pretio, non aequitate sententias ferunt, quorum tanta est dementia, ut non modo ad sacrae societatis jura violanda, sed etiam ad aliorum facultates usurpandas vesana auri cupiditate rapiantur. Quis profecto non doleat, nos sub insignibus, quibus inaugurati sumus, nominibus tam turpiter deerrare? Quis lacrymas contineat, animadvertens, homines sacrosanctis hisce nuncupationibus uti non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam? Hinc est, quod insignis scelerum magister Daemon sanctissima ista, quibus nominamur, vocabula, nobis impressa, non invitus tolerat firma haerere, neque ulla vicissitudine

A dine permutari; ne quis ab ipsorum immutatione nos & accusandi & increpitandi ansam sumeret. At nihil Daemoni gratius, nihil utilius accidit, quam ut dignitates terrenusque fastus in omnium animis vigeat. Nec inconsulto quidem; nam quis cordatus adeo est, ut Dynastas, aut judices objurget, vel Pastores, aut Primates reprehendat, vel legislatoribus jura praescribere non vereatur? Quis B tam procax discipulus, qui proprium audeat praeceptorem instruere, ne dicam asperius admonere? Dubitari igitur nequit, neminem prorsus reperiri, qui proterviam nostram coarguat in eminenti fastigio collocatam, quae jamjam impune peccandi licentiam obtinuisse videtur.

Jamvero si nulli fas sit, citra audaciae notam illustres nobilitate viros, quan- C tumlibet nequissimos improbissimosque corrigere, quis non videt quanta hinc confusio ac perturbatio oriatur, dum nulla habita ratione sanctissimorum, quae gerimus, nominum, quae data nobis a Deo sunt, ut ex ipsorum sanctitate pie vivere disceremus, ipsa ad liberius delinquendum adhibeamus, & vitia, quae prius nostro in corpore inquilina esse videbantur, nunc validius confirmata, & veluti D propugnaculo quodam tecta, sibi loci proprietatem imperiumque vindicent? Quid mirum autem, si dissolutio jus & fas omne deleat, dum eos ipsos patronos defensoresque habet, penes quos sunt ad licentiam refrenandam flagella? Quid mirum si virtus exulavit, dum pulsa veritate, fraudolentia justitiae antepofita, copia improbis fit, ut aliena bona exhau- E riant, legesque sanctissimas pro sua singuli libidine perfringant, & integri, qui supersunt, judices a vitiosorum malitia puniendа impediantur? Fraus nostra hac aetate tutissima tranquillitate gaudet, quia nimirum suam judices severitatem pudoris & modestiae magistram relaxarunt. Nequit enim integra morum disciplina consistere, nisi severitas vigeat; quam si judices deponant, suis omnes provincias ex- F cursionibus depravatio infestabit, & non tam universae terrarum regiones, verum & flumina, & pelagus ipsum peste ista teterrima corrumpentur.

Nihil autem ad corruptelam excitandam aptius est pecunia, quae vigilantes leges soporat. Qua de re quis obmurmurare seu libere loqui audeat, cunctis munerum spe silentibus, quum nullus sit tam iratus judex, quem non auri splendor mitiget? Nullus litium aestimator, quem

quem fautorem pecunia non habeat? Nullus denique tam integer censor, qui largitionibus corruptus arguendi onus dimittere dubitet? Ea est omnium in divitum ac Principum captanda benevolentia solicitudo, ut satis sibi fecisse opinentur, si postquam semel eorum favorem obtinuerunt, eundem sibi diutius retineant; cujus tuendi caussa in loquendo parci ac verecundi adeo sunt, ut in ipsorum vultum oculos defigere metuant; nec vident, animarum direptorem eo altius frontem erigere, quo humilius oculos censores inflectunt.

Nullam rem aliam plenioribus exoptant votis lupi, quam ut pastores somno deditos inveniant; quia dum ipsi gregis custodes sopori indulgent, illi dulcem faucibus cibum, nemine perturbante, subripiunt. Non aliter si animarum pastores desideant, nec gregi sibi commisso advigilent, ratum est, eundem in summo discrimine positum misere periturum. Proh quam caedis avidus Leo est! Quantum Lupi ovilem lanienam inhiant! Hoc interest Lupum inter & Leonem, quod Leo dum venatur, plurimas conterit dilaceratque belluas; at lupus, etsi paucos carpat agnos, summam tamen dissipationem infert gregibus, nec famelici ipsius dentes suam possunt aviditatem exsaturare. Idipsum sane improbis judicibus evenit, qui licet omnia late oppida latrociniis rapinisque compleant, eorum tamen nec expletur, nec satiatur cupiditatis vis. Et quamvis socios jam pene emulserint, hos tamen immanissimos carnifices auri species, ceu furor vindictae cupidos, adeo excaecat, ut ad ultimam usque calamitatem insaeviant. Quapropter cupiditas fumo non inepte comparatur, cujus exhalatio per omnes undique partes effluens huc illuc spargitur, usque dum penitus dissipetur. Fumus oculos verberat, cupiditas mentem exturbat.

Quod si officinas ingrediare, heic vero praecipuum domicilium malitiam retinere dixeris. Heic ex mutuis contractibus multiplicatam audies ad fraudem eloquentiam, qua hujusce seculi venditores abundant, ut emtores promiscue omnes fallant, eosque ad victui necessaria ingenti coëmenda pretio inducant. Nec mirum si postmodum hujuscemodi iniquitatum mercatores ab justitiae administris furti crimine plerumque postulentur, quum eo tota ipsorum garrulitas & industria tendat, ut quibusdam veluti usurae gradibus id ad centesimum numerum provehant, quod unius assis pretium non excedit.

Vinum

A Vinum Deus in vites infudit, idque hominibus gratis impertivit; idem fraudulentissimi caupones aqua corruptum adulteratumque quamplurimo vendere non erubescunt; iccirco cupas flagitiorum officinas esse nemo non intuetur. Nec in vino tantum, sed & in oleo fraus invenitur; aquam etenim, seu quemvis nullius pretii liquorem ibi commiscent, sicque vitiatum olei scyphum emtori porrigunt B eo felicius circumvento, quod ne dolum quidem animadvertere possit aut suspicari. Fraus insuper in mensuris eminet, quas malitiose tractant, agitant, incurvantque, ea mente, ut aliquid sibi proficuum supersit. Quibus & similibus illusionibus duplex flagitium miseras praesertim viduas decipiendo admittunt; alterum, quod in jacturis versutiam enutriunt, alterum, quod in lu- C cris aequitatem frangunt. Dum mensuras eradendo diminuunt, robur malitiae adjiciunt, dum sibi vindicant quod in mensuris superest, venerandas justitiae leges labefactant.

Pares istorum hominum temeritati poenae in extremo judicio constituuntur, si fides sacris est literis adjungenda. Evangelicis namque verbis sic admonemur: *In qua mensura mensi fueritis, eadem remetie-* D *tur vobis.* (Marc. 4. 24.) Nec vero putandum est, sapientissimum rerum Artificem, cui tota Oceani latitudo cognita apprime est, ignorare quas adhibuerunt in mensuris fraudes, ut proximum deciperent, & quas in ponderibus, quum sua virtute altissimos quosque montes sustineat. Optimus omnium Moderator pelagi confinia ac limites definivit; at nostri judices praepostere se gerentes, ne mensuras quidem brevissimas E statuere noverunt. Quid plura? Hyemis aestusque tempora sapientissimo inter se ordine dispofuit; judices vero rapacitati unice intenti ita legum ordinem perperam miscent, ut venditores nullam teneant in emtione ac venditione rationem.

Hanc Deus ob caussam homines ad suam imaginem condidit, ut ipsi ad Dei pariter, quantum fieri posset, similitudi- F nem accederent, & quemadmodum res ille creatas elegantissimum in modum disposuit, pari ipsi ratione sua omnia opera ad eundem tanquam ad propositum finem dirigerent. Sed o insignem hominum stupiditatem! qui tam longe a supremi Artificis intentione discrepant, ut quum ipsum inter & creaturas perfectissimum sit consensionis vinculum, nullam contra sibi methodum in agendo constituant. Rectissimo enimvero gradiuntur cursu naturalia omnia;

omnia; leges autem confuso quodam instituto pervertuntur. Humana dementia, quae nullos habet limites, nullis concluditur repagulis, non suorum modo operum ordinem, sed & perpetuum illum rerum sibi mutuo succedentium ductum a Deo sapientissime praestitutum omnino tollere enititur. Hinc est, quod nobis acriorem in dies judicii suppliciorumque materiem coacervamus, quibus nequeunt cetera creata subjacere. Dierum item, noctiumque imperturbabilis meatus nostram probe erudiunt inscitiam stoliditatemque; idipsum praestant continentes alii aliis se excipientes dies noctesque, quae quum sibi reluctari appareat mortalium oculis, dum sese invicem trudunt, nihilo tamen minus solida fruuntur tranquillitate, nec ullae dissensiones indissolubilem eorum nexum rescindere valent aut relaxare. Sicuti etiam Caeli luminaria tametsi quum alterum alterius locum occupat, invicem dimicare quodammodo videantur, ob suam tamen aequabilitatem & constitutionem nullis dissidiis agitantur; imo potius conversiones suas indicibili celeritate & compositione exercent. Mutua autem rerum contentio nihil Orbis pulchritudinem imminuit. Officitne dies, quum noctem effugat, seu quum nox diem? Patet itaque in intermissa ista colluctatione ac successione, caelestia luminaria certis infixa sedibus cum ipsius mundi motu congruere, & in inferiora ista corpora mirifice illabi. Nec tibi velim in mentem veniat, si alteri loco cessit, caeleste corpus injuste erga socium se habere, deque pari eidem benevolentia referenda nihil esse solicitum; quandoquidem a quo mutuum accepit, mutuum & illi postmodum reddit.

Horum igitur luminarium natura aequitatis bonitatisque Divinae similitudinem mirifice repraesentat; bonitatis nimirum, quum illatam sibi vim patienter sustinent; justitiae vero, quum alterum alteri locum praebens, injuriam ipsi compensare videtur. Quod si alterum quiete potiatur, non ideo sodalem oblivioni tradit, quin potius alterius lumine illustratur. Caelestium corporum societas non ea est, qua homines inter se coëunt, quae tam prava est tamque fraudulenta, ut perpetuum potius dissidium jure dixeris. Et ut vera fatear, is est hominum mos, ut si ad altiorem conditionis gradum provehantur, inopem socium implorantem eorum auxilium prorsus deserant; non enim cogitant, eam ob caussam Deum caelestium

ſtium luminarium diſpoſitionem noſtris oculis ſubjeciſſe, ut in illis, veluti in exemplari quodam ordinatam vivendi rationem inſpiceremus.

Interim deficientem caducarum iſtarum rerum naturam nobis contemplandam propoſuit Deus; liberam tamen poteſtatem tribuit, ut ipſarum diſpoſitionem, ſalva noſtrae voluntatis libertate, imitaremur. Nos vero earum concinnitatem admirabundi laudamus, ſed a recto illarum ordine deflectimus. Si eaſdem interdum violentiae impetu pene opprimi accidat, aliquando tandem certamen deſerunt; at nos quo magis fratres extorquemus noſtros, eo majori ſcelere inflammamur. Non mirum ergo ſi divina in illis bonitas atque aequitas eluceat, in nobis autem verſutia tantum ac malitia commorentur. Aſtrum alterius vices egregie ſupplet; at nos nec fratrum vices ſupplemus, nec iis de nobis optime meritis gratiarum aliquid referimus, quibus etiam parvum ad vitae ſuſtentationem ſubſidium commodare denegamus, tametſi ingenti divitiarum copia affluamus. Sin autem mutuum nos quicquam accipiamus, nuſquam ad illud reddendum inducimur. Itaque mutuum accipientes, ingratiſſimi ſumus, mutuum dantes, incredibili pravitate cumulamur. Adde inſuper, quod nos in mutuis factitandis, praeter infinitas cautiones, ſortem etiam cum anatociſmo exigimus. Quibus ita ſe habentibus, quiſque videt quanta ſit hujuſmodi contractuum improbitas & injuſtitia.

Divitum fructus plenus eſt acerbitate, quae ſi mundi hujus divitibus tempeſtive nota fuiſſet, nunquam profecto mentem ad extorſiones convertiſſent, nec priſtinam inopiam ſuam cum praeſenti facultatum abundantia commutaſſent. Laqueos undequaque extruimus, ut uſuras uſuris adjiciamus. Novas excogitamus artes, ut majus quotidie emolumentum trahamus. Sacra ipſa, proh ſcelus! auro violare non perhorreſcimus, & ad Epiſcopale culmen Angelis ipſis formidandum, pecuniis obrepimus, quod quidem una cum aliis id generis muneribus concupiſcimus non ad aequitatem exercendam, ſed ad avaritiam ſatiandam noſtram, & aliorum facultates commodius ingurgitandas. Nullam operam, nullam induſtriam praetermittimus, ut quieti noſtrae quomodocumque proſpiciamus, nec nos movet, ſi ultricem Dei juſtitiam ad iracundiam concitemus, quae raptoribus non modo minas, ſed & poenas acerrimas intentavit.

Noſtras Deus cupiditates intra aequitatis ſepta coërcuit, extra quae ne modice quidem egredi conceſſum eſt, aequiſſimaſque menſuras ſtatuit, quibus dolos facile detegeremus. Ipſe in animi interiori aede forum extruxit, judiciaque ibi haberi praecepit, ut iniquitas in medium prolata, noſtris ex cordibus propulſaretur. Templum aedificavit, ut ibidem integritas habitaret. Sed, o miſeram hominum conditionem, quorum virtus tantis fulta auxiliis, adhuc vitiorum ſarcina urgetur! Quis ſtupeat, ſi in hiſce, quae Deus tot beneficiis ornavit, domiciliis fraus tam tenaciter haereat; dum quaecumque infami ac perdito homine propria ſunt, eadem omnia illic radicitus inſita eſſe dignoſcuntur? Et ne videar mentita & falſa jactitare, quis inficiari valeat, artifices in ponderum ac menſurarum diſtributione inſidias, veluti inſuccenſa fornace, conflare? Quis neget, judices, quorum eſt improbitatem perſequi, judicia pactionibus depravare?

Ipſi ſacrorum Pulvinarium miniſtri, puritate ac pietate projecta, in otio mollitieque dies terunt ſuos. Frumentarii quoque ſub exiguis menſuris laqueos recondunt; nam ipſorum menſurae, quae extrorſum praegrandes apparent, introrſum per anguſtum circuitum comprehendunt, ita ut dum effunduntur, mirari non deſinat emtor, qui falſa ſub imagine illuſum ſe eſſe conqueritur. Quid plura? Eo devenit iſtorum impudentia atque voracitas, ut ovium vellera dividentes, luporum illorum nequitiam ſuperent, qui immaculati Agni tunicam ſcindere auſi non ſunt. Nec enim ſimplices emtores animadvertunt, mercatorum fraudem lupis ſimilem evaſiſſe; quandoquidem, quae ex luporum unguibus immunis evaſit veſtis, horum non effugit aviditatem.

Omnia ſuſquedeque ab hominibus everſa ſunt atque contaminata, adeo ut puriſſimae etiam undae contactu ſordeſcant noſtro, & in ipſis iniquitatem perpotemus. Ecce ſacroſancti, a quibus animae juſtitiam hauriunt, fontes ſanctificati ſunt. Hos ſceleſtiſſimus Daemon commaculat, ut peccata nitidis hiſce undis deleta in nobis iterum reviviſcant: Callidiſſimus hoſtis ea in nos arma retorquet, quibus ad ipſum confodiendum communiti fuimus. Quare in ipſis undis, in quibus ſordes immergere noſtras contendimus, latitans adverſarius, reliquum, ſi quis adhuc in nobis reſidet divinae caritatis ignem penitus extinguit; & ſic ex balneis, quae ad ſalutem

[illegible]

A salutem confirmandam adhibemus, ultima nobis detrimenta proficiscuntur. Quicumque in Baptismate expiati sunt, viam sibi ad aeternam felicitatem patefecerunt, quam nemo unquam citra Baptismi lavacrum acquirere, seu invenire potest.

At dicito, sodes, si quis Baptismate regeneratus denuo a virtute recedat, quis nostrum ea praeditus est pietate, ut erranti viam monstret, & pereunti suffra- B getur? En harioli palam divinant, en venefici audacter praestigia exercent. Aequitatem uno verbo ex hoc mundo ejecimus, eamque in Caelum relegantes nullum heic locum, ubi consistat, ipsi reliquimus. Eheu nos infelices, qui justitiam illuc transcripsimus, ubi vindicis personam induta non cessat nostrorum criminum poenas a divino Judice postulare! En apertis codicibus C peccata nostra omnia ex ordine percenset, tamque longius orationem provehit, ut haec nullum terminum habitura videatur. Senum crimina perlegit, qui sub ipsis quoque interitus faucibus deliquerunt; puerorum item vitia, in quibus enutriti sunt pari rigore persequitur. Juvenum corruptelam ac libidines, eorumque in conviviis intemperantiam pervulgat. Adulterorum nefaria recitat maleficia, qui propriis D uxoribus spretis, alienos thalamos invaserunt. Puellarum impudentiam notam toti Beatorum coetui reddit; anuumque pravas artes exponit; quae sterilis aetas etsi ad prolem edendam inepta sit, est tamen ad turpia perpatranda foecundissima.

Infantium nativitatem certi dies mensesque praecedunt, nulla autem temporis mensura sceleribus praefinitur. Justitia in- E terim inceptam caussam continuans meretricium infamiam obscenitatemque pronunciabit; mox ad vetularum sortilegia deveniet; quae ad turpissimam disciplinam liberos ipsae informabant suos, sibi vero impudicum amorem conciliabant. Haruspicia, hariolationesque earum animos affatim corruperunt. Haec sordida consuetudo a Chaldaeis primum derivata, ingen- F tem iisdem quaestum detulit. At miserum horum lucrum plurima damna consequuta sunt; suos enim viros facultatibus spoliaverunt, sibi ipsis dolores aegritudinesque conflarunt, & diuturna superstitione orationis usum abs se prorsus rejecerunt, quin aliquando cogitarent, se precum ope, felicitatem filiis conjugibusque afferere potuisse. Testem habeo meae assertionis Hebraeam illam feminam Esther, quae ex orationis frequentia suam yenustatem,

statem, gratiam, sceptrum, Judaeorumque salutem recognovit. Hinc est, quod mansuetudine, abstinentia aliisque virtutibus Assuero magis placuit, quam pretiosis odoribus, formosior humilitate, quam unguentis illita, aut calamistrata coma regiis oculis apparuit. Regem ipsa ad se traxit, non ipsam Rex; atque inde contigit, ut quam semel benevolentiam conjuges ambo susceperant, in eadem tenacissime perseveraverint.

Rebeccam praeterea venerabilem feminam, morum castigatione maxime commendandam, carissimam habuit Isaac. Plurima sunt veterum illorum Patrum exempla, qui mulierum verecundiam multo pluris, quam externam pulchritudinem faciebant, qui non ab earum lenociniis, sed a virgineo candore atque modestia, non a fucatis oculis, sed ab ipsarum verecundia irretitos se esse profitebantur. Rectam indolem, non artificiosos calceos commendabant, nec prolis ubertatem, sed insontem ac religiosam vivendi regulam exoptabant. Nonaginta Abraham annis Saram, licet infoecundam sincere adamavit; invisa vero illi Agar fuit, quod una cum liberis nequitiam progigneret. Sara in ipsa sua sterilitate nihil faciebat, nihil cupiebat, quod non esset summa cum probitate conjunctum.

Quanquam vero sapientissimi illi Patres integerrimas suas uxores admodum diligerent, non illas tamen ita diligebant, ut earum errores suo assensu comprobarent. Ipsorum amori consentiebat summa quaedam vigilantia, qua uxorum gesta circumspiciebant. Si amor in hujusmodi vestigatione quicquam praetermisisset, prudentia corrigebat. Profano cuilibet amori Dei dilectionem anteferebant, cujus naturam ac perfectionem post longam experientiam tunc noverunt, quum & Deum amarent, & vicissim ab illo amarentur. Ex veteribus non defuerunt, qui creaturas ultra honesti ordinem deperirent. Quod certe amoris genus vituperabile est, quum Deus unicus cordium amor creatis a se rebus anteponatur. Salomonem appello, qui nimium praeceps in extranearum mulierum amores irruit; ejusdem rei exemplo pariter esse potest Aegyptiaca illa Mulier, quae Josephum obscaeno amore ad libidinem incitavit.

Audi quisquis ades, & summam, quam potes diligentiam adhibe, ut ex hactenus allatis justorum exemplis, mutuaque eorum caritate laudabilem vitam instituas,

[illegible]

[illegible]

A ſtituas, atque inde diſcas neminem inſano ſtudio proſequi, nec indecenti ulli amori acquieſcere; utrumque enim turpe tibi eſt & ignominioſum. Toto ſemper pectore incumbe, ut tuus omnis amor Deum uti finem reſpiciat, iſque nulla terrenae affectionis impuritate vileſcat. Dei amor noxas excludit; terrena vero affectio noxas nec videt, nihilque in ipſis a ſe arceſſendis elaborat.

B Huic prae ceteris providendum omnibus eſt, ne diſtorta & prava erga uxores, aut alios ſibi quantumlibet cariſſimos affectione, ab erroribus corrigendis impediantur. Id refutant illuſtria antiquorum Patrum exempla, quorum heic nonnulla ſubnectimus. Uxoris peramantem exſtitiſſe Jobum nullus audet in controverſiam vocare: tamen poſtquam imprudenter loquutam

C mulierem animadvertit, quamvis ulceribus macieque extabeſceret, eandem de ſua ſtultitia ac deliratione acriter increpavit. Rachelis amantiſſimus Jacob fuit; verum hic amor non levitatis aut vanitatis erat, ſed ſodalitatis atque prudentiae. Quamobrem ubi Rachelem ſibi liberos flagitantem audivit, ipſam de ſua ambitione tali reſponſo corripuit: *Num pro Deo ego ſum, qui privavit te fructu ventris tui?* Quae

Gen. 30. 2.

D ſane duriuſcula objurgatio feminam in amoribus moderatiorem reddidit, & in petitionibus cautiorem. In petitionibus quidem; nam laudatorum verborum vis eo potiſſimum ſpectat, ut ſolus Deus bonorum omnium fons ſit & origo, ob eamque rem prolis foecunditas non erat ab homine requirenda, ſed ab ipſo bonorum auctore humiliter imploranda. Neutiquam

E proinde dolendum nobis eſt ſive preces Deus admittat, ſive rejiciat, ſed mens debet noſtra ad divinam ſemper voluntatem accedere.

Res eſt minime dubia, Deum eſſe mortalium amantiſſimum ſtudioſiſſimumque, cujus caritatis indicium eſt manifeſtiſſimum continuata illa auxiliorum & providentiae ſeries, qua humanam imbecillitatem egeſtatemque ſuſtentat. Tantam

F tamque ſublimem erga nos benevolentiam in odium converſam ſentiunt quicumque nil ſibi triſte ex ſuis maleficiis accidiſſe temere praedicant. Quos Deus amat corripere ſolet & caſtigare. Quod etſi quotidiana experientia conſtet, non deſunt tamen ad rei veritatem comprobandam antiquitatis monumenta. Moyſem qui intuetur, in eo expreſſam divini amoris imaginem cernit. Atqui in divino iſto amore tanta aequitas fuit, ut quae laude digna

digna gessit, Deus comprobaverit; vitia vero dura in ipso animadversione reprehenderit. Davidem insuper sibi rebus omnibus conjunctum mirifice complexus est; verum intima istiusmodi consuetudo nihil obstitit, quo minus turpiter lapsus, divinae indignationis acerbitatem experiretur; Unde duris sub flagellis expiato scelere, posteritati insigne prudentiae exemplum ad imitandum reliquit. Nec audiendi sunt, qui correptionem, utpote aliquid acerbitatis praeferentem cum caritate minime cohaerere, ideoque non omittendam modo, sed abominandam esse dictitant; quasi aegrotum ii oderint, quorum curae omnes in hoc unice evigilant, ut ipsum sanent. O sinceri amatores, qui pereuntes amicos deserunt! O praeclari medici, qui ne aegrotum exturbent, ipsum perire malunt, quam convalescere! Ergone terram oderit agricola, si diutius infructuosam indefessa exercitatione ad frugem reducat?

Jacobum, in cujus mentionem nuper incidi, uxorem ob infoecunditatem reprehendisse credendum non est; sed potius ob ineptam quandam opinationem, qua se Deo gratam esse putabat, dum interim omnem adsequendae prolis fiduciam deposuerat. In hoc stat prudens conjugum virtus, ut mutuum amorem mutua correptione confirment. Hinc animadversione dignae sunt insidiosae illae uxores, quae sub amoris tegmine malitiam involvunt & artificia. Talis nempe amor ubi insidet, ibi plurima vitiorum seges pubescit. Absit hoc ab uxoribus malum, ut virorum benevolentiam impudico ornatu, aut veneficiorum ope sibi concilient. Hujus enim furfuris mulieres inter adulteras a Deo optimo reputantur.

Nostras Deus animas arctissimo sibi amoris nexu conjunxit, eo plane ordine, quo Rebeccam Isaaco Abrahae filio in uxorem copulavit, ob eamque rem intolerabis est earum infidelitas, quae praestitam viris jurejurando fidem toties abruperunt. Quod injuriae genus aeque odiosum est, ac si in Divinam ipsam Majestatem directo impingeret. Haec autem, quam viro denegant, fides cui tandem devolvitur? Nempe furi praedonique scelestissimo; Deus vero infami simulacro, aut hariolo injuriose postponitur.

Quotquot itaque me auditis, mulieres, cavete, ne propter impudicitias a Deo recedatis, nec adulteriis vestros thalamos contaminetis. Omnem date operam, ut unicus sit vobis vir, & vestra omnis fiducia

A fiducia in Deo tantummodo collocetur. Videte, ne callidissimi serpentis astu circumveniamini, cui nihil gratius accidit, quam ut vestri conjugii puritatem non tam pestilentissimo halitu, quam veneficiis, immundisque balneorum lotionibus labefactet. Quod si suis vos artibus aliquando irretitas teneat, tunc vestras mentes ad veneficia, quae sanae sunt libidine enormiora convertet, ut quibus scortorum B familiaritas displicet, fascinationum placeat exercitatio, & sic connubia vestra nunquam peccato careant & ignominia. Quis siccis oculis intueatur tot Christianas conjuges praestigiis deditas, in balneis sordentes, Chaldaicae superstitionis tenacissimas, quibus nulla est ad facinus verecundia? Cunctas Daemon fefellit, in fraudem induxit; nec conjugum tantum, C sed & puellarum, integerrimarumque virginum corpora passim corrupit vitiavitque.

Haec praecipua ea sunt, quibus communis adversarius feminas oppugnat, artificia. Pergam modo insidias hominibus ab eodem instructas retegere, quos si praesentes sint, ad scelus adigit, si absentes, pravis implicat cogitationibus. Nos valido armorum apparatu invasit, ut vin- D ceret ac profligaret. Quosdam ingluvie, quosdam vero arrogantia expugnat. Famelicos intemperantia, jejunos segnitie, impuros libidine, castos invidia superat. Homicidas ferro jugulat; loquaces lingua, inertes operum deformitate perdit. Impigros, si qui sunt, voluptatis stimulis sauciat; lascivos veluti lutulentos sues in coeno agitat, mansuetos denique inor- E dinato quodam studio & anxietate solicitat.

Hic perditissimus hostis, ut vidit suas Deum divitias hominibus elargientem, aerarium etiam patefecit suum, muneraque ex illo depromta singulis dispensavit. Fastum aliis, aliis cordis duritiem, nonnullis aliorum contemtum, nonnullis ludibria ac subsannationem obtulit. Aliis sociorum oppressionem, aliis oculorum F immodestiam dedit, & ipsos sinceritatis azymos nequitiae fermento coinquinavit. Castitatis cultores incontinentiae aculeis perstrinxit, integrasque mentes suavibus blandimentis ad voluptatem illexit, & velis remisque contendit, ut qui virtutem sectabantur, ad vitia confugerent; quamvis, ut vera fatear, non desint, qui ipsius potentiam deriserint, ejusque perfidiam omnium oculis subjecerint.

Superbos per triumphum ovans ducit,

cit, ab humilibus vero proculcatur. In helluones libere insultat, sed ab jejunantibus funditur. Laqueos undequaque dissеminat, in iisque aptandis operosius incumbit, quin ex suo labore minimam molestiam capiat, dummodo vel unicam animam lucrifaciat. Eheu nos infelices, quibus cum metuendo dimicandum est gigante, qui fere nunquam discedit, quin nos in terram stratos prius videat! O beatos fortunatosque, qui immanem hanc belluam obtriverunt! ecce enim eorum capita regali diademate coronantur.

Istud porro regale diadema, & immarcescibilem coronam gloriae nobis utplurimum praecidit caducarum rerum inordinata cupiditas. Insidiae ubique sunt inextricabiles; nostra tamen improbitas huc illuc libere volitat. Exitium undique paratur nostrum, nos mollitie diffluimus, & florum arborumque amoenitate distenti, cogitationes omnes in hortorum cultura ponimus. Nostros animos auri fulgor aediumque magnificentia fascinarunt, ideo excidium sponte quaerimus & amamus, nullumque adversario negotium facessimus, ut volentes irretiat. Quia dignitates supra modum affectavimus, nobis violentiam intulimus, ut vel inviti in laqueos incideremus.

Laborat primo Daemon, dum malorum operum semina in nos jacit; postmodum vero assuetas suo jugo cervices pro libito flectit. Vae nobis, qui ab hoste vilissimo per summam socordiam tarditatemque vincimur! Proh nos iterum atque iterum beatos, si audacissimum hoc monstrum, viribus autem pene destitutum conteremus! Nullus timori locus inest; oculos enim retorquere in nos potest, mordere autem non potest. Quae diabolica infirmitas ex ejus calliditate clarius arguitur; nam si viribus valeret, ad quid tot fraudes, tot versutiae, tot machinationes, nisi, ut hae suppleant, quae virtuti desunt? Agesis modo, quisnam non florentem eum dixerit, penes quem stat plena vincendi libertas, adeo ut tum victoriae adeptio, tum hostis ruina ab ipsius tantum voluntate pendeat? Heroibus ob adeptam victoriae palmam debetur triumphus ac corona. At tanto honore jure optimo privantur, quum desides palmam victori cedunt. Suas Daemon vires a voluntate desumit nostra, cui eadem videtur inesse virtus, quam olim Moysis habuerunt manus, Israelitis cum Amalec decertantibus; quas usque dum ad Caelum erectas tenebat, vincebat Israel, easdem

[illegible]

dem si modice inclinaret, cuncta prospere Amalecitis procedebant. Qua sane divina historia nihil est ad rem congruentius. Quum enim ex superius dictis tota hostis fortitudo ab humanae voluntatis arbitrio capiatur, sequitur, ut ipsa possit hostem vel frangere, vel roborare. Quibus ita se habentibus, nulla excusationis venia dignus est quicumque de acceptae cladis acerbitate conqueritur. Quorsum enim robur adversario praestitit? Cur ipsum, quum liceret, conterere praetermisit? Non est igitur quod doleamus, dum nos nostra libertas opprimit, dum ferro concidimus nostro, dum nostra praetereuntium rerum cupiditas nobis laqueos ad perniciem innectit. Haec, de qua loquor, cupiditas exitium illud est, quod sordidus Inferni incola in thalamos ipsos castissimos intulit, cujusque caussa sanctissimorum virorum animus ex sublimi domicilio depulsus est, & in terram demersus. Perfidus insidiator fragiliores adortus viros, disjecit pessumdeditque; cautos vero mercatores non ita; horum namque naves pretiosis onustas mercibus, nec scopulos nec procellas metuere; ideo secundis ventis cursum tenentes suum, in portum feliciter appulerunt.

Ad summam Deus perfectionem mortales extulit, ut Angelos, quibus naturae ordine pares esse non poterant, spiritualibus virtutibus imitari conarentur. Purissimos hosce Ordines eo consilio providentissimus ille sanxit, ut humana infirmitas Angelici honoris studio conflagraret. Quod quum Daemonem minime lateat, totis viribus lacertisque instat, ut nos ex illustri ista dignitatis sede deturbet, & ad imas abyssi fauces deprimat. Hoc quam crebro accidat, consulite illibatas quasque virgines, castas conjuges, & insignes pietatis fama viros. Hi omnes sursum velociter tendebant; jamque Caelum pervasuri, communem nacti sunt hostem, qui omnes ab incepto cursu revocavit, praesentiumque voluptatum ponderibus pressos, ad terram praecipites traxit. Nobiscum vero, qui humi prorsus infixi nusquam Caelum suspeximus, aliter se gerit. Lubricum ancepsque fingit ad Caelum iter, ac si illuc nos insistere, aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix possemus; sicque efficit, ut mens nostra objectis difficultatibus territa, nihil sublimis, nihil divini cogitet, proindeque ad possessiones aedes oblectamenta pecunias ceterasque ludicras solicitudines se totam convertat. Praesentis, ab-

ſentiſque lucri eſca avaritiam nutrit ſuam. Hinc pericula in viarum compitis, pericula in mari, nullibi demum inveniri poteſt locus, in quo procul a metu quilibet conſiſtat.

Eſt in mercatoribus, ſive hi in portibus, ſive intra domeſticas officinas degant, ipſa lucri aviditas autoramentum uſurae. Ceteri omnes ſive juga, ſive valles accolant, omnia ad lucrum referunt; tantaque eſt hominum ſtoliditas caecitaſque, ut deficientes auri acervos mira quadam anxietate cuſtodiant; veritatem vero fidam itineris ſociam ejiciant. Ceterum non quidquid cupimus licet. Varia multiplexque hominum natura variis diverſiſque affectionibus impellitur. Haec affectionum diſparitas indita cuique ab auctore naturae eſt, ne una eademque vice ſinguli deperderentur. Nec propterea interiori omni impulſui obſiſtendum eſt indiſcriminatim: fugiendum ſolummodo quicquid impurum ſapit, utpote quod Daemoni praebet, quibus nos ſuperet, vires. In hoc ſtat plenae ſumma victoriae, ut contra calcitrantes ſtimulos inſiſtentes, eos cogamus rationi omnino parere.

Sunt, qui luxuriam fugiunt, ventri tamen intemperantius indulgent. Alii furtum oderunt, ſed arrogantiam amant. Alios auri ſtudium detinet, a libidine vero abhorrent. Alii delicias ſpernunt, ſed ebrietati dediti ſunt. Quidam ab adulterio procul abſunt, ſed ſimulationem in viſceribus medulliſque condunt. Hic nugis delectatur, ille contumeliis, hic jurgia ſeminat, muneribus ille corrumpitur. Eſt, qui vitio aliquo ſuperior exiſtit, quum in alio aſſidue volutetur. Hic ab una eſt reprehenſione remotiſſimus, in alia autem turpiter verſatur. Qui laqueum unum evadit, in alterum offendit. Vitia quippe ſunt innumerabilia. Homines paulatim decipiuntur, & ex parvis principiis ad maxima crimina deveniunt.

Quum in ſervitutem quempiam redigere ſibi hoſtis propoſuit, mature inſpicit, in quod vitium pronior ipſius natura propendeat, ut dum propriis vinculis oblectatur, perpetuo in ſervitute maneat. Scit enim verſutus & callidus adverſarius, ſi nos ingratis vinculis obſtrinxerit, fore ut, illis celeriter confractis, in libertatem nos vindicemus. Quamobrem jucundos cuique injicit laqueos, ut illos libentius retineat. Poteſt tamen divina opitulante gratia, mens ſeſe ex inimici retibus explicare. Quod quidem perraro accidit, quoniam, quae nos obſtrictos tenent

[illegible]

A nent vincula diligimus atque osculamur, & servitute ipsa inflati tamquam liberi exultamus. Qui invidia aestuat, quia a libidine remotus est, se liberum credit; & calumniator, quia rapinas aversatur, se probum existimat. Sua plerique vincula ignorant, nec quomodo vincti teneantur, animadvertunt, ebriorum instar, qui vino madidi ac temulenti, nec vinciri se sentiunt, nec vincula ipsa perspiciunt.

B Contemplare igitur, sodes, nexuum, qui te premunt naturam; nam si duri ii sint atque tenaces, eosdem insanissimum esset consilium contemnere; si vero leves, cur non ipsos disrumpis? Quod si te in hoc domestico bello non ita gesseris, illi, qui certamen spectant tuum, te uti desidem irridebunt; mollibus quippe nodis resecandis impar quum fueris, ex gravioribus non ita facile te evasurum vident.

C Tibi itaque in hisce difficultatibus constituto unicum orationis effugium relinquitur; qua si opportune utaris, infirmus quanquam sis virtuteque carens, vincula omnia, aranearum telae instar, cito dissipabis, tuoque lictori illudes, qui scelerum conscientia tortus amissam dolebit, quam frustra hominibus adimere tentaverat, libertatem. Quapropter, quos potens

D fortissimaque constringit manus, propriae imbecillitatis excusatio defendit; nulla autem venia dignus est quicumque ab imbelli timidaque vinciri se patitur.

Quid modo dicendum de nobis est, qui amissa toties libertate, mutuo in nostram servitutem insultamus? Omnes Daemon exsibilat, nec injuriam curamus: sub iniqua gemimus tyrannide, quae ta-

E men nobis est ipsa libertate dulcior. Nos in tetro Daemonis poculo mersi nihil laqueorum asperitate commovemur; sicque fatuis ipsis dementiores sumus, qui funiculis obligati aliquod praeferunt tristitiae indicium, quod tamen longe a mente abest nostra servituti quotidiana jam consuetudine assuefacta. Proh quam ingeniosum est nostri venatoris artificium! Nos siquidem tam delicate nectit, ut ne le-

F vem quidem percipiamus doloris sensum; quin & pro dolore dulcedinem sentiamus. Venenata, quibus nos ferit, jacula, mira cum suavitate conjuncta sunt, qua nos languidiores facti, omnia ad corporis commodum referimus, & nostra nobis manu mortiferum laticem propinamus.

Praeda onustum quotidie cernimus adversarium; nos ejus fraudes nec timemus nec evitamus. In hoc potissimum tota

A tota hostilis calliditas incumbit, ut dum inextricabilibus impedimur retibus, solutos omnino esse nobis persuadeat. Hinc ubi nos ad verae lucis serenitatem, divinae gratiae ope reviviscere accidat, bonum quasi mancipia fastidimus, facti autem liberi ac domestici Dei, ad pristinae servitutis ignominiam revertimur. Alienum putamus nostrae esse dignitatis virtuti famulari; unde ad vitiorum clien- B telam deficimus, & caritate despecta, ad invidiam confugimus. Quo cognito, Daemon, qui parem in astu habet neminem, facilem nobis ad malum sternit viam, illam vero, quae ad vitam reducit, impedimentis obsidet, ne ullus eandem iterum repetat. Beatus ille merito censendus est, qui quum in praeceps urgeretur, nunquam a recto tramite declinavit. Beatus, qui dexteram tenuit, nec ad laevam respexit; C ipsum enim justissimus Dominus ad dexteram suos inter familiares collocabit. Latet scilicet sub dextera & sinistra certum nostrae religionis sacramentum. Ejusmodi enim nomina in hominum memoriam reducunt binas illas sedes, quas ipsi erunt aliquando occupaturi. Et quemadmodum justi ad dexteram constituti ad laevam transire non poterunt, ita nefas est, te nunc de sano curriculo deflectere, ani- D mumque ad iniquitatem transferre. Quod si aliter feceris, fore non dubito, quin & tu in illorum numero propediem recenséaris.

Te non ignorare arbitror, Daemoni nunquam in dextera se recipere licere; quorsum ergo ipsius amicitiam tam cupide appetis? Certum hoc tibi sedeat, tuam insaniam, quam modo tam stolide osten- E tas, te ad laevam quantocius adducturam. Tunc vero, quas leves, quasque lethales contraxisti noxas, suo quaeque ordine disponentur; & quamvis unica tantum labe sordesceres, totus tamen ad sinistram expelleris. Ii profecto prudentes cautique sunt dexterae filii, qui assiduo cavent, ne cordis munditiem impuri afflatus e sinistro latere exhalantes corrumpant, & innocentiam labefactent. Hic scopus est, F quo totae adversarii artes referuntur, ut nimirum nos vinctos suum ante currum ducat, & cum sociis suae partis sectatoribus ad laevam compingat. Deus autem multifariam nobis ad se vocatis gratum statuit jugum; neque patitur, ut supra id quod possumus, tentemur, sed virium, quas nobis tribuit, rationem habet; pro virili igitur niti quisque debet, ut, quam cupit mansionem, eam studeat bonis sibi operibus comparare. Quo

[illegible]

A Quo tempore Tabernaculum ab Hebraeis constructum fuit, singuli tum divites, tum pauperes aliquid muneris offerebant. Pro suis quisque copiis largiebatur, alius aurum, alius argentum, alius berillos, alius margaritas, pauper pilos aut pelles; feminae locupletes sericum, inopes viduae tincta vellera; atque ita universus Tabernaculi apparatus ex singulorum largitionibus conflatus, omnium munificen- B tiam commendavit; Deus enim, ad quem hujuscemodi oblationes spectabant, tam pauperum, quam divitum, tam peccatorum, quam justorum vota suscipiebat. Id enim propositum sibi in animo erat, ut ostenderet, se, quemadmodum oblata ad suae habitationis constructionem probabat dona, sic preces & jejunia, nulla aetatis, aut conditionis habita ratione humaniter C admissurum. Spirituales proinde hostias materialia praefigurabant signa, ut invisibilia, per ea, quae fiebant, intellectu conciperentur. Tauros deferebant divites, egentes vero pullos columbarum; maximum tamen oblationi pondus sincerus offerentis animus adjiciebat. Tunc enimvero grata minus Deo munera accidebant, quae ab justis oblationum Domino perfunctorie solvebantur. Quo quisque justi- D tia magis ac diligentia praestabat, eo gratior Deo aderat oblatio. Quod Evangelica illa Vidua obtulit duorum denariorum munus, gratissimum Deo exstitit, pretiique tenuitatem animi integritas compensavit; nullam autem vim apud Deum obtinuit talentum divitis, quod fuerit a caritate destitutum.

Sicuti ergo inimicus noster variis nos E occasionibus perdere ac devorare conatur, ita diversis totidem Dominus rationibus studet ad salutem perducere. Duorum denariorum munusculum beatitudinem donanti attulit; duo verba mordacius in socium jacta animam persaepe occidunt; & quemadmodum Latro unico confessionis verbo Paradisi factus est civis; sic unica obtrectator calumnia fit perditionis filius. Moysis soror Maria, unica F obtrectatione prolata, lepra nivis instar undique scatuit. Tales si poenas mulier Prophetissa persolvit, quas iis constitutas esse dicemus, qui tot calumnias, tot blasphemias libere effutiunt? Adde, quod Maria nihil protulit, quod esset a veritate alienum. At quia imprudenter sese in loquendo gessit, multam merito subivit, ut hinc discas, tibi nefas esse, quamvis vera fatearis, sodalium tuorum aestimationem cujuspiam infamiae maculis conspergere.

Quem

Quem juste reprehendis, ne clanculum maledictis laedas. Seu palam, seu occulte fratrem corripias, cavendum tibi est, ne tuorum verborum aculeis ipsius nomen obscures. Inutilis enim est justitia illa, cui dolus & malitia admiscetur. Sanctitas improbatur, quae conjunctam habet impuritatem, inanis est castimonia, quae mollitie diffluit, & fides praestigiis deturpata dignitatem amittit suam. Irrita est illa concordia, in qua simulatio apparet; despicitur liberalitas & oratio, cujus est jactantia comes; informe jejunium redditur, si cum livore aut invidia copuletur; vana est dilectio, quam immoderatum studium rerumque naturalium affectio solicitat.

Perspice, amabo, quae tuis objicit oculis haec rerum patens universitas; & quae in sacris regesta sunt Codicibus expendenda tibi operosius sume, & statim comperies, deformem fieri veritatis elegantiam, quando cum improbitate versatur; mortiferum esse cibum, in quo aconitum latet; carnem alioquin mundam, communem immundamque evadere, propterea quod superstitione foedatur. Ab externis interiora dignoscenda sunt; quae sibi vicissim respondere oportet; aliter enim rectus partium ordo pervertitur. Id clare in mox laudata muliere constat, cujus exterior immundities interius crimen manifestavit. Ex aperta ipsius turpitudine occultum patuit scelus, ex illius poena didicimus, quam turpe flagitium sit obtrectatio; ex carnis corruptione vidimus, quam graviter detractoris animus sauciétur, & ex corporis aegritudine nobis animi languores innotuerunt. Ab exteriore homine seipsam reformare didicit; nam quia fraterni illa foederis jura perfregit, exterior corporis depravatio & foeditas, turpificati animi symbolum erupit, quae singulorum membrorum a proprio corpore defectionem domesticumq; dissidium excitavit.

Discamus itaque & nos quam Deo placeat concordia, & mutua benevolentia. Nam sicuti plagae nobis displicent, sic Deo invisa maxime est humanae societatis corruptio. Ideo humanum corpus ob diversa vitia variis subjectum est morbis & immutationi, nostraque nobis membra inimica quodammodo efficiuntur, quia nempe nos a Deo fratribusque nostris descíscimus. Claudum perspice membrorum obliquitate peccatorum causa aequissime punitum; curatum autem, quum dolens ipsorum veniam consequutus est. Hujus infirmitatis caussam si quaeris, haec certe non alia fuit, quam ipsius in Deum diffidentia, divi-

[illegible]

[illegible]

A divinorumque praeceptorum violatio. Et quoniam enormem constantissimo Dei amori, qui validum est nostrae mentis vinculum, injuriam fecit, iccirco in tot calamitates incidisse condoluit. Tunc infirmitatem agnovit suam, quum interior mentis labor ad corpus trajectus est, divisa inter utrumque concordia. Vix ac per unicum crimen divinam societatem abdicavit, ejus statim membra commota sunt, & in hoB minis perniciem conspirarunt; quorum exemplum sequutae interiores partes periculosam seditionem fecerunt.

Haec omnia ad evidentiam experta est soror Moysis, de qua mox agebam, quoniam sanctissimum fratrem pro seipsa deprecantem omni contumelia perstrinxerat. Eximiae fratris virtuti neutiquam parcens sordida tabe putruit; & cautior C ulceribus facta, sero hominis, quem carpserat, virtutem agnovit; ejusque probitatem admirari altius coepit, quum ipsius precibus ad pristinam redacta est pulchritudinem. Errorem corrigens suum Dei colloquium promeruit, & in ipsa poenitentia flagella omnia conquieverunt. Quae prius propius Deum attingere rebatur, remotissime ab ipso dissitam se esse vidit, & quae plurimum D accepisse putabat, fumum hausisse intellexit. Justus igitur Judex in contumeliosam Prophetidem merito animadvertit; detestatur enim linguae procacitatem, quae insipientibus solet esse ingenita mulierculis. Plurima Moyses signa & miracula ediderat; & tamen parumper lingua lapsus excidit e terra promissionis. Ingens periculosumque pelagus ipsum itinere E prohibere non valuit; at unicum verbum temere prolatum ei tamquam murus obstitit, ne progrederetur. Si verbulo offendit Moyses, quem Dominus Pharaonis Deum constituerat, quo magis Caelestis regni aditum tua tibi linguae petulantia occludet?

Ignis quamplures devoravit Sacerdotes, quoniam quum re justi essent, verbis seditiosos se esse indicabant. Dum itaque tales tantique viri talia perpessi sunt, F quibusnam flagellis suppliciisque torquebimur, nisi ignominiosum detrahendi institutum deseramus? Qui Moysis honestatem laceraverant, hos omnes aut terra absorpsit, aut pontus ingurgitavit; impuros vero & adulteros integros incolumesque reliquit. Insignis ille exercitus Dux, in cujus manu Rex Syriae Benadab incumbebat, poenas inconsultae loquacitatis dedit, quum populi pedibus in porta con-

Levit. 10.

Reg. 4. 7. 17.

conculcaretur. Et si, ipso admonente Domino, de omni verbo otioso reddenda est in judicio ratio, quid dicendum de contumelioso? Interim dum Diabolus de hominum ruina, quam sibi injuriosis inferunt conviciis, exultat, majora molitur, sexcentasque alias nocendi artes insidiosus excogitat. Alios ut aere alieno obrutos detinet, alios ut sponsores pro alteris inducit.

Matth. 12.

Experientia ipsa nos satis docet, hominem hominis saepe caussa interire, & qui nihil debet, communem habere cum debitoribus partem. Quo exemplo justorum impiorumque crimina patefiunt; justus in propriis rebus culpa vacat, in alienis vero non item. Si quis enim, eo praesente, veritatem seu oppugnet, seu irrideat, aut honestum quempiam virum vituperari audiens taceat, nonne vides, hujusmodi sub silentio malitiam fraudemque delitescere, quum inepta sua taciturnitate impactas calumnias uti veras comprobare videatur? Id praecipue in Regum Aulis quotidie contingit; Proceres enim delinquentem ipsum objurgare non audent; quem si forte sanior quispiam increpitet, jure ne an injuria nihil refert, ii, qui adsunt increpitantis sermonem abrumpunt. Huic si Procerum quis assentiretur, seu accusationi dumtaxat interesset, paris cum arguente criminis reus fieret, eodemque cum illo supplicio multaretur. Quare prior ob linguam, posterior propter auditum interiret.

Aperit calumniator os suum, tu subito illius monstra incredibili aviditate arripis, quamque is ore intentat stragem, eandem auribus tegis tuis. Quod ex auditu concipis lethale fermentum, hoc se in animam dilatante, totus interius subverteris. Exinde enim, per quosdam veluti tubulos, Serpens Evae claustra perrupit. Hominum hostis aliena oratione ad perdendos verborum parcos multoties utitur, & quos proprio ipsorum ore non laederet, eos per aures enecat, unde qui vivens actu est, cogitatione perit. Malignis spiritibus vera licet confitentibus silentium imposuit servator Dominus; verax quippe quum esset, renuit mendaces habere promulgatores, sed sui adventus veritatem voluit per veros nuncios propagari.

Cur Daemonem exaudire noluerunt Apostoli, quos tantis jam extulerat praeconiis? Ne nimirum castae aures obscenarum vocum sonitu pollucrentur. Si diabolicas laudes, ceu exitiale aliquod, sanctissimi

[illegible]

A ctissimi viri effugerunt, multo magis convenit, ut calumnias ejuremus. Rursus, quum constet, adversarii potum mortem sub sua dulcedine continere, hunc quis non dicam sorbere, sed primoribus tantum labris delibare non timeat? Veritatis specie incautos fefellit Daemon; ob eamque rem ne veritatem quidem ab eodem Dominus audire voluit. Fructuosas B aeque ac steriles plantas alluit unus idemque imber, malisque herbis prodest, qui ex se bonus est, humor. Quo anguis vescitur, dulcem cibum protinus in amarissimam aloem vertit; qua si quempiam aspergi accidat, tristi nece pereat necesse est. Pari modo veritas, quae ex mendaci ore prodit, parum a fraude distat; dum prima cortice suavitatem ferens, intus acerbum celat ad simplices capiundos, ab- C sinthium.

Hujusce rei exemplo sit Judas Iscariotes, qui sub oris osculo & lingua pacem assimulante dolum texit, propriumque Dominum ac Praeceptorem, qui cordis consilia noverat, nefarie prodidit. Si igitur mendax Creatorem ipsum seducere aggressus est, tune de ipsius fidei sinceritate tibi blandieris? Adulantem nemo non videt, nisi admodum est excors. Pro- D jice, quaeso, lethiferum poculum tibi in immundo vase oblatum, quum non sit, qui lutulento cyatho labia admovere non horreat. Nullus equidem, si stupidos excipias, fallacibus credit strophis, quas non modo sancti oderunt viri, sed etiam ipse sanctitatis author Christus Jesus, qui obtulit semetipsum immaculatum Deo, mendaci vero aurem praebere noluit: acetum E cum felle mixtum gustavit, aure autem non percepit dolum. Os proditori osculandum praebuit, at mendaci responsum non dedit. Tu quoque os tuum exosculandum maledico porrige, aures autem ne accommodes; nam si a perfido accipis osculum, hoc ejus perfidia condemnabit, sin autem mendaci assentiaris, certe verborum lenociniis cedes.

Satius tibi erit, si veneni & odorem & F gustum evites. Quid fumum abs te arcere tantopere contendis, mendaci autem ultro adhaeres? Ingratus tibi est male olens situs, & prope mendacem assides? Tibi nocet fumus, irrisoris exhalatio non officit? si nugae ipsae ac scurriles joci vitiosi interdum sunt, cur innocens putandus erit contemtus & subsannatio? Singula corporis membra a noxiis omnibus diligenter servanda sunt, proindeque si corpus a libidine remotum est, lingua etiam verecunde lo- quatur;

quatur; nam qui continentiam ſervat, mentiri poteſt, & calumniari. Si tuis e membris unum valeat, aliud laboret, totum corpus aegrotare dicitur. Hoc tibi ex ſimilitudine a militibus mutuata clarius innoteſcet. Nonne totum militis corpus ferro protegitur? At ſi per tenuem aliquam rimulam ſeſe jaculum inſinuet, exanimatus illico miles concidit. Quum itaque mors per anguſtas loricae ſciſſuras penetret, cur non ipſa per latas aurium feneſtras penetrabit? Ingens profecto eſt aurium hiatus, in quem ſcilicet mors ingreſſa cunctos animi ſenſus profligavit, & adhuc inſatiabilis perſeverat.

Sepibus vectibusque muniendae ſunt aurium fores, ne valeat calumnia introire. Magna vis calumniae ineſt, nec ideo contemnenda quaſi animum interficere nequeat. Ex volucrum aucupio diſce, haudquaquam ſpernenda eſſe, quae videntur parva. Accidit enim, ut avis in laqueum incidens, parvula haereat ungue, quin aliquid illi proſit alarum remigium. Summa unguicula, quae nullius momenti eſt, capulo comprehenſa, etſi reliquae corporis partes liberae ſint, totum tamen corpus impeditur. Idem in morbis patet, quos omnes ſingillatim enumerare quis valeat? O quoties levibus aeger ſpretis, in graviſſimum atque inſanabilem morbum incidit! Quod natura ipſa plane oſtendit, idipſum ſacrae literae teſtantur, gravibus ſcilicet, levibuſq; culpis ſtatutam eſſe a Deo poenam. Docet Apoſtolus, homicidas, fures, maledicos, Adulteros, ventri deditos, nunquam Dei regnum adſecuturos, ſed omnes juſto Dei judicio aeterna haereditate ſpoliandos. In ſacris etiam Prophetarum Codicibus notatum habemus, levia crimina grave mereri ſupplicium. Quod ut ſcias, qua de cauſſa Chanaan in maledictionem incurriſſe putas? Nonne quia Juſtum irriſit? Certe nullo alio graviori facinore damnatus eſt; ſed ob leve ludibrium aſperrimam illam ſententiam pertulit.

1. Cor. 6. — *Geneſ. 9.*

A rerum, quae contigerunt, experientia doctus, Apoſtoli verbis ſedulo animum adverte. Si propter audacem riſum tantam ſibi calamitatem intulit Chanaan, quis non ſubſannationes, tot malorum cauſſas, averſetur? Juſtus enim ille a benedictionibus excludens Chanaan, & maledictioni addicens, judicium innuit, quod fiet illis, qui deriſionibus delectantur. Si te ad inane gaudium calumniator alliciat, cave, ne abducaris; nam Chanaan ſub ipſo gaudio ſibi execrationem attraxit. Sapientiſſimum audi Salomonem te de irriſionis pravitate

A B C D E F [Syriac text: illegible]

[illegible]

A pravitate commonentem, quodque sub ipsa latitat explicantem; inquit enim: *Qui irridet hominem, exprobrat factori suo.* Hominis derisio Creatorem ipsum afficit; tu, quod in risu patet, solummodo animadvertis, quid autem in illo fraudis ac doli sit conditum ignoras.

Prov. 14.

Justus ille Noë dolum agnovit, eumque inscio Chanaano minime retexit. B Benedictionis beneficio filium exuit, ut & tu, perspecta risus malitia, fratrem illudere desinas. A Regno Dei maledicos exclusit Apostolus; sique placet, derisorum jacturas persequamur. Quid egit, aut in quonam peccavit Semei filius Jemini? Num aduter erat? num latro? num patriae hostis? Minime quidem; sola con- C vicia in Davidem vibrata reum ipsum statuerunt. Proh quam pessimum est tale vitium, ex quo calumnia profluit, qua verum cum falso promiscue consuitur. Hinc ex animo dolore percito contumelia oritur, quae sagittae instar gratis innocuos transfodit. Hoc venenatum telum in Davidem jecit Semei, Regem de Sau- D lis caede immerito insimulans; quum ceteroquin suam Saul incolumitatem a Davide obtinuisset. Quapropter juste de falso crimine damnatus est calumniator; qui quum terminos sibi a Salomone praescriptos transiliisset, reatum solvit, & quum linguam justum in hominem exacuisset, acutum in se gladium ex- E pertus est, atque ita tum in hoc seculo, tum etiam in altero supplicium pertulit. Quis igitur linguam cohibere renuat, cujus mordacitatem duplex supplicium manet? Hac duplici poena Apostolus in supracitato capite multandos maledicos, helluonesq; asserit uti & moechos & homicidas. Propter gulae intemperantiam primogenita vendidit Esau. Habes & tu primogenita tua, mentis nempe sinceritatem. Cave, ne tantum tibi

[illegible]

tibi honorem voracitas diripiat. Excellens est hominum dignitas; at quis crederet? Re minima & vili seipsos produnt. Sinceritatem, dum puer es, ne extrudas; aliter stulti Esau imitator eris. Audi rem stupore dignam, quomodo nempe verba factis praestiterint, & fides naturam superaverit. Primogeniturae munus, quod nullo modo eripi posse videtur, Esau loquela abstulit, licet is crederet invisibiles benedictiones sensibilibus non amitti cibis. Quae per carnem primogenita tribuuntur, Jacob per spiritum accepit. Quare obsecratio & fides natalium vicem supplevere; corporea enim primogenita in spiritualia admirabili prorsus mutatione translata sunt. Nec est, cur genitricis uterus repetendus ambobus foret, ut exinde ad lucem denuo emergerent; nam si ita se res habuisset, videre nemini non licuisset Jacobum egressum primogenitum tot benedictionum praesidio ac comitatu, quarum jura tunc sibi jam comparaverat, quum fidelis benedictiones paternas per fidem impetravit.

Mira sane emtorem inter & venditorem intercedit disparitas. Hic damnum neglexit, hic autem utilitatem sensit. Indebitum naturae contractum mercatores pueri sanxerunt. Esau vendidit, quod dimittere naturaliter non poterat; emit Jacob, quod sibi adsequi non licebat. At quomodo Esau primogenita alienavit, quae deponi nequeunt? Aut quomodo Jacobo obvenit, quod ab Esau inseparabile erat? Quod si mercatura, quam pueri isti exercuerunt, adeo naturam superat, ut explicari non valeat, quis audeat ineffabilis Unigeniti generationem investigare?

Dic mihi rursus, cur Jacob a Manasse in Ephraim transtulit primogenita? Nonne, ut illi gloriam & decus accresceret? Primogenitura muneribus eximiis, & innumerabilibus cumulata est. In hac Baptisma descriptum est, in hac fides est obsignata, haec sanctitatem enunciat, & castimoniae figuram gerit. Hanc pretio mercatus est Jacob, eamque gratis Ephraimo transcripsit. Qua quidem in re nec Manasses culpandus est, nec adscribendum Ephraimi justitiae, nec largientis authoritas vituperanda. Quis ex vulgo Largitorem arguat, e cujus sola liberalitate prodeunt quaecumque nobis conceduntur dona? Quae penes ipsum est potestas absolutissimumque rerum omnium dominium heic apertissime demostratur. Quisnam divinae ipsius voluntati parere abnuat, aut resistere non vereatur?

Nullus sit ergo, qui primogenita reprehen-

prehendat. Quod ſi Judaei id facere audeant, reprehendant prius, quod Manaſſae ademta fuerit. Nam qui ipſam abſtulit, in nihilo peccavit, quum plenam hac ſuper re poteſtatem habuiſſet. Eandem porro ab iis repetivit, ut ſui judicii aequitatem manifeſtaret. Quod ſi jure argui nequit Jacob, quod a Manaſſe, viro ceteroquin integerrimo, primogenita repopoſcerit, quomodo quiſquam auſit illum reprehendere, qui ut juſtus Judex primogenitura Judaeos Deicidas orbavit? Neque vero in tanto pretio habendum erat Jacobi munus, ut primogeniturae valorem exaequaret, & tamen jurisjurandi vis tanta fuit, ut ab Eſau primogenita extorqueret. Quum enim jurejurando ſe obſtrinxiſſet, noluit dejerare, ne forte fidei violator, & perjurus communiter haberetur. Pactioni mendacem inter & veracem ſtetit mendax; quo magis tibi ſtandum eſt promiſſis illis, quae in anguſtiis poſitus adjunxiſti? Eſau ab iis, quae cum detrimento ſuo pepigerat, recedere noluit, & tu foedera, quae pro ſalute tua pepigiſti, audes violare? Herodes, quod in perniciem ſuam promiſerat, ſervavit, & tu, quod aeternae vitae gratia promiſiſti non ſervabis?

Agitedum, Fratres, & non ſolum a pravis abhorrere operibus ſatagamus, verum ea omnia verba, quae nos in malum inducunt, vitare curemus; nam & verba, ut audiſtis, ſuo effectu non carent. Unum quidem verbulum primogenitura ſpoliavit Eſau, nec non in illius idem dominium introduxit atque conſtituit Jacobum. Caedis inſtar eſt contumelia, & lingua non minus nocet, quam gladius: cogitatio & ſermo impudicus inquinat, ut adulterium. Occulta ſimulatio tanquam laqueus tendit inſidias, pravum conſilium veneno pernicioſius eſt accipientibus. Quod ſi verbis Eſau ſuam amiſit primogenituram, num quiſpiam ſuam labefactare caſtitatem loquendo non poterit? propriam utique quiſque probitatem animique candorem deturpabit, ſi animum habeat mendaciis & dolis implicitum. Iterum ſi Infidelis uno tantummodo verbo a religione deſciſcere poteſt Chriſtiana, ſiccine ore fidelis eam non reparabit profitendo? Quae in medio proferuntur verba, re ipſa executioni mandantur; Improba deliberatio perinde atque opus malum damnatur. Oculorum immodeſtia nos ad impudica inducit facinora. Dum iracundia ut gladius ferit; invidia telo gravius vulnerat: exitii foveam calumnia ſtruit.

Malas cogitationes fugiamus, cogitata

tata non aliter ac facta censentur; bonis igitur cogitationibus delectemur, quibus operum merces proposita est apud eum, qui consilia cordium explorat; operis instar consilium est, in eo enim arbitrii nostri ratio nititur. Quemadmodum autem voluntas in Deo ipsa est operatio, ita nostram voluntatem, quasi actionem excipiet Deus. Suum quaeque res contrarium habet: lux tenebris contraria est, amaritudini dulcedo, vigilia somno, satietas inediae. Qui fecit haec omnia, nihil reliquit, cui non contrarium adjunxerit. Si mortalis homo arte sua contraria inter se componit, & adversus laborem quietem admovet, remediaque & medicamenta terra marique conquirit, ac suam cuique morbo, ut res tempusque postulat, prudenter adhibet curationem, nec non cetera necessaria sibi providet, quanto magis immortalis ille rerum omnium procreator Deus ordine suo cuncta dispofuit, atque ita moderatus est, ut in promtu sint, quibus se quisque ab inimicis & adversis defendat?

Habes igitur arma, o homo, quibus adversus omnes hostes & adversarios tuos utaris; haec tibi ad salutem data si spreveris, victus, in judicii die, quomodo te excuses, non habebis. Adsunt nobis contra illius machinas varia armorum genera. In nos ille si tela ignita contorserit, habemus & nos orationis clypeum inexpugnabilem; quod si illecebris nobiscum decertans aucupari nitatur, ad jejuniorum inaccessibilem arcem confugiamus. Si pravae invidentiae bellum intulerit, sociam in pugna animi dilectionem assumamus. Si nos iniquitate captivos ducere conabitur, ad justitiam confugientes saluti nostrae consulamus. Si te per malitiam vulnerare studuerit, ad fraternam accurrito caritatem: si te per arrogantiam oppugnabit, humilitatem opponito: si adversus te corporis cupiditatem incitaverit, temperantiae thoracem induito. Si te lasciviae sagittis petiverit, galeam sumito castitatis. Si nos divitiarum cupidine stimulaverit, paupertatis habemus beatitudinem: si gulae vitio nos adoriatur, jejunii alas assumemus. Et quoniam invidia eversionis est caussa, praesto aderit caritas, si velimus, quae corrigere possit & aedificare: ut enim illi sua sunt arma ad oppugnandum, sic nobis adsunt ad imbecillitatem defendendam, nostra. Si ut captivans adveniat, in promtu sunt, quae nos tuebuntur, fortissimae arces: si ut Pharao induretur, adest quae illum pessumdabit, divina vis atque robur. Si Aegyptiorum instar persequatur,

[illegible]

A quatur, adeſt mare, quod eum ſubmerget. Si in terra laqueos celaverit, eos Dei miſericordia deteget. Si ceu Goliath minitetur, & infremat, haud longe abeſt illius debellator David filius. Si ut Siſara elatus intumuerit, per Eccleſiam e medio tolletur. Si ut Sennacherib bello nos premat, ſacco & cinere ſuperabitur. Si tyrannum Babylonicum fuerit imitatus, ſanctus non deerit Daniel. Si ut Naaman

B efferetur, ſunt, qui eum proculcant, Jejuni. Si luxuriae flammam accenderit, aderunt qui caſtum Joſephum imitentur. Nullus ejus conatus a nobis non diſſolvetur, nulla ſunt illi vincula, quae non diſrumpantur a nobis. Nulli ſunt morbi, nulla vulnera, quibus ſua non adſint remedia & medicamenta: quam ille rubiginem obducet, cui diſcutiendae non ſit fornax

C praeparata?

Ecquod ille damnum intendet, cui repellendo non adſit auxilium? quas parabit inſidias, quae nobis non ſint manifeſtae? quam machinam molietur, cui evertendae non ſint idonei vel idiotae? quas afferet vires, quae nequeant vel a foemina ſuperari? Fornaces inſtruxit, at illas pueri extinxerunt. Lacum effodit, at eum Daniel contemſit. Quales libidi-

D nes agitavit unquam, quas non compeſcuerint Joſephi commilitones? Epulas paravit, at eas neglexere Ananiae comites. Superbiam ſevit, at illam Moyſis humilitas conculcavit. Auro Naaman adulatus eſt, at illud ſprevit Eliſaeus. Simon pecuniam obtulit; ſed meritam in illum Petrus ſententiam pronunciavit: In ſuo inhabitavit Apoſtolo Chriſtus, & in ſuo Satanas auditore commoratus fuit.

FINIS

TOMI TERTII SIRIACI, ET LATINI.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. VI. lin. 12. *in Epistola* ac luce, *lege* hac luce. p. LVIII. l. 16. depoposceret, *lege* deposceret. p. 16. l. 50. utrum, *lege* uter. p. 447. l. 52. omne splendore, *lege* omni splendore. p. 448. l. 14. hora hominum, *lege* ora hominum. p. 451. l. 37. insisteris *lege* institeris. p. 453. l. 51. medicando, *lege* mendicando. p. 462. l. 5. cornm, *lege* eorum. p. 477. l. 32. emolitum, *lege* emollitum. p. 483. l. 1. tuo vocis, *lege* tuae vocis. p. 504. l. 24. veniames; *lege* veniamus. p. 505. l. 37. ܩܕܡܝܟ *lege* ܩܕܡܝܟ p. 512. l. 40. ܘܦܘܡܐ ܡܠܠܐ *lege* ܘܦܘܡܐ ܡܠܠܐ. p. 525. l. 37. consacremus, *lege* consecremus. p. 526. l. 26. tenebras, *lege* tenebrae. p. 528. l. 27. Moysi, *lege* Moysis. p. 534. l. *ultima*, misecordiarum, *lege* misericordiarum. p. 564. l. 6. ad cognitionem, quae per se incomparabilis, enitendum, *adde* ad cognitionem rei, quae per se incomparabilis est, enitendum. p. 576. l. 16. pso, *lege* ipso. p. 601. l. 52. citra conjugum, *lege* citra conjugium. p. 622. l. 46. origo, *adde* & origo. p. 624. l. 16. Hiec, *lege* Heic. p. 625. l. 28. nostra, *lege* nostram. p. 627. l. 37. patientia, *lege* patentia. p. 646. l. 31. longo sibi partarum, *adde* longo sibi tempore partarum. p. 647. l. 42. corsortio, *lege* consortio. p. 649. l. 14. insigni illius ducis, qui, *adde* insignis illius ducis oraculum, qui, p. 652. l. 17. sex, *lege* ex. p. 653. l. 26. argenteumve, *lege* argentumve. p. 655. l. 28. postremis istis, quantumlibet cicatricosis prostratisve, *lege* postremos istos, quantumlibet cicatricosos prostratosve. p. 661. l. 6. vigeat, *lege* vigeant. Ibid. l. 37. fraudolentia, *lege* fraudulentia.